BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
F
31
NAPOLI

HUGO GROTIUS
DE
IMPERIO SUMMAR. POTESTATUM CIRCA SACRA
CUM SCHOLIIS CRITICIS, ET CHRONOLOGICIS

AC

DAVID BLONDELLUS
DE JURE PLEBIS IN REGIMINE ECCLESIASTICO.

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE ADJICITUR

JO: FRANCISCI CONFORTII
Regii Hiſt. S. & P. Conciliorumque Profeſſoris

ANTIGROTIUS
Qui complectitur Proluſionem, & Exercitationes Criticas XII. totidem Grotianis capitibus oppoſitas.

Sequitur una in Blondellum Exercitatio.

TOMUS II.

NEAPOLI MDCCLXXX.
Typis, ac ſumptibus JOSEPH-MARIÆ PORCELLI.

PUBLICA AUCTORITATE.

INDEX EORUM

QUÆ IN GROTIANIS HUJUS SECUNDI VOLUMINIS CAPITIBUS CONTINENTUR.

CAPUT VII. De Synodis.

1. *Synodi vox explicatur.* pag. 1
2. *Origo Synodorum petitur a jure naturæ. Ibidem diſtinctio naturalium abſolute & naturalium ſecundum quid explicatur.* 2
3. *Synodos non eſſe Juris naturalis abſoluti.* 3
4. *Interdum imperari quædam recte a Summis Poteſtatibus abſque Synodo probatur exemplis.* 5
5. *Idem probatur ex triplici fine Synodorum, qui ſunt conſilium, conſenſus, exercitium Juriſdictionis conceſſæ.* 7
6. *Oſtenditur hos fines non ſemper neceſſarios: nec Synodos ad hos fines.* 8
7. *Oſtenditur interdum noxias eſſe Synodos. Obiter accuſatores non debere in Synodis judicare.* 9
8. *Jus Imperandi abſque Synodo ad ſolum caſum collapſæ religionis male referri.* 10
9. *Quos penes jus ſit eligendi mittendos ad Synodum.* 11
10. *Mos ea in re veteris Eccleſiæ.* ibid.
11. *Licere id Summæ Poteſtati ratione & exemplis oſtenditur.* ibid.
12. *Aliis permiſſa electione, manere Summæ Poteſtati Imperium in electionem.* 13
13. *Judicare in Synodo poſſe Summas Poteſtates, & an id expediat diſtincte quæſitum.* 14
14. *Ἐπίκρισιν poſt Synodum competere Summæ Poteſtati rationibus & exemplis probatur.* 15
15. *Huic ineſſe jus mutandi, demendi, addendi.* 16
16. *De modo exercendæ ἐπικρίσεως.* 17
17. *Hoc jus locum habere etiam cum non de tota religione agitur.* 18

CAP. VIII. De Legislatione circa Sacra.

1. *Diviſio actuum Imperii in Legislationem, Juriſdictionem & ſpeciem innominatam.* ibid.
2. *Legislationem Summæ Poteſtati competere circa totum corpus publicæ Religionis, cum ſolutione objectionis ex periculo mutandæ Religionis.* 19
3. *A Summa Poteſtate falſos ac ſchiſmaticos cultus modo vetari ac puniri.* 20
4. *Modo diſſimulari ac regulis aſtringi.* 21
5. *Legislationem Summæ Poteſtati etiam circa Religionis partes competere.* ibid.
6. *Huc pertinere inutilium diſputationum prohibitionem & vocum extra Scripturam poſitarum.* ibid.
7. *Item curam vitæ Clericorum.* 22
8. *Leges ferri de Sacris etiam citra Canones.* ibid.
9. *Uſus Canonum in dirigendo Legislatore.* 23
10. *Legislativam Poteſtatem Jure Divino non competere Eccleſiæ, poſſe tamen ei tribui lege poſitiva.* ibid.
11. *Sed cumulative, non privative, nec niſi ſubordinate & dependenter.* ibid.
12. *Quomodo intelligendi ſint Imperatores cum ſe videntur Canonibus aſtringere.* ibid.
13. *Exempla diſpenſationum Imperialium circa Canones.* 24
14. *Etiam Apoſtolicos.* ibid.
15. *Exempla adminiſtratæ ἐπιεικείας circa leges Divinas.* ibid.

CAP. IX. De Juriſdictione circa Sacra.

1. *Juriſdictionem circa Sacra Summæ Poteſtati competere.* 26
2. *Ejus effecta exemplis declarantur.* ibid.
3. *Naturaliter Paſtoribus non competere Juriſdictionem proprie dictam.* 27
4. *Competere tamen jure poſitivo apud Gentes quaſdam.* ibid.
5. *Explicantur actus Paſtorales Juris Divini, qui ad Juriſdictionem videntur accedere, & tamen a Juriſdictione proprie dicta diſtinguuntur; ac primo virga Apoſtolici.* 28
6. *Deinde uſus clavium.* 29
7. *Præſcriptio operum Pœnitentiæ per modum*

dum directionis, aut ſuaſionis. 30
8. Non exhibitio Sacramentorum. 31
9. Eccleſiæ actus explicantur Juris Divini, qui videntur ad Juriſdictionem accedere, & tamen ab ea diſtinguuntur. Et primum ſeparatio a Paſtore & fratre inordinate ſe gerente. ibid.
10. Explicantur actus canonici actibus Divini Juris ſuperadditi, & ab iiſdem diſtinguuntur. 32
11 Juriſdictio ex Jure poſitivo Paſtoribus conceſſa explicatur exemplis, & primum circa negotium Religionis. 33
12. Deinde ex conſenſu partium. 34
13. Poſtremo ex delegatione. ibid.
14. De hujus Juriſdictionis efficacia. 35
15. Judæis ſimilem quandam Juriſdictionem conceſſam. ibid.
16. Acceſſoria excommunicationis. 36
17. Oſtenditur omnem Paſtoralem Juriſdictionem proprie dictam a Summis Poteſtatibus emanare. ibid.
18. Quatenus actus Paſtorum ſupradicti circa Summo Imperio utentem verſentur, & primo de Clavium uſu. 37
19. Hoc colore male defendi ſeditioſas conciones quæ ex ſacris Literis refelluntur, cum objectionum ſolutione. ibid.
20. Actus mere canonici, aut ex lege poſitiva venientes, quatenus uſurpari poſſint circa Summum Imperantem, & oſtenditur circa invitum uſurpari non poſſe. 40
21. Quomodo tali caſu poſſit Paſtor ſuæ conſcientiæ ſatisfacere. 42
22. Quod jus ſit Summarum Poteſtatum circa prædictos actus Paſtorum & Eccleſiarum, id eſt circa exercitium Clavium, actus canonicos, & actus juris poſitivi. ibid.
23. Origo juris intercedendi, mandatorum pœnalium contra cenſuras, appellationis ab abuſu. ibid.
24. Appellationes Eccleſiaſticas a Summa Poteſtate dependere. 43
25. Modi exercendæ ſupremæ cognitionis per ſe & per alios, cum exemplis. ibid.
26. Summas Poteſtates diſpenſare a pœnis canonicis aut legalibus. ibid.
27. Ad cognitionem Summæ Poteſtatis pertinere an quis juſte excommunicetur. 44

CAP. X. De Electione Paſtorum.

1. Duas in Eccleſia eſſe functiones perpetuas: Presbyterium & Diaconatum: & de earum diſcrimine. 45
2. Diſtinguuntur in conſtituendis Paſtoribus Mandatum, Ordinatio, Electio, Confirmatio; & diſcrimen per ſimilia illuſtratur: obiter oſtenditur poſſe aliquem abſolute ordinari, & Imperium in ordinationem competere Summæ Poteſtati, & de voce χειροτονίας. 46
3. Electionem Paſtorum naturaliter, ſed mutabiliter Eccleſiæ competere. 38
4. Paſtores a plebe electos ex N. Teſt. non probari: & primum in Diaconis aliam eſſe rationem. 49
5. Paſtores Apoſtolicis temporibus Judicio Spiritus electos, etiam Matthiam Apoſtolum. ibid.
6. Popularem electionem non probari ex loco Actor. 14. 22. 51
7. Neque ex præcepto vitandi falſos doctores. 52
8. Mos explorandi Paſtores vetus in Eccleſia Chriſtiana. ibid.
9. Ex Cypriano electionum popularium neceſſitatem non probari, ſed everti. 53
10. Presbyteros ſæpe ab Epiſcopis, non a plebe electos. ibid.
11. Epiſcopos interdum electos a ſolo Clero Urbis ſuæ. 54
12. Interdum a comprovincialibus Epiſcopis. 55
13. Concluditur mutabilitas circa eligendi modum. ibid.
14. Summæ Poteſtati in Electione competere jus legiſlativum. 56
15. Summas Poteſtates poſſe juſtis de cauſis electiones ſibi vindicare. ibid.
16. Exempla ſub ſtatu legis naturalis. 57
17. Sub lege Moſaica. ibid.
18. Exempla Romanorum Imperatorum florente Imperio. 58
19. Exempla Imperatorum Orientis. 60
20. Exempla Francorum ante Carolum Magnum. ibid.
21. Non fundari hunc morem in collatione Feudorum, ſed feuda ob hunc morem Epiſcopis conceſſa. ibid.
22. Quid ſignificet Inveſtitura per Annulum & Baculum. 62
23. In eo comprehenſum jus eligendi, aut licentiam dandi ad eligendum ſalva libera approbatione. ibid.

24. *Exempla poſt Carolum Magnum in Gallia & Germania, nec obſtare Caroli Magni Capitulum de canonicis electionibus.* 63
25. *Quanti momenti id jus ſit habitum.* 66
26. *Exempla aliorum Regnorum & nominatim Angliæ.* ibid.
27. *Circa Presbyteros idem licere quod circa Epiſcopos, rationibus & exemplis probatur.* 67
28. *Solutio ad objectionem de abuſu Juris.* 69
29. *Ad objectionem ex Canonibus & Patribus.* ibid.
30. *Quid de irreligioſorum Regum Jure ſit ſentiendum.* 70
31. *Quis optimus eligendi modus.* 71
32. *Retinendam ſaltem Summæ Poteſtati libertatem reſcindendi factam electionem.* ibid.
33. *Et Paſtorem ſi opus ſit exauctorandi.* 72

CAP. XI. De Muneribus in Eccleſia non omnino neceſſariis.

1. *Quanti referat diſtinguere in regimine Eccleſiaſtico inter neceſſaria & non neceſſaria.* 73
2. *Epiſcopi vox explicatur & oſtenditur in hac quæſtione ſignificare Paſtorem, qui Paſtoribus præſit jure quodam perpetuo.* 74
3. *Epiſcopatum ita ſumptum nulli Juri Divino repugnare.* 75
4. *Eſſe ab Eccleſia univerſali receptum.* 76
5. *Initium habuiſſe ab Apoſtolicis temporibus.* ibid.
6. *Divino judicio eſſe approbatum: obiter de Ambroſii loco.* 77
7. *Epiſcopos nominatos Angelos, Apoſtolos, προεστῶτας.* 79
8. *Exemplum Epiſcopatus potuiſſe ſumi ex lege naturali & Pontificatu Moſaico, credibilius tamen ſumptum ab Archiſynagogis.* 80
9. *Magnas in Eccleſiam utilitates ex Epiſcopatu redundaſſe.* 81
10. *Epiſcopalem eminentiam non eſſe Divini præcepti.* 82
11. *Non plane univerſaliter obſervatum, ut cuivis Civitati unus præeſſet Epiſcopus, & penes quos ſit jus ordinandi.* ibid.
12. *Non leves fuiſſe cauſſas, cur his temporibus nonnullis in locis ad tempus certe aliquod Epiſcopatus omitteretur.* 84
13. *Ignotos fuiſſe Apoſtolicæ & veteri Eccleſiæ Presbyteros temporarios.* 85
14. *Veterem omnem Eccleſiam Presbyterorum vocabulo in Eccleſia non alios quam Paſtores intellexiſſe in Verbo & Sacramentis occupatos: ſimul ambiguitas vocis Seniorum excutitur.* 86
15. *Aſſeſſores qui a nonnullis Presbyteri vocantur, non eſſe ex Divino præcepto. Solvitur locus Matth. XVIII. Explicantur Synedria Judæorum tum minora, tum magnum; & oſtenditur apud Judæos eoſdem fuiſſe, qui de ſacris & profanis jus dicebant. Quæ ſint negotia Dei, quæ Regis.* 91
16. *Presbyterorum vox quid in N.T. ſignificet, & imprimis quæ ſit ſententia loci 1. Timoth. V. v. XVII.* 97
17. *Licite potuiſſe inſtitui Aſſeſſores Paſtorum laicos, aut a ſumma Poteſtate aut ab Eccleſia.* 100
18. *Probatur ex ſacris Literis hanc inſtitutionem Deo non diſplicere.* ibid.
19. *Non deeſſe in pia antiquitate exempla, quæ nonnihil ad hunc morem accedant. Qui ἔκδικοι ſive Advocati Eccleſiarum; Qui φροντισταὶ; Qui πρεσβυτίδες; qui in Anglia Œconomi & Adſiſtentes.* 101
20. *Utilitatem non ſpernendam ab iis Adſeſſoribus poſſe haberi.* 102
21. *Sub certis tamen cautionibus: ubi de more Genevenſi eligendi iſtos Adſeſſores.* ibid.

CAP. XII. De Subſtitutione & Delegatione circa Sacra.

1. *Opus Summæ Poteſtati Vicariis circa Sacra.* 103
2. *Arbitrium Religionis interdum ſubditis concedi.* 104
3. *Vicarios eſſe alios ſubſtitutos, alios delegatos.* ibid.
4. *Subſtitui aut delegari ſolere Paſtores ſolos, Paſtores cum Laicis, Laicos ſolos.* ibid.
5. *Oſtenditur jus Patronatus antiquum eſſe, & oriri a Regio jure.* 105
6. *De Veteri more Hollandiæ: ſimul ad auctoritates Juris Pontificii & Panormitani reſpondetur. Et quæ ſit Collegiata Eccleſia.* 106
7. *Minoribus Poteſtatibus nullum jure divino Imperium in ſacra competere.* 107
8. *Quam minimum imperii circa Sacra deferendum Poteſtatibus ſubordinatis, nec niſi Summæ proximis.* ibid.
9. *Et rectam fidem profitentibus.* 108

INDEX EORUM

QUÆ IN EXERCITATIONIBUS CRITICIS CONTINENTUR.

AD CAPUT VII. Exercitatio Critica.

I. Argumentum hujus capitis paucis pertexitur. pag. 151

II. Repetitur Synodorum Eccleſiaſticarum origo primum ab eo ſtatu, quo Eccleſia continetur, deinde a Concilio, quod Hieroſolymis Apoſtoli coegerunt. 152

III. De Synodorum convocatione. Etſi Concilia a ſummis Rerumpublicarum Rectoribus ad explicandam fidem congregari poſſint, ea tamen a Divino jure auctoritatem habent ſuam. 155

IV. De jure Principum in decernendis Fidei rebus ſine ullis Synodis. Hoc jus exploditur. Sophiſma ſolvitur, quod Grotius obvertit. 156

V. Explicantur exempla Principum, quos ſine Synodis de Fide cognoviſſe Grotius arbitratus eſt. Primum de Theodoſio diſputatur. ibid.

VI. De Æliano Africæ Proconſule agitur, cui quæſtionem de Donatiſtis Conſtantinus mandaſſe dicitur. 158

VII. Expromitur, quid ex mandato Honorii Imperatoris Marcellinus egerit in colloquio Carthaginenſi, quod inter Donatiſtas & Catholicos habitum eſt. 159

VIII. Diluitur duplex ratio, in qua Grotius nititur. Prima ex eo ducitur, quod ſæpe neceſſe non eſt, Synodos congregari ad exponenda Religionis dogmata. 161

IX. Altera eſt, quod Concilia ſæpe Eccleſiis tranquillitatem ademerint. Id falſum eſſe docetur. Quænam ſint Concilia jure ſociata: Oſtenditur in iis poſitam fuiſſe Eccleſiarum incolumitatem & concordiam. Reiiciuntur exempla, quæ contra facere videntur. 162

X. De auctoritate Principum, quæ ad ipſas Synodos reſpiciat. Hoc primum declaratur, iis non licere Paſtorum delectum habere, qui ſoli in Synodis de dogmaticis rebus ſententiam ferant. 165

XI. Item Principibus tribui non poteſt judicium de ſacris in Synodis. 167

XII. Quorſum Principes & præſertim Gallicani ſpectarunt, cum ad confirmandas Synodos acceſſerunt. 168

AD CAPUT VIII. Exercitatio Critica.

I. Omnia ſub unum obtutum adducuntur, quæ Grotius perſequutus eſt in hoc capite. 172

II. Reiicitur arbitrium, quod ille Principibus defert, condendæ cujuslibet Religionis in Regno ſuo, idque multis argumentis: Primum argumentum. 173

III. Secundum argumentum. ibid.

IV. Tertium argumentum. 174

V. Quæ audacter in eam rem a Grotio allata fuere, facile diluuntur. ibid.

VI. Auctoritas, quam orthodoxi Principes inter ſacrorum diverſitates ſibi tribuerunt, non ad arbitrium conſtituendæ publicæ Religionis referenda eſt, ſed ad tutelam Chriſtianorum ſacrorum, quæ iis a Chriſto data fuerat. 175

VII. Ratio agendi cum Gentilibus, quæ Conſtantino Magno fuit, non imperatorium Religionum arbitrium declarat, ſed argumento eſt, eum Principem ita præſidium Chriſtianæ Religioni tuliſſe, ut publicæ Imperii incolumitati ſimul conſuleret. 176

VIII. In eandem, ac Conſtantinus, ſententiam rem geſſerunt Conſtans & Conſtantius. 179

IX. Item cæteri Imperatores. 181

X. Quidquid de Judæis perlatum eſt, hoc iidem Imperatores non jure adminiſtrandæ publicæ Religionis, ſed partim conſilio non perturbandæ Reipublicæ, partim ſtudio defendendi Chriſtiani nominis pertulerunt. 182

XI. Publicis legibus vetitæ fuere omnes non omnium hæreticorum ſodalitates, non modo eorum, qui ſuperſtitioni operam dabant,

bant, aut dogma Civitatis tranquillitati contrarium docebant. 184

XII. *Accedit, quod in Principatu ea poteſtas ineſt, ut a quibuſcunque hæreticis civiles pœnas ſumere poſſit. Solvuntur quæ contra Arminiani obiiciunt.* 185

XIII. *Explicatur quo jure Africani Proconſules inter diverſas Donatiſtarum ſectas ſententiam pronuntiaverint.* 190

XIV. *Reiiciuntur exempla, quæ a Grotio expromuntur ad vindicandam poteſtatem, quam Principibus mandat ſciſcendi cujuslibet dogmatis. De lege Honorii contra Pelagianos.* 191

XV. *Docetur quid orthodoxi Principes ſtuduerint, cum leges condiderunt, in quibus contentiones de Religione vetuerunt. De Conſtantino & de Marciano. Enarratur Titulus Theodoſiani Codicis*, de his, qui ſuper Religione contendunt. 192

XVI. *Quam impudenter Grotius in cauſſam ſuam Heraclium Imperatorem attulit, qui inter Monothelitas & Catholicos de dogmate decrevit. De eo Imperatore Eccleſiæ judicium.* 195

XVII. *Pauca dicuntur de Meletio Antiocheno & Baſilio Magno, cujus locum Grotius interpolavit.* 196

XVIII *Aggreditur Grotius edisſerere de Principum jure in iis conſtituendis, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam & gubernationem pertinent. Oſtenditur Principes eam rem ex Eccleſiæ & canonum mente peregiſſe.* 197

XIX. *Non eſt Principibus deferendum arbitrium nutandorum canonum. Contra Grotius obiicit, politiam Eccleſiæ Principum legibus fuiſſe conſtitutam, ſecus atque canones jubebant.* 200

XX. *Ad eum refellendum vetus Eccleſiæ temperatio exponitur. Hæc fere civilem politiam ſequebatur, licet in aliquibus Regionibus ab ea recederet, prout è Religione hoc negotium eſſet. Id probatur ex ſacra politia Italicæ & Africanæ Eccleſiæ quæ cum civili ſtatu non conſentiebat. Adduntur auctoritates Innocentii I. & Juſtiniani Imperatoris, qui ſenſerunt vel in ipſis Aſianis Eccleſiis non oportuiſſe, ordinem ſacrarum dignitatum eundem eſſe ac ordinem civilium Magiſtratuum.* ibid.

XXI. *De Canonibus Calchedonenſis Synodi. Conciliatur Canon* XII. *cum Canone* XVII. *contra quem nunquam Principes egerunt.* 207

XXII. *Expromitur vetus Eccleſiæ diſciplina de conſtituendo in ſingulis Civitatibus Epiſcopo. Ea ſæpe abrogata eſt non Principum juſſis, ſed contrariis Eccleſiæ moribus.* 209

AD CAPUT IX. Exercitatio Critica.

I. *Brevi ſermone omnia exponuntur, quæ Grotius fudit in hoc capite.* 212

II. *De excommunicatione, quæ in more erat apud Hebræos. Illius origo inveſtigatur. Ea non a Sacerdotibus, ſed a Principibus Hebræis ferebatur, & primum a Populi conſenſu, deinde ab* αὐτονομίᾳ ſuarum legum poteſtate *ipſis conceſſa vim habebat ſuam.* ibid.

III. *De abdicatione ſacrorum Paſtorum. Ea pœna eccleſiaſtica eſt. Explicantur exempla, quæ Grotius contra protulit.* 215

IV. *Diſſeritur de ſacra Epiſcoporum præfectura. Duplicis generis poteſtas erat Apoſtolis, altera quæ extra ordinem iis obtigit, altera vero, quæ in Epiſcopos demigravit. Expromitur ea, quæ extra ordinem data eſt. Diſputatur an ad illam referri poſſit hujuſmodi pœna, quam Apoſtolus ab iis repetebat, quos Satanæ tradebat.* 218

V. *De poteſtate, in quam Epiſcopi ſucceſſere. Ea clavium juriſdictio eſt, quæ tamen ad animos ſolum pertinet.* 219

VI. *Aperitur ſententia Patrum, quos Grotius oppoſuit.* 221

VII. *Diluitur argumentum, cujus vis ex eo oriebatur, quod Paſtores nihil agant, ſi claves non recte adminiſtrent.* 222

VIII. *Concluditur, Sacerdotibus Chriſtianis juriſdictionem eſſe, quæ in regendis animis ad ſempiternam ſalutem verſatur. In hujuſmodi juriſdictione jus nititur repetendarum ſpiritualium pœnarum ab iis, qui peccant.* 223

IX. *Item jus ferendæ minoris excommunicationis.* 224

X. *Canonica diſciplina, quæ flagitioſos homines afficiebat, ab Epiſcopis quidem ferebatur, ſed ex divina clavium poteſtate.* ibid.

XI. *Ea in re quænam erat Chriſtianorum Principum auctoritas.* 226

XII. *De juriſdictione, quam Principes Sacerdo-*

cerdotibus commiſerunt. Num in ea contineatur cognitio de Religione. Agitur de legibus, in quibus Romani Imperatores civilia negotia ab Eccleſiaſticis disjunxerunt, & hæc Epiſcopis, illa vero Sacerdotibus tribuerunt. 227

XIII. De excommunicatione, quæ major dicitur. Recitatur Grotii eorumque Hæreticorum ſententia, qui negant, illam ex Divinis legibus ortum habere. 229

XIV. Contra plerique ex ipſis Hæreticis ſentiunt. 230

XV. Catholicum dogma comprobatur ex ſtatu, quo Eccleſia continetur, & loco Chriſti, qui eſt apud Matthæum. 231

XVI. Declaratur ſenſus verborum illorum, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus contra Seldenum. 232

XVII. Item verborum, Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis. 234

XVIII. Adſtruuntur aliæ Divinorum Scriptorum auctoritates, ex quibus manifeſto efficitur, penes Epiſcopos eſſe poteſtatem ferendæ interdictionis contra illos, qui a pietate recedunt. 235

XIX. Diluitur Grotii argumentum dicentis Chriſtianam cenſuram haud niti in Divina aliqua lege, quam Chriſtus pertuliſſet, ſed ab Hebræorum inſtitutis originem duxiſſe. 236

XX. Quænam auctoritas a Chriſtianis Regibus adhibenda ſit, ſi forte Paſtores clavium poteſtatem non recte adminiſtrarint & Chriſtianis civibus vim intulerint. Refert plurimum ad eam rem, num Paſtores ob civiles, an vero ob eccleſiaſticas cauſſas ſacram ſuam juriſdictionem exercuerint. 238

XXI. Perpendenda omnia ſuſcipiuntur, quæ Grotius ſenſit de Principum jure in conſtituendis canonicis judiciis. 241

XXII. Horum judiciorum ordo ab Imperatoribus ſciſci ſolebat. ibid.

XXIII. Illuſtrantur exempla, quæ ad hanc Imperatorum probandam auctoritatem Grotius collegit. 242

XXIV. Attamen Principibus jus non eſt judicandi de ſacris negotiis. Explicatur Canon XII. Concilii Antiocheni, qui a Grotio objectus eſt. 244

XXV. De jure Principum in iis recipiendis, quos ab Eccleſia Epiſcopi alienos pronuntiant. 24[illegible]

XXVI. Item in præſidio iis ferendo, qui cenſuris iniquis afficiuntur. 250

AD CAPUT X. Exercitatio Critica.

I. Conſtituitur illud, de quo Grotius egit in hoc capite, & paucis colliguntur quæ idem attulit, ut conficeret variam fuiſſe in Eccleſia rationem conſtituendorum Paſtorum. 252

II. Plebs non modo teſtimonium dabat ei, qui Eccleſiæ præficiendus erat, ſed eundem eligebat. 253

III. Hoc jus Plebi ademptum non fuit in canone quarto Concilii Nicæni. 256

IV. Nec in Canonibus Antiochenis, Laodicenis & Calchedonenſibus. 257

V. Ea tamen res juris Divini non eſt, ſed ad mutabilem Eccleſiæ diſciplinam pertinet. 258

VI. Chriſtiani Imperatores de modo creandorum Epiſcoporum leges condiderunt, ſed ex canonum mente. 259

VII. Diſſeritur de eorundem jure in eligendis Epiſcopis: Hoc a Grotio aſſeritur argumentis duplicis generis, quorum alterum in ratione principatus, alterum in exemplis nititur. Principatus perpenditur ratio, quam Grotius profert. 260

VIII. Accedit oratio ad diſpicienda exempla, quæ promuntur. Conſilium aperitur Romanorum Imperatorum, qui Epiſcopos Eccleſiis dederunt. 262

IX. Iis prorſus tribuebatur, ut Epiſcopi Eccleſiis non præficerentur ſine ſua ipſorum aſſenſione. 263

X. Sermo injicitur de Juſtiniano, atque e re nata illæ partes explicantur, quæ C-Politanis Imperatoribus deferebantur in Romanorum Pontificum creatione. 264

XI. Gallicani Principes ante Carolum Magnum Romanos Pontifices non ita ſibi demeruerant, ut ab his poteſtatem creandorum Epiſcoporum impetraverint. Exponitur epiſtola Lupi Abbatis Ferrarienſis. 266

XII. Confictum eſt decretum illud Hadriani Papæ, in quo jus renuntiandorum Epiſcoporum & creandi Romani Pontificis Carolo Magno attribuitur. Id oſtenditur pluribus argumentis. 267

XIII. Horum argumentorum maximum illud

ſua eſt, quod ex hiſtoria ducitur eorum Pontificum, qui poſt Carolum Magnum Eccleſiæ Romanæ præfuerunt. 268
XIV. *Rejicitur auctoritas, quæ Hadriani decreto ex Leonis octavi Synodo adſtruitur.* 271
XV. *Principum jus, quod in eligendis Epiſcopis verſatur, ab ea liberalitate vires accepit, qua illi Eccleſias affecerunt. Nam Eccleſiæ ante Carolum Magnum ampliſſimis prædiis donatæ fuerant.* 272
XVI. *Accedit quod Carolinis temporibus Antiſtites juriſdictionibus & imperiis præficiebantur. Iſtud oſtenditur ex eorum militia & vacatione belli, quam ſæpe a Regibus impetrabant.* 274
XVII. *Item ex concordia inita inter Paſchalem II. & Henricum V.* 276
XVIII. *Proferuntur exempla juriſdictionum quas Epiſcopi gerebant ſub Dagoberto, Carolo Martello, Pipino, Carolo Magno, Ludovico pio & Carolo Calvo.* ibid.
XIX. *Concluditur, Principes, qui Epiſcopos eligi injuſſu ſuo non patiebantur, id præſertim ſibi adjunctum habuiſſe propter eximiam bonorum copiam, quam Eccleſiis intulerant. Huic ſententiæ non officiunt Onuphrius Panvinus & Nicolaus Cuſanus.* 281
XX. *Quid ſit* inveſtire Epiſcopos per annulum & baculum *in mediæ ætatis monumentis.* ibid.
XXI. *Eam ob rem paucis hiſtoria pertexitur contentionis, quæ Sacerdotium & Imperium diu exercuit.* 283
XXII. *Perſtringuntur ea, quæ Grotius Gomariſtis reſpondit objicientibus canonem trigeſimum Apoſtolicum, & ſecundam Nicænam Synodum.* 285
XXIII. *Carolus Magnus creationes Epiſcoporum Imperio non aſſeruit ſuo.* 286
XXIV. *Notatur denique Grotius, qui putavit Proculum poſt Siſinnii obitum Epiſcopum C-Politanum fuiſſe electum.* 287

AD CAPUT XI. Exercitatio Critica.

I. *Narratur quid Grotius agat in hoc capite.* 288
II. *Exponitur controverſia, quæ inter ipſos Calvinianos commiſſa eſt de Epiſcoporum origine & poteſtate.* 289
III. *Grotius medius eſt inter utramque ſectionem. Contendit tamen Epiſcopos ex Divina Lege non fuiſſe conſtitutos. Sed primum confeſſione urgetur ſua.* 292
IV. *Deinde pluribus refellitur argumentis, quæ ex ſacris tabulis colliguntur.* 294
V. *His argumentis vetuſtiſſimorum Patrum conſenſus adſtruitur.* 296
VI. *Aperitur Hieronymi mens, quem partibus ſavere ſuis Puritani & Grotius jactitant.* 299
VII. *Explicantur Auguſtinus & Epiphanius.* 302
VIII. *χειροτονια ſive* jus ordinandi *Presbyteris tribui non poteſt. Declaratur ſententia canonis Ancyrani.* 303
IX. *Brevi diluuntur omnia, quæ inepte objiciuntur.* 308
X. *Diſputatur, num exemplum Apoſtolicæ Hierarchiæ captum ſit a Templo Moſaico, num vero a deſcriptione Ethnicorum Sacerdotum, an denique a Synagoga. Pauc is oſtenditur, Apoſtolos, cum ex Divino præcepto Hierarchiam condiderunt, ad Moſaicum Templum reſpexiſſe.* 309
XI. *Iidem ad Sacrorum Miniſtrorum compoſitionem ſpectare non potuere, quæ erat apud Gentes.* 311
XII. *Grotio magis arridet ſententia, quæ conſtituit, Hierarchiam Apoſtolicam a Synagoga fuiſſe deſcriptam. Declaratur quid ille de ſtatu veteris Synagogæ ſenſerit.* 312
XIII. *Oſtenditur auctoritate Philonis & Joſephi in vetere Synagoga Presbyteros omnes fuiſſe pares in ordine & poteſtate.* 313
XIV. *Id ipſum probatur teſtimoniis Divinorum Scriptorum, qui omnes Synagogæ Presbyteros Archiſynagogos dixerunt.* 314
XV. *Oppoſuit Grotius Romanorum Imperatorum leges, ex quibus effecit, Synagogam fuiſſe gubernatam a Senatu Presbyterorum, cui unus Archiſynagogus præeſſet, qui & inter omnes poteſtate & gradu excelleret.* 315
XVI. *Hoc ipſum, quod Grotius dixit, plures viri docti ſentiunt: Attamen facile refelluntur. Magna enim imbecillitas eſt hujus argumenti, quod ad cognoſcendam veteris Synagogæ formam ducitur ex libris Romani juris.* 317
XVII. *Quinimo ſi Romanorum leges recte accipiantur, ex iis perſpicuum erit Synagogæ regimen reſediſſe penes Presbyteros gradu & poteſtate pares. Ergo concluditur,*

tur, non potuiſſe ex Synagoga deſcribi Apoſtolicam Hierarchiam, in qua Presbyteris unus Epiſcopus ordine ab iis diverſus præſidebat. 320
XVIII. Retexitur quæſtio de temporariis presbyteris, quam Grotius pertractavit. ibid.
XIX. Atque is primum confecit, hujuſmodi Presbyteros ex Divino jure ortos non eſſe, nec in priſca Eccleſia extitiſſe. Optime enim rejecit Gomariſtarum, qui contra ſentiebant, argumenta. E re nata diſſeritur de Synedrio Hebræorum, cujus antiquitas multis rationum momentis abrogatur. 324
XX. Sed deinde Grotius ad ineundam cum Gomariſtis concordiam dixit, Presbyteros temporarios conſtitui potuiſſe vel Principum juſſu, vel Eccleſiæ mandato. Contra probatur, fas non fuiſſe eos creari, idque ex munere, quod ipſis tribuitur. 325
XXI. Explicantur exempla, quæ ad eam rem ex Hebræorum & Apoſtolorum ſcriptis Grotius decerpſit. 326
XXII. Item illa, quæ ex Eccleſiaſtica Hiſtoria collegit. 327

AD CAPUT XII. Exercitatio Critica.

In Blondellum Exercitatio Critica. 332
I. Blondellianæ diſſertationis capita breviter exponuntur. 333
II. Ratio, quæ ad eam refellendam adcommodata eſt. 335
III. Declaratur locus, qui legitur in capite Matthæi decimo octavo. ibid.
IV. Pluribus reiiciuntur Richeriani, quorum in factione Blondellianæ opinionis caput verſatur. 336
V. In quam ſententiam loquuti fuere Patres, qui claves Eccleſiæ eſſe creditas docuerunt. 339
VI. Blondelli argumenta, quæ ex Sacris novi Fœderis libris repetuntur. 341
VII. Ea explicantur. ibid.
VIII. Adſtruuntur alia Blondelli argumenta. 343
IX. Hæc quoque diluuntur. 344
X. Periochæ Clementis interpretatio. 346
XI. Diſſeritur de mente Polycarpi in Epiſtola ad Philippenſes, & Dionyſii Corinthiorum Præſulis in Epiſtola ad Romanos. 348
XII. Quænam fuerint partes Chriſtianæ Plebis in judiciis canonicis, & in recipiendis iis, qui, quum ab Eccleſia extorres eſſent, ad eam redire exoptabant; idque ex Tertulliano aliisque priſcis Doctoribus. ibid.
XIII. Origenes & Cornelius Papa enucleantur. 350
XIV. Veteris Eccleſiæ politia ex Cypriano. 351
XV. Senioribus Plebis nulla fuit juriſdictio in regenda Eccleſia. ibid.
XVI. Diſputatur de poteſtate Principum in Sacris. Photinus non judicio Senatorum, quos Conſtantinus dederat, ſed damnatus eſt pluribus in Conciliis, quorum Epocha conſtituuntur. 352
XVII. Principes interfuere conciliis mediæ ætatis, quæ coacta fuere apud Hiſpanos, Gallos, Germanos & Anglos, qui etiam canonicis decretis ſubſcripſerunt. Duo in cauſſa fuere, cur ita res ſe habuerit. Prima cauſſa exponitur. 354
XVIII. Adſtruitur altera, quæ ex civili eorum temporum politia exoritur. 356
XIX. Gallicani Reges & Proceres in temporibus Baſileenſibus & Tridentinis non regiminis Sacri poteſtatem, ſed Eccleſiæ tutelam imperio tribuerunt ſuo. 357
XX. Summa eorum Principum impudentia, qui non modo in animum induxerunt ſibi delatum eſſe munus emendandæ Religionis, ſed etiam Eccleſiaſticam Hierarchiam abrogarunt, ut Plebis Senioribus Sacrorum imperium mandarent. 359

ERRATA	CORRIGE
Pag. 332. Diatribæn	Diatriben

Cætera ſuppleat humaniſſimus lector.

DE IMPERIO SUMMARUM POTESTATUM CIRCA SACRA.

CAP. VII.

De Synodis.

SUMMARIUM.

1. *Synodi vox explicatur*. 2. *Origo Synodorum petitur a jure naturæ. Ibidem diſtinctio naturalium abſolute & naturalium ſecundum quid explicatur*. 3. *Synodos non eſſe Juris naturalis abſoluti*. 4. *Interdum imperari quædam recte a Summis Poteſtatibus abſque Synodo probatur exemplis*. 5. *Idem probatur ex triplici fine Synodorum, qui ſunt conſilium, conſenſus, exercitium Juriſdictionis conceſſæ*. 6. *Oſtenditur hos fines non ſemper neceſſarios: nec Synodos ad hos fines*. 7. *Oſtenditur interdum noxias eſſe Synodos. Obiter accuſatores non debere in Synodis judicare*. 8. *Jus Imperandi abſque Synodo ad ſolum caſum collapſæ religionis male referri*. 9. *Quos penes jus ſit eligendi mittendos ad Synodum*. 10. *Mos ea in re veteris Eccleſiæ*. 11. *Licere id Summæ Poteſtati ratione & exemplis oſtenditur*. 12. *Aliis permiſſa electione, manere Summæ Poteſtati Imperium in electionem*. 13. *Judicare in Synodo poſſe Summas Poteſtates & an id expediat diſtincte quæſitum*. 14. Επικριτιν *poſt Synodum competere Summæ Poteſtati rationibus & exemplis probatur*. 15. *Huic ineſſe jus mutandi, demendi, addendi*. 16. *De modo exercendæ* επικρισεως. 17. *Hoc jus locum habere etiam cum non de tota religione agitur*.

EXIGIT hic locus ut de Synodis agamus, quarum ſaluberrimam in Eccleſia eſſe auctoritatem, imperitus ſit qui neſciat, inverecundus qui neget. *Synodos* Græci interdum vocant qualeſcunque *cœtus* etiam ſingularum Eccleſiarum, ut in Ignatio & edictis Conſtantini videre eſt, ſed magis uſitate & origini convenientius ea vox non quemvis conventum indicat, ſed talem in quem multi diſsitis ex locis coeant. Diſtat ergo Synodus a *Senatu*, qui Græcis συνεδριον, πρεσβυτεριον, γερυσια, quia *Senatus* collegium eſt conſtans e certis perſonis, una in urbe locove commorantibus: at Synodus collegium non eſt, neque definitas habet perſonas. *Concio* enim (Græci εκκλησιαν aut συναγωγην vocant) hoc ſenſu *Synodus* non eſt:

eſt enim *conventus ejus multitudinis quæ eandem urbem inhabitat*: At conventus Ordinum regni alicujus ut Latine *Concilium*, ita Græce σύνοδος recte dicitur. Quare & in Hungariæ decretis conventus Epiſcoporum & Optimatum regni *Synodus* vocatur. Et Carolus Magnus *Patritius Romanorum* declaratur *in Synodo* (*): hoc eſt *Ordinum conventu*, ut recte explicuit vir doctiſsimus, & de Imperio Germanico ſiquis umquam bene meritus, Melchior Goldaſtus. Ipſa decreta oſtendunt Synodum conſtitutam *ab Epiſcopis*, *Abbatibus*, *Judicibus* (hoc eſt *comitibus*) *& legum doctoribus*, qui ſcilicet civitatum erant legati. At tales Synodi fuere pleræque Francorum & Gothorum, quarum capitula permixte de ſacris profaniſque rebus agentia habemus in Conciliorum tomis. Talis Synodus in Optimatum Republica, qualis Romana fuit, Caroli Magni temporibus excuſſo Imperii Bizantini jugo, eſt ipſa Poteſtas Summa. In Regno autem abſoluto eſt conſilium Regis optimum maximumque. Nam omnes Germanicæ originis Reges atque Imperatores duplici conſilio antiquitus utebantur; altero ſtatario, qui *Senatus* dicitur, ad res quottidianas, altero evocato, qui *Conventus* aut *Concilium Ordinum* ad res momenti majoris. Hinc in Synodo Sueſsionenſi ita loquitur Pipinus: (**) *Per conſilium Sacerdotum & Optimatum ordinavimus conſtituimus & diximus*. Et in Toletana Synodo IV. *Patres conſonam cum Rege ſententiam ſanciunt ſimul cum Optimatum & Illuſtrium virorum conſenſu*. (***) Ita enim habent verba. Sic & Principum, id eſt, τῶν ἀρχιφυλῶν καὶ πατριαρχῶν, *Principum tribuum & familiarum* conventum ſæpe Reges Judæi habuere, ſive de profanis, ſive de ſacris conſultarent. Nam & Paſchatis indictio eam ob cauſam Regi Ezechiæ ſimulque Principibus tribuitur (*a*): quomodo & Niniviticum jejunium *a Rege & Proceribus* indicitur (*b*). Sicut autem omnium Ordinum conventus, ita & Synodi ſunt unius Ordinis hominum multis e locis convocatorum. Specialiter autem obtinuit uſus, ut *Synodi* nomine veniant conventus, qui, aut ex ſolis Eccleſiarum paſtoribus, aut ex illis præcipue inſtituuntur, communis actionis gratia. Nam ſi Paſtores in unum convocentur, ut imperata audiant, eum cœtum, non arbitror *Synodum* vocari, ut nec populus ad legem audiendam vocatus *Concilium* dicitur.

2. Harum Synodorum cum evidens ſit utilitas, quæ ſit origo, quæque neceſsitas diſputari ſolet. Præceptum habendæ Synodi in lege Divina nullum reperio, qui vero exempla præceptis adæquant, inſigniter falluntur. Neque ideo ſupervacuo quiſquam in ſacris libris exempla putet poſita, etſi per ſe præceptorum vim non habeant. Magnus enim eorum uſus eſt, ut appareat, primum quid tritum ſit, deinde quid iiſdem circumſtantiis occurrentibus prudentiæ ſit imitari. Ex Veteri Teſtamento ne exempla quidem Synodorum produci video: aliud enim eſt, ut diximus συνέδριον, *Senatus*, aliud σύνοδος, *Synodus*. Convocati quidem interdum diverſis è partibus Levitæ, aut ſoli aut cum cætera plebe, ſed ut audirent imperata, non ut ſententiam promerent. Convocavit Ezechias Sacerdotes & Levitas, & congregavit eos in plateam Orientalem; ac dixit eis, *Auſcultate mihi, o Levitæ, jam ſanctificate vos*; & quæ ſequuntur (*c*). In novo fœdere legem habemus de Piorum conventibus ad preces faciendas, ad audiendas admonitiones e ſacris literis, *ad frangendum panem*.

(*) *A. D.* 774. (**) *A. D.* 744. *Mart.* 2. (***) *A. D.* 633.
(a) 2. *Chron.* 30. (b) *Jon.* 3. 7. (c) 2. *Chron.* 29. 5.

panem. Ex his Synodorum omnimodam neceſſitatem non recte exſirui quivis videt. Læſus a fratre rem jubetur *Eccleſiæ*, id eſt, *piorum cœtui* indicare: additurque daturum Patrem *quod duo treſve conſentientes oraverint*, & *ſi duo treſve convenerint in Chriſti nomine*, Chriſtum ipſis affuturum (*a*). Et Paulus cum jubet (*b*), *Prophetarum ſpiritus Prophetis ſubjici*, ad unius Eccleſiæ Prophetas proprie reſpicit: ut ipſe verborum contextus evincit. Initium ergo Synodorum peti ſolet ex hiſtoria, quæ eſt *Actor.* 15. Sed an is conſeſſus, cujus ibi eſt mentio, *Synodus* recte vocetur, hac notione, quæ nunc hujus vocis propria eſt, in dubium vocari poteſt. Controverſia erat orta inter Paulum & Barnabam, & Judæos quoſdam Antiochiæ agentes, de legis Moſaicæ vi & efficacia: mittuntur Paulus & Barnabas & cum his Antiocheni aliquot exploraturi ſententias, Paſtorumne ex Aſia omni, aut certe ex Syria, Cilicia, & Judæa in unum locum congregatorum? minime vero: ſed *Apoſtolorum & Presbyterii* Hieroſolymitani, Apoſtolorum cœtus, collegium erat, non Synodus: Presbyterium quoque unius Urbis Synodus vocari non poteſt. Conſulitur ergo una dumtaxat Eccleſia, imo quod verius puto, conſuluntur proprie & reſpondent Apoſtoli, quorum auctoritati conſenſum ſuum adjiciunt *Presbyteri & Fratres* Hieroſolymitani (*c*). Unde ergo Synodorum originem petimus? ex Jure nimirum Naturæ, poſito ante conſtitutionem Eccleſiarum & Paſtoralis muneris ex lege Divina. Quum enim omnis homo ſit animal ἀγελαῖον, *ſociabile*, natura hominum conſociationem permittit, imprimis autem eorum quibus aut contemplatio aut actio aliqua inter ſe communis eſt. Ita Mercatoribus quæſtus communis cauſa, Medicis & Juriſconſultis ad examinandas artis ſuæ controverſias coire naturaliter licet. Diligenter autem hic diſtingui debet id quod *naturale* dicitur. Alia enim juris Naturæ ſunt abſolute non obſtante quocunque facto humano: alia vero ſecundum quid, ſecluſo ſcilicet facto humano. Priore modo *naturale* eſt DEUM revereri, amare parentes, innocenti non nocere. Hæc enim ita ſunt naturalia, ut omnino ſint immutabilia. Secundi generis *naturalia* ſunt, rerum communio, perſonarum libertas, proximorum ſucceſſiones. Nam res natura communes ſunt, donec facto humano dominia diſtinguantur; Liberi ſunt homines, donec in ſervitutem redigantur; Proximi hæredes ſunt, niſi teſtamento aliter ſit cautum. Ita & per naturam jus nobis eſt ea faciendi omnia, quæ per ſe turpia non ſunt. Sed hoc jus eouſque durat, donec humana lege aliquid propius ſit conſtitutum. Hinc illa exceptio Perſii,

Cur mihi non liceat, juſſit quodcunque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit.

3. Synodos igitur habere Juris eſt naturalis ſecunda illa acceptione. Nam ſi priore modo naturale eſſet, nunquam Epiſcopi ab Imperatoribus conveniendi veniam poſtulaſſent. Et mendoſe Hieronymus Synodum vitio habitam hoc argumento probaret. *Monſtra mihi, quiſnam Imperatorum celebrari id concilium juſſerit.* Eſt ergo Synodi conventus in numero earum rerum, quæ jure Naturæ permiſſæ, legibus humanis præcipi, permitti aut prohiberi ſolent. Ideoque in Concilio Agatenſi (*) monentur Epiſcopi, ad Synodum vocati adeſſe, *niſi gravis infirmitas corporis aut præceptio Regia impediat*. Objici hic poſſe video nunquam a paganis Imperatoribus pe-

 titam

(a) *Matth.* 18. 17. (b) 1. *Cor.* 14. (c) *Act.* 15. (*) *A. D.* 506.

titam veniam cogendæ Synodi; ſed notari debet non opus fuiſſe venia, ubi nulla obſtarent Imperatorum edicta. Vetera autem Senatus conſulta Romana contra coitiones facta eos excipiebant, qui religionis cauſa coirent, (*a*) & ſpeciatim Judæis hoc ab Auguſto conceſſum, ut Philo narrat in legatione ad Caligulam; quorum privilegiis Chriſtiani optimo jure ſe tuebantur: ut qui cum Paulo (*b*) veriſsime poſſent profiteri, ſe *credere omnibus, quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt*. Sane Suetonius quoque *Judæorum* nomine Chriſtianos deſignat. Adde jam quod in illis partibus quibus Synodi pleræque ſunt celebratæ, non tam Romano jure, quam propriis legibus vivebatur. Hinc Eranos Amiſenis vult permitti Trajanus, (*c*) quia beneficio Imperatoris legibus ſuis utebantur, *in cæteris*, inquit, *civitatibus quæ noſtro jure obſtrictæ ſunt, res ejuſmodi prohibenda eſt.* Atque adeo in Aſiæ urbibus hetærias fuiſſe ad Trajani uſque tempora ex Plinii relatione apparet (*d*). Quare ſi quando Eccleſiæ pacem haberent, quod ſub Imperatoribus paganis ſæpiſsime accidit, nihil obſtabat quo minus Epiſcopi in Synodos convenirent. Flagrante autem Imperatorum ſævitia, ſicut Eccleſiaſticos cœtus, quamquam humanis legibus interdictos, ob divinum præceptum Chriſtiani intermittere non poterant, ita non commiſerunt Epiſcopi, ut per ſuſpectas congregationes, ſi modo eis Eccleſiæ ſtatus carere poterat, odia dominantium accenderent. Oſtendit ſane non uno loco Cyprianus, cum ſub perſecutione gravis orta quæſtio *de lapſis ad communionem recipiendis* commune conſilium depoſceret, non ante tamen quam perſecutione ſopita conveniſſe Epiſcopos, nec eſt auſus Liberius Romæ Epiſcopus Synodum convocare nolente Conſtantio. Orthodoxi (*) Hiſpaniæ (**) Epiſcopi non ſine permiſſu Regis Alarici, quamquam Ariani, in civitatem Agathenſem convenerunt. Sed quod pagani Imperatores ſuſque deque habuerunt, id Imperatores Chriſtiani merito ad curam ſuam atque arbitrium revocarunt: quippe gnari quo quidque bonum exiſtens eſt melius, eo corruptum pejus effici. Inde adeo non in medio relictæ Synodi, ſed aut præceptæ, aut vetitæ fuerunt, prout ſpes ex illis aut metus affulſerat. Itaque Socrates Hiſtoricus maximas Synodos ex Imperatorum arbitrio habitas ait: quod etſi de Œcumenicis Imperii Romani proprie dictum videtur, tamen Conſtantinus Topicas convocavit; ad eas enim ſpectat illud Euſebii (*e*) *Eccleſiæ DEI peculiarem curam gerens, ortis varia per loca diſſidiis, ipſe tamquam communis a DEO conſtitutus Epiſcopus, concilia Miniſtrorum DEI indicebat*. Poſt acta Nicænæ Synodi a Conſtantino firmata, locum conſenſus ſpecialis lex generalis implevit, qua imperatum ut bis anno haberetur. Quod actis Conſtantinopolitanæ Synodi & Chalcedonenſis repetitum, neque Juſtiniani tantum Novellis, (*f*) ſed & Caroli Magni Capitulis adſcriptum eſt, aliis temporibus & locis videas hactenus ab ea lege diſceſſum, ut pro ſemeſtribus annuæ fierent. Neque vero conventus, Epiſcoporum libertati permiſſus, ſed Præſidibus Provinciarum data ſunt mandata, ut detrectantes in Synodum cogerent congregari (*g*). At præter ſtatas Synodos, aliæ quoque extra ordinem habitæ Imperio Summarum Poteſtatum. Ita paſsim Franci,

(a) *L.* 1. §. *ſed Relig. D. de Colleg.* (b) *Act.* 24. 14. (c) *Epiſt.* 94. *ad Plin.* (d) *Epiſt.* 97. (*) *A. D.* 106. (**) *Gallia Narbonenſis non Hiſpania. Agathæ non Hiſpanus unus omnium.* (e) *Lib.* 1. *de vita c.* 37. (f) *Nov.* 123. *cap.* 10. (g) *Nov.* 133. *cap.* 6.

ei, Galli, Hiſpani in Synodum ſe conveniſſe teſtantur, (*) Regum ſuorum *Imperio, juſſu, præceptione*, quod non totius regni conventibus peculiare, ſed minoribus quoque Synodis uſitatum ex Aquilienſi diſcas: ita enim Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium alloquuntur Epiſcopi; (1) *ad removendas altercationes congregare ſtuduiſtis Sacerdotale Concilium*. (**) Bithyniæ quoque & Helleſponti Epiſcopi (2) Valentinianum rogarunt ut ſibi in unum conveniendi poteſtas permitteretur.

4. Tria autem ſunt quæ maxime diſputari ſolent de jure atque officio Summarum Poteſtatum circa Synodos: Primum eſt, liceatne Summæ Poteſtati aliquid imperare in rebus ſacris abſque Synodo: Secundum, quid illi liceat, quidque eam facere oporteat, ante Synodum & in Synodo: Tertium quid poſt Synodum. Ad primam quæſtionem excutiendam neceſſe eſt intelligi, omnia ea quæ de ſummis Synodorum utilitatibus veriſsime diſſeruntur, ad modum utendi juris, non ad jus ipſum pertinere. Nam ſi jus aliquid Imperandi a Synodo acciperet Summa Poteſtas, jam Summa non eſſet. Ea enim Summa eſt quæ Soli DEO eſt obnoxia, & quæ ſub DEO pleniſsimum Imperandi habet jus. Rurſum ſi Summa Poteſtas ſine Synodo non poſſet id ipſum Imperare quod poſſet cum Synodo, jam partem juris Imperandi acciperet a Synodo, quumque *nemo det quod non habeat*, ſequeretur aliquod Imperium eſſe penes Synodum, quod Imperium, ubi Synodus jure humano non habet, deberet ſibi jure Divino vindicare, cum tamen lex Divina Eccleſiæ, ac proinde & Synodis a DEO datum Imperium neget, ut ſupra oſtendimus. Jure conſtituto, quæritur, an recte unquam Summa Poteſtas aliquid imperet in ſacris abſque Synodo? Interdum id fieri poſſe intrepide aſſerimus. Univerſaliter id nefas dicentibus incumbit probatio, quam nunquam implebunt. Neque tamen nobis quod probare non tenemur, probatu difficile eſt. Suppetunt enim primum Regum Hebræorum exempla plurima, qui multa imperarunt, non præeunte Synodo. Exponam Elienſis potius Epiſcopi, quam meis verbis: *Enimvero & de aliis ſæpe & præcipue de ea (quod populus adoleret in excelſis) corruptela per Reges non ſublata, toties, tam clara voce, de Regibus queruntur ſacræ literæ, ut locus nullus negationi ſit relictus. Non negat ergo Regi Tortus id ex officio incumbere, ut etiam, qui in doctrina ſunt, abuſus & corruptelas tollat*, ſed poſt *Eccleſiæ declarationem. Nos vero citra declarationem omnem, ubi repurgatæ ſunt corruptelæ per Reges docemus. Tortus vero loca aliquot apponere debuit, ubi illa Eccleſiæ declaratio præceſſerit, quæ niſi præceſſit, Regis nullum tum erat (ut videtur) officium, ſed Regi erat in promptu excuſatio: Non ſuſtuli; Eccleſia enim non declaravit. Eccleſia proinde culpanda, non Rex, qui nihil movere debet, nec excelſa diruere, niſi poſtquam id ita faciendum declaravit Eccleſia; atque id Regi ſemper, Eccleſiæ nunquam vitio datum legimus, quod excelſa ſteterint: Regi ergo ſive declaret hoc, ſive non declaret, etiam ante Eccleſiæ declarationem id ex officio munus incumbit, deque eo neglecto DEO rationem redditurus eſt. Tota igitur mentio declarationis Eccleſiæ præterquam quod* ficti-

---

(*) *A. D.* 381. *Ex Italica, Gallica, Africana, Illyricana Diœceſi.*
(**) *A. D.* 365.
(1) *Soz. l. 6. c. 7.* (2) *Valentem rogarunt ſub cujus imperio vivebant, non Valentinianum in Occidentali orbe regnantem.*

ſacritia eſt, hic etiam eſt intempeſtiva. Rex etiam Ninives ad Jonæ comminationem jejunium indicit, nulla ſacerdotum ſuorum prævia definitione, de ſua Procerumque ſententia. In Chriſtianiſmo inſignis eſt Theodoſii hiſtoria (*), quam antehac citavimus. Medius inter plurimas Epiſcoporum factiones audit ſingulos, confeſsiones legit, Deum precatur, judicat & ex vero pronuntiat. Notetur autem annos tum ferme ſexaginta exiiſſe, poſtquam habita illa erat auguſtiſsima Synodus Nicæna. In Conſtantinopolitana autem prima, quam convocaverat Theodoſius (**), quod quæſtionem de perſona Filii attinebat (1) nihil additum Nicænæ fidei; Quæſtio autem hinc oriebatur, connexa quidem Nicænæ definitioni, ſed tamen aliis verbis concepta, & in qua errare poſſent etiam qui Nicænam formulam ſequi ſe faterentur, nempe an ὁ λογ© *Verbum* haberet ἀρχην ὑπαρξεως *ſubſiſtentiæ principium*. Deinde offerunt Imperatori confeſsiones ſuas non Ariani tantum & Macedoniani, ſed & Eunomiani, in tantum ab Arianis differentes, ut Arianos non minus quam Catholicos rebaptizarent. Legit confeſsiones ſingulas, de ſingulis judicat. Nec tantum Catholicos ab errantibus ſeparat, ſed ipſos quoque errantes inter ſe diſcernit, Novatianos cæteris tolerabiliores judicans. Antehac, qui contra Pontificios ſcripſere, diſerte urgent, *Imperatorem legiſſe ſcripta, opem imploraſſe, non ad veritatem traditam agnoſcendam, ſed eam multis diſſenſionum anfractibus implicatam eliciendam*. Brentii eandem hiſtoriam narrantis ſunt hæc verba: *Quis hic eſt in controverſia doctrinæ Eccleſiaſticæ Judex? Primum Imperator non accedit ipſe ad Epiſcopos tanquam Dominos ſuos, ſed vocat eos tanquam ſervos ad aulam ſuam: deinde accepto cujuſque Epiſcopi ſcripto, non eſt contentus illius aut iſtius Judicio, ſed proſternit ſe precibus coram DEO Patre Domini noſtri JESU CHRISTI, ut gubernet Spiritu ſancto mentem ſuam, quo inter tot diverſas religionis ſententias eligat eam, quæ cum doctrina vere Apoſtolica conveniat.* Adeo nihil tam clarum eſt, quod non partium ſtudia obnubilent, ut inventi nunc ſint, qui hoc ipſum quod contra Pontificios defenſum eſt everterent, nequid intactum remaneret, quod ad jus Summarum Poteſtatum tuendum facere videretur. Ad alia exempla tranſeamus. Conſtantinus ipſe Proconſuli Donatiſtarum cauſam cognoſcendam mandavit (***) neque eo nomine Imperatorem reprehendit Auguſtinus, ſed oſtendit fuiſſe optabilius ut res per Synodum tranſigi potuiſſet. Ejus verba ſunt, (*a*) *Ait quidem Donatiſta, non debet* (2) *Epiſcopus Proconſulari Judicio purgari: quaſi vero ipſe ſibi hoc comparaverit; ac non Imperator hoc quæri juſſerit, ad cujus curam de qua rationem DEO redditurus eſt, res illa maxime pertineat*. Eſt & aliud exemplum in cauſa eorundem Donatiſtarum. Marcellinus enim (****) vice Imperatorum judicavit. Ita enim habet mandatum Honorii & Theodoſii: *Cui quidem diſceptationi principe loco te Judicem volumus præſidere*. Ipſe Marcellinus modeſte admodum: *Licet ſupra meritum meum hoc cognoſcam eſſe Judicium, ut inter eos videar judicare, a quibus me potius decuerat judicari: tamen quia certum eſt hanc cauſam ſpectante DEO & Angelis teſtibus agitandam, quæ ſub fidei*

(*) *Anno circiter* 383. (**) *A. D.* 311. (1) *Imo auctæ pluribus locis ab anno circiter* 380. *Vide D. Jacobi Uſſerii libellum de* 3. *Symbolis.* (***) *A. D.* 314. (*a*) *Epiſt.* 162. (2) *Felix Abcugnitanus.* (****) *A. D.* 411.

fidei cæleſtis examine vel probata præmium adferat, vel læſa Judicium: ut tandem præſentium diſceptationibus Epiſcoporum manifeſta veritas eluceſcat, Imperialis primitus ſanctio recitetur. Verſatum videmus in hoc judicio fidei examen, ita & poſtea in edicto ſequitur, *negotium iſtud de veritatis ac Religionis agnitione ſuſcipi*. Et, cum Catholici alia quædam Donatiſtis objicerent, interfatur Marcellinus, *Libellus datus a vobis evidenter oſtendit ſchiſmatis ac hæreſeos crimen objectum, quod probare vos convenit*. Legant hæc qui ita hinc ſe ſperent poſſe elabi, ſi dixerint de Circumcellionum delictis præcipue inſtitutum judicium; cum de Circumcellionum latrociniis non niſi obiter tractatum fuerit; Imo cum eorum probatio in Judicio prolata non ſit. Iſtæ autem quæſtiones, *quæ ſit Eccleſia Catholica*, *quæ veræ ejus notæ*, *quæ juſtæ ſecendendi cauſæ*; &, *an rebaptizandi ſint hæretici*, magna cum cura diſputatæ excuſſæque fuerint, tandemque, ut in ſententia eſt Marcellini, *declaratæ veritati detecta falſitas*, juſſa ſit colla ſubmittere. Erat autem hæc cognitio non a Donatiſtis, ſed a Catholicis poſtulata. Imitatos hæc exempla Reges, Poteſtateſque Summas alias quæ parentum noſtrorum memoria Eccleſias ab inveteratis erroribus repurgarunt, alibi apertum fecimus. Neque vero culpamus eorum induſtriam, qui in factis iſtis circumſtantias notant, ob quas id aliter fieri non potuerit, aut ita potiſsimum debuit fieri. Quin agendi quoque hunc modum extraordinarium eſſe, hoc eſt minus frequentem minuſque ſolitum, libenter damus: ſed, ut ante diximus, agendi modus pro temporum perſonarumque ratione diverſus non facit jus novum; ſed ex jure jam exiſtente ſecundum prudentiæ regulas exigi debet. Nec quiſquam aſſerit ſine cauſa omittendam Synodum, ſed cur omittatur, cauſas interdum eſſe poſſe. Cauſæ autem hæ ad hæc capita poſſunt referri: aut quia neceſſaria non eſt Synodus, aut quia apparet inutilem futuram.

5. Ut intelligatur utrumque, conſtare debet, qui ſint fines Synodi in Eccleſia publica: nam de ea agimus. Non ideo convocari Synodum quod in ea pars ſit Imperii, ſatis jam demonſtratum arbitror. Finis ergo, ut Epiſcopus Wintonienſis recte notat, hic eſt, *ut ad veritatis & pietatis amplificationem conſilium Principi præbeant*, hoc eſt, præbeant *ipſi* judicio directivo; ſicut *Carolomannus* a Synodo Gallica de Divina lege in uſum revocanda conſilium petit (*a*); & Ludovicus Pius Synodo Ticinenſi capitula mittit, ſuper quibus conſilio vult inſtrui (*b*). Ego & alterum addidi, ut per Synodum ſtabiliri, teſtataque fieri poſsit conſenſio Eccleſiæ: Nam & Apoſtolis ad definiendam de Moſaicis cæremoniis controverſiam nec ſcientia nec auctoritas ſeorſim defuit: ſed ex re Eccleſiæ viſum eſt refelli eos, qui paſſim ſpargebant, diſsidere inter ſe Apoſtolos, ſimulque multos pios ita inſtitui, ut verum & intelligerent recte & concorditer faterentur. Sic & Rex Recaredus cum Arianiſmo vellet purgare Hiſpaniam, non in hoc Synodum vocavit, ut de vera fide ipſe inſtrueretur, ſed orthodoxam confeſsionem a ſe conceptam Epiſcopis exhibuit. Addi inſuper poteſt & tertium hoc: In Eccleſia publica ut Presbyteria, ita & Synodos, præter nativum Jus, habere adventitium quoddam ex lege humana. Ex quo jure de controverſiis cognoſcunt, ut alii conſeſſus aut conventus a Summa Poteſtate inſtituti, ita ut eam cognitionem coactio ſequatur.

6. Omnium

(a) *Synod. Franc. Tom.* 11. *pag.* 456. (b) *Conc. Tic. in Pr.*

6. Omnium autem horum finium nullus eſt neceſſarius ſimpliciter : neque Synodus ſimpliciter ad illos fines neceſſaria. Conſilium non eſt neceſſarium in his rebus, quæ certo patent cuiquam lumine naturæ, aut ſupernaturali. Nam ut Ariſtoteles recte dixit; *Conſiliarios adhibemus ad res magnas quoties nobis ipſi diffidimus* (*a*), quaſi qui ſoli ad diſcernendum non ſufficiamus. Ideo ait Paulus, *poſtquam revelatus ipſi erat* Chriſtus, *ſe cum carne & ſanguine rem non communicaſſe, neque Hieroſolyma iiſſe ad Apoſtolos ante ſe vocatos*. (b) *Fuiſſet extremæ abſurditatis*, (inquit Chryſoſtomus (c)) *eum qui a DEO edoctus fuerat, cum hominibus communicare*. Et Clemens Alexandrinus : *quoniam ipſum verbum ad nos venit de Cælo, non eſt amplius eundum ad hominum doctrinam* (d). Si quis DEUM eſſe, aut curare humana, aut Judicium poſt hanc vitam exercendum neget, ſiquis DEUM omnium peccatorum vere auctorem ſtatuat, ſiquis Christi Deitatem aut peractam per Christum ἀπολυτρωσιν, *redemptionem*, neget, quis dubitet, quin homo tam profanus Imperio Summæ Poteſtatis aut e publico munere aut e Republica ejici poſſit, etiam non multis in conſilium adhibitis? Notabilis eſt Auguſtini ſententia : *Aut vero congregationi Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit; cum potius rariſſimæ inveniantur propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit* (e)? Sic Epiſcopus Rom. Leo ad Theodoſium Juniorem ſcribit; *Cum evidens eſſet fidei cauſa, rationabilibus cauſis ab indicenda Synodo abſtinendum* (f). Rurſus fieri poteſt ut Summa Poteſtas ex Oecumenico conſenſu aut Synodo pridem habita, certitudinem tantam habeat, ut nova Synodo non ſit opus, ſicut Theodoſio ad dijudicandam controverſiam prælucebat Synodus Nicæna, ut ei opus non eſſet aliam Synodum convocare. Ergo nec ad conſilium ſufficiens habendum Synodus abſolute eſt neceſſaria. Ad conſenſum vero Eccleſiæ explorandum aut conſtituendum quod attinet, interdum fruſtra de eo laboraretur, quippe ubi appareat in duas ſententias ſciſſam Eccleſiam, æquatis ferme & partibus & partium ſtudiis, quod in Africa evenit Donatiſtarum tempore (*). Interdum & conſenſus cognoſci poteſt abſque Synodo: puta ſi ſcripta exſtent conſentientia ferme eorum omnium qui in ſuis Eccleſiis probati Doctores habentur. Adde jam poſſe & domi ſingulos ſcripto aut voce quid ſentiant profiteri; quod Auguſtinus ſuo tempore factum memorat laudatque : Et qui ad veteres hiſtorias diligenter attenderit, facile reperiet ſæpius literarum communicatione, quam per Synodos res Eccleſiæ fuiſſe tranſactas & teſtatam conſenſionem, quod a Bilſono quoque Rainoldo & Magdeburgenſibus obſervatum eſt. Fieri etiam poteſt ut quæ tractatur cauſa ita unius Eccleſiæ ſit peculiaris, ut aliarum conſenſum non requirat. *Tam grande* (ſcribit Cypriano Clerus Romanus (g)) *petitur conſilium, quam late propagatum videtur eſſe malum*. Tertium autem illud ob quod haberi Synodos diximus, cum a Summa Poteſtate emanet, omnino ejuſdem arbitrio ſubeſt: & quamquam ordinarie præteriri non ſolent conſeſſus infra Summam Poteſtatem poſiti, tamen ſi illi conſeſſus aliqua de cauſa

---

(*a*) *Ethic.* 3. 5. (*b*) *Gal.* 1: 16. 17. (c) *In Gal. c.* 1.
(*d*) *Orat. ad Gent.* (*e*) *Adverſus* 2. *Epiſtolas Pelag. lib.* 7. *c.* 12.
(*f*) *Epiſtola* 17. (*) *A. D.* 448. (*g*) *Epiſt.* 31.

cauſa ſuſpecti ſunt, aut res moram non ferat, permiſſum eſt Summæ Poteſtati cauſam evocare. Conſtitutum ergo ſit, non ſemper nec quavis de cauſa Synodos neceſſarias, quod Wittakerus aliique antehac ſcripto prodiderunt, & exemplo docent ſuo Eccleſiæ liberarum Civitatum, quæ citra Synodi opem ſatis ſe commode ſuſtentant.

7. Nec tantum non neceſſariæ, ſed & inutiles eſſe Synodi poſſunt, quales enim partes, tale totum quod ex partibus conſtat. Non repetam hic veterem omnium fere ſæculorum querelam, præcipuos morborum in Eccleſiam a Sacerdotibus invectos; Sufficiat quod de ſuis temporibus dixit Nazianzenus (*a*), ubi præcipuas etiam refert cauſas Eccleſiaſticorum φιλαρχιαν και φιλονεικιαν *ambitionem & diſputandi libidinem*, neque agit de Arianis dumtaxat Synodis; ſed de omnibus ſuorum temporum, præcipue quibus ipſe interfuit; ſequitur enim: *Ideo memet ſubduxi, & in quiete ac ſolitudine animi ſecuritatem collocavi.* Accidet autem hoc, ſi appareat aut præjudiciis vehementibus impediri Judicii integritatem (quod hominibus etiam non malis ſolet evenire) aut etiam ita omnia factionibus agi, ut Synodus non conſenſui teſtimonium, ſed diſſenſui præbitura ſit alimentum. Non poſſum ſatis mirari quid nonnullis in mentem venerit, ut dicerent, ipſos illos qui Impietatis aliquem accuſaſſent, ejuſdem judices in Synodo eſſe poſſe: neque jus recuſandi, quod in civilibus negotiis valet, ad Eccleſiaſtica poſſe extendi. Nam profecto communes regulæ, quæ ex naturali æquitate veniunt, in Eccleſiaſticis non minus quam in aliis judiciis obtinere debent. Et proprie de Eccleſiaſticis judiciis ab Optato Milevitano dictum memini: *Non poſſumus facere quod non fecit DEUS, qui in judicio ſuo perſonas ſeparare dignatus, nec eumdem voluit eſſe accuſatorem ac Judicem* (*b*). Ejuſdem Optati eſt: *Quærendi ſunt Judices, de utraque parte dari non poſſunt, quia ſtudiis veritas impeditur* (*c*). Et in Chalcedonenſi Concilio Judices Legatis Romani Epiſcopi edicunt, ſi ſe ut accuſatores Dioſcori gererent, deponerent Judicis perſonam. Athanaſius quoque noluit venire ad eas Synodos, in quibus manifeſtum erat regnare adverſam factionem. Sæpe ea eſt rerum facies, ut in præſens nocitura ſit Synodus, quæ paulo poſt, animis ſedatioribus, cum fructu ſit convocanda. Non fruſtra ab Apoſtolo dictum; *dies opus cujuſque*, hoc eſt dogma, *declarabit* (*d*). Et alibi, *ſi quid aliter ſentitis, DEUS revelabit* (*e*). Utroque loco oſtendens, ad rectam dijudicationem, tempore interdum eſſe opus; Contra evenire etiam poteſt, ut præſens malum Synodi moram non exſpectet, ideoque opus ſit aliquo compendioſiore remedio. Præterea cauſæ quoque aliæ propter quas Summæ Poteſtati magni conventus ſuſpecti ſunt, etiam in Synodis locum poſſunt habere. Nam, ut dixit vir pereruditus: *Epiſcopos cogere non minus politicum eſt, quam alios hominum ordines cogere.* Idem metus, eadem mala ſubeſſe poſſunt, niſi Paſtores homines eſſe deſierint. Nec pauca referri poſſunt, ſi opus ſit, infeliciorum Conciliorum exempla, quale fuit ſub Conſtantino Antiochenum, Cæſarienſe & Tyrium (*), cujus conventus Epiſcopis ſcribens

(a) *Epiſt.* 65. 71. 72. (b) *Adverſus Parmen. lib.* 3. *ad finem.*
(c) *Lib.* 5. (d) 1. *Cor.* 3. 13. (e) *Phil.* 3. 15. (*) *Cæſarienſe & Tyrium.*

bens Conſtantinus, nihil ait ab illis fieri, niſi quod ad odia & diſſenſiones ſerendas, ad perniciem denique humani generis faciat. Tale fuit & ſub Theodoſio juniore Epheſinum *ληϛρικον latronum conciliabulum*, quorum ſi eventus prævidiſſent Pii Imperatores, rectius forte & operæ & ſumptibus pepercıſſent. Quamquam & illud fateor non optimum eſſe Eccleſiæ ſtatum, in quo Synodi haberi omnino non poſſunt. Ideoque laborandum ſemper ut hi conventus retineantur, aut omiſsi reſtituantur, per quos optime Eccleſia & membra ſua & magiſtratus alloquitur. Nec tamen etiam tunc cum abſque præſente Synodo Summa Poteſtas imperat, ante omne Eccleſiæ judicium judicat. Habet enim prævium ſibi veteris Eccleſiæ judicium, aut in Synodis, aut etiam in perpetuo conſenſu eorum, qui diverſis temporibus diverſiſque in locis, doctrina & pietate claruerunt. Habet peritiſsimos & religioſiſsimos ſuorum temporum Theologos aut domi aut etiam in exteris gentibus: nec horum, quam domeſticorum vilior illi eſſe debet auctoritas; præſertim in dogmatum negotio, quod commune eſt omnibus, & cujus ratione potiſsimum dici poſſunt ſinguli την καθ' ολυ επισκοπην πιϛευθηναι *univerſalem epiſcopatum ſibi commiſſum habere* (a). *Adhibebat*, inquit Elienſis Epiſcopus, *in ſacris Legibus ferendis quos adhibere par eſt, quoſque ratio ſuadet rerum illarum conſultiſſimos, deque iis omnibus optime reſpondere poſſe*. Et Bochelius ait, *edoceri Regem ab Eccleſiaſticis conciliis, aut ſi hæc non ſuffecerint, ab auctoribus ob fidem & harum rerum peritiam idoneis*.

8. Ex rationibus exempliſque hactenus allegatis illud inter alia evincitur, libertatem omittendæ Synodi non poſſe reſtringi ad unicum caſum collapſæ funditus religionis: cum aliæ quoque cauſæ poſsint evenire, propter quas Synodi prætermitti aut poſsint aut debeant. Atque ideo videmus a religioſis Imperatoribus ſæpius poſtulatas Synodos quam conceſſas. Leo ad Theodoſium: *Omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lachrymis ſupplicant*, inquit, *Synodum jubeatis intra Italiam celebrari*. (b) Nec obtinuit tamen, imo eſſet fruſtra penes Imperatores jus convocandi Synodos, ſi juſta de cauſa non poſſent convocationem negare. Certe quæ Ubiquitario dogmate laborabant Eccleſiæ pro plane deploratis haberi non poterant, & tamen Electores & Principes, quibus jure publico Germaniæ conceſſum eſt religionis arbitrium, abſque Synodo, e conſilio virorum ſapientum, hunc morbum a ditionis ſuæ finibus ſuſtulere, laudati hoc nomine ab iis ipſis, qui jus iſtud, quo ſolo emendatio iſta nititur, nolunt agnoſcere. Notat Zanchius (c) & cum eo alii, in hoc quoque verſari officium Principis, ut donec habeatur concilium liberum, quod ſemper haberi non poteſt, jubeat diſſentientes uti non ſuis, ſed Scripturæ vocibus, & a publica damnatione abſtinere. Quod & ipſum ad jus imperandi ante Synodum, & proinde ſine Synodo pertinet. Neque tamen ſi Poteſtates interdum etiam extra Synodum judicant, eripitur Theologis illa judicandi libertas, quæ ipſis Divino jure debetur. Poſſunt enim etiam extra Synodos judicium ſuum ut apud Summas Poteſtates, aut

rium. A. D. 335. *Antiochenum anno a Conſtantini obitu* 5. *coactum eſt A. D.* 341. *Deceſſerat. A. D.* 337. *Maii* 22. *Fer.* 1. *Conſtantinus.* (a) *Clem. conſtit. lib.* 6. *cap.* 14. (b) *Epiſt.* 24. *A. D.* 450. (c) *In IV. præcept. loco V. tit. de quarto hom. gen.*

aut ſi neceſſe ſit apud alios quoque exponere, & ex Verbo divino judicii ſui cauſas reddere. Ut rem ſummatim comprehendamus, Synodos uſitatiſsimum eſſe Imperii circa Sacra adminiculum, non diffitemur: poſſe tamen ea evenire tempora, ut Synodi utiles non ſint, multoque minus neceſſariæ, defendimus. Illud autem miramur maxime, eo quoſdam audaciæ progredi, ut etiam cum Eccleſiæ tutelam in ſe ſuſcipiunt Poteſtates, illis invitis legitime ac rite Synodos haberi contendant. Longe aliter quam *Beza*, qui *non niſi Regis juſſu atque auſpiciis* dixit Synodos convocandas; aliter quam *Junius*, qui *& injuſte & periculoſe ab Eccleſia tentari dixit & inſtitui generalem congregationem ſine cognitione & auctoritate ejus qui humano ordini præfectus eſt.*; aliter denique quam omnes, qui hactenus contra Pontificios Proteſtantium cauſam egere.

9. De jure atque officio Summæ Poteſtatis circa Synodum illud hodie controverſum eſt, *Liceatne Summæ Poteſtati deſignare eos, qui ad Synodum ſunt venturi, necne.* Nos licere non dubitamus, ſed ut res tota pateat, ordine progrediamur. Ex quo Chriſtus Eccleſiam & munus Paſtorale inſtituit, ipſo Naturæ jure, non illo immutabili, ſed eo quod locum habet donec aliter ſtatuatur, Eccleſiæ in his quæ Eccleſiam tangunt, aut Paſtoribus in his quæ paſtoralis ſunt muneris, licet eos eligere qui ad Synodos ſunt ituri; quia nulla lege, nullo pacto humano intercedente, alia nulla perſonas determinandi ratio poteſt inveniri. Hoc jure fratres Antiocheni e ſuo numero quoſdam cum Paulo & Barnaba Hieroſolyma mittunt. (a) Viciſsim Presbyteri & Eccleſia Hieroſolymitana una cum Apoſtolis e ſuo cœtu electos mittunt Antiochiam.

10. Cæterum in omni ſequente ævo nullum invenio exemplum electionis ab Eccleſia factæ. Nam ad Diœceſanas Synodos Presbyteri omnes, ad Metropolitanas omnes conveniebant Epiſcopi, niſi quos gravis neceſsitas detineret: Nulla ergo hic electio niſi quod ad Metropolitanas Presbyteros & Diaconos videntur Epiſcopi arbitrio ſuo adſumpſiſſe. Ut Synodi majores coirent literæ *εγκυκλιοι circulares* Imperatorum miſſæ ad Metropolitanos & plerumque ipſis injuncta electio coepiſcoporum ad implendum eum numerum quem Imperatores præſcripſiſſent. Apparet id ex Epiſtola Theodoſii & Valentiniani ad Cyrillum (*), cui ſimiles miſſæ ad omnes Metropolitanos, ut loquuntur Acta. Clara enim ibi Cyrillo mandatur electio. Hanc electionem interdum Metropolitani ſeorſum, interdum cum Synodo Epiſcoporum comprovincialium fecere. Eccleſiarum interveniſſe non apparet ſuffragia. Cum & in ipſa collatione cum Marcellino habita (**), quæ Synodus quidem non fuit, ſed nihilo minoris momenti actio, qui communi nomine comparebant Epiſcopi, mandatum a coepiſcopis ſuis tantum protulerint. Ad Synodos ſi qui Metropolitanorum venire non poterant, hi aut Epiſcopum aliquem aut Presbyterum ſuo nomine mittebant, qui *τοποτηρηται vicarii* dicebantur.

11. Cæterum quamquam hæc frequentiſsima fuit eligendi ratio, nullo tamen jure vetitum eſt Summæ Poteſtati convocare Synodum ex Paſtoribus ſuopte judicio delectis. Quod unum ſatis eſt ut permiſſum cenſeatur; Idem evincit ratio, ſi quis fines

(a) *Act.* 15. 2. 22. (*) *A. D.* 430. (**) *A. D.* 411.

Synodorum a nobis ante enumeratos conſideret. Nam primum multæ Synodi habentur ſolius conſilii cauſa. At naturaliter unicuique licet eligere conſiliarios. Ita fit in quæſtionibus Juris, belli, mercaturæ, aliiſque negotiis omnibus; quæ inter & Eccleſiaſtica, ad meram conſultationem quod attinet, nulla poteſt reperiri diſsimilitudo. Sæpe etiam Synodi habentur in id ut externam juriſdictionem a Summa Poteſtate mandatam exerceant. At hoc quoque naturale eſt ut delegans eligat eum quem delegat. Reſtant Synodi quæ conſenſionis procurandæ cauſa habentur: quarum paulo alia eſt ratio. Videtur enim in his præcipue expedire, ut electio fiat aut ab Eccleſiis, aut a Paſtoribus, ut quæ a paucis geruntur, plurimi rata habeant. Magis enim ſolent placere quæ ab illis fiunt, quorum ipſi fidem & induſtriam elegimus. Hoc ergo non ad jus; ſed ad prudentem juris uſum pertinet, qui perpetuus inſuper non eſt, cum evenire interdum poſsit, ut quæ per Paſtores fiat electio, magis concordiæ ſit nocitura, quam quæ per Summas Poteſtates. Viciſsim & in Synodo quæ conſilii audiendi aut exercendæ juriſdictionis cauſa habetur, interdum expedire poteſt, ut Eccleſiæ aut Paſtores Summæ Poteſtati idoneos viros ſuggerant, quos ipſa omnes ſua notitia complecti nequit. Non debere igitur Summam Poteſtatem ſemper eligere perſonas, ſed id ei licere conſtanter aſſerimus. Præivit jam olim in hac ſententia Marſilius Patavinus. Dicit enim ad Legislatoris auctoritatem pertinere, *Generale concilium convocare, perſonas ad hoc idoneas determinare*. Qui hic perſonarum numero Sacerdotes eximunt, aut *determinandi* vocabulum ad ſolam approbationem trahunt, miri ſunt verborum tortores. En ipſa Marſilii verba tantum non vim ſibi clamantis fieri (a): *Legislatores ad hoc obligantur eligendo perſonas idoneas ad Concilium integrandum, eis de neceſſariis temporalibus providendum; & venire recuſantes, ad hoc tamen idoneos & electos tam Sacerdotes quam non Sacerdotes, propter utilitatem publicam, ſi oportuerit, compellendum*. Probat hoc ipſum hoc argumento quod oſtenſum ſit, *Juriſdictiones coactivas ſuper omnes indifferenter Sacerdotes & non Sacerdotes, perſonarum determinationes & approbationes, officiorum quoque inſtitutiones omnium, ad ſolius fidelis Legislatoris auctoritatem, minime vero ad Sacerdotalis collegii ſolius (in quantum hujuſmodi) pertinere*. Non potuit clarius eloqui quod ſentiebat; *determinationem* voce *electionis* explicat. Perſonas in *Sacerdotes* & *non Sacerdotes* diſtinguit. *Determinationem* autem Legislator facit per ſe vel per alios. Quare quod idem Marſilius ſuadet *ad definienda dogmata communitates notabiles eligant fideles Presbyteros, alioſque ſecundum humani Legislatoris determinationem*, cum prius citatis non pugnat: neque tamen ille id ipſum ad alia conciliorum genera, in quibus aut canones ſcribuntur, aut jus dicitur, aut in cauſa fidei conſilium præbetur, extendit. *Integrare* autem *concilium* idiotiſmo illius ſæculi eſt partem concilii facere *την συνοδον αναπληρων partem concilii facere*, ut Conſtantinus loquitur in Epiſtola ad eos qui Tyri convenerant. Quare qui ex eo quod Marſilius idem dicit, *per non Sacerdotes integrari concilium a Sacerdotibus*; ex ipſius ſententia *concilium integrari* negant, perinde faciunt quaſi oculum negent partem eſſe hominis, quia manus pars hominis dicatur. Vide quo homines adigat diſputandi libido. Neque ſolus Marſilius ita

(a) *Part. 2. cap. 20.*

ita ſenſit, ſed poſt eum vir doctiſsimus qui contra Synodum Tridentinam cauſam Proteſtantium egit Gallico ſermone, qui ſuam quoque ſententiam Marſilio auctore firmat (a). Neque deſunt exempla: Rex Iſraelis Prophetas quos vult ad ſe evocat; & nominatim Micham ſuadente Joſaphato (b). Donatiſtæ a Conſtantino Imperatore Synodum poſtulant (*), quæ inter ſe & alios Africæ Epiſcopos judicet, hoc libello, *Rogamus te Conſtantine optime Imperator, quoniam genere juſto es, cujus Pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc ſcelere immunis eſt Gallia, cum in Africa inter nos & Epiſcopos contentiones exarſerint, ut de Gallia nobis Judices dari præcipiat pietas tua*. Non Eccleſiæ, non Synodus Galliæ, ſed Imperator nominat Judices, Maternum Agrippinæ, Rheticium Auguſtoduni, Marinum Arelatis, & Melchiadem Romæ Epiſcopos. Theodoſius ad Conſtantinopolitanam primam Synodum (**) etiam Macedonianos Epiſcopos (1) admiſit: nequaquam ſane ab Eccleſiis aut Epiſcopis Catholicis electos. In Actis Concilii Chalcedonenſis (2) exſtat Theodoſii & Valentiniani Epiſtola qua Dioſcorum jubet decem (3) ſibi Epiſcopos adſumere, non plures: Theodoretus vetatur aſſumi (4): alibi quoque legimus ab Imperatoribus evocatos eos eſſe Antiſtites, qui judicio & eloquio plurimum valerent. Sed & Francos Reges jure interdum uſos ex Anaſtaſii Bibliothecarii hiſtoria datur intelligi, qui in vita Stephani ita ſcribit (***). *In exordio ordinationis ſuæ, qui idem ſanctiſſimus Præſul apicem aſſumpſit, direxit in Franciæ partes ad eximios viros Pipinum, Carolum & Carolomannum Reges Francorum & Patricios Romanos*, &c. *deprecans atque hortans eorum excellentiam per ſuas Apoſtolicas literas, ut aliquantos Epiſcopos graves & in omnibus divinis Scripturis atque Sanctorum Canonum inſtitutionibus eruditos ac peritiſſimos dirigerent ad faciendum in hac Romana urbe Concilium*. Et conſtat hoc ipſum eſſe quod a Carolo V. Imperatore, Regibuſque aliis, Proteſtantes poſtularunt, ut nempe ipſi pios doctoſque viros deligerent, qui ad Synodum convenirent.

12. Jam vero & illud notandum eſt: etiamſi quando Eccleſiæ aut Epiſcopi eligunt quos communi nomine ad Synodum mittant, jure aut nativæ aut dativæ libertatis, manere ſemper Summæ Poteſtati ſalvum in eam electionem jus Imperii. Omnis enim uſus libertatis, ut ante diximus, Imperio ſubjacet. Hæc autem eſt vis Imperii, ut juſtis de cauſis quidam turbulenti, aut alioqui inidonei homines rejici poſsint: ita videmus fieri in omnibus corporibus. Nam ſi in collegio Judicum aliqui ſunt ſuſpecti, eo quod eorum magni interſit quomodo judicetur, eos a judicio abſtinere Summa Poteſtas imperabit: Idem fit in politicis deliberationibus etiam civitatum ſingularum, imo & in mercatorum aut artificum collegiis, ubi res tractantur a politicis plane diverſæ; idem aut per modum legis aut per modum judicii a Summa Poteſtate ſtatui & poteſt & ſolet.

13.

(a) *Ranchinus in reviſione*. (b) 1. *Reg*. 22. (*) *A. D.* 313. (**) *A. D.* 381. (1) *Unde conſtat?* (2) *In Actis revera Chalcedonenſibus ſed quæ ad Epheſinam* 2. *Synodum ante biennium ſolutam pertinent*.

(3) 14. *aſſumpſit Epiſcopos*. (4) *Non Chalcedone ſed Epheſi*.

(***) *A. D.* 763.

13. Præſcriptum ab Imperatoribus locum, tempuſque concilio, etiam materiam agendorum & agendi modum, translatas eorum arbitratu Synodos aut diſſolutas, tum alii ante nos, tum nos quoque ita apertum fecimus, ut neminem id arbitrer negaturum. Quare id potius videamus ecquod judicium Summæ Poteſtati in Synodo competat. Qui operoſe probant etiam Epiſcopos judicaſſe, non ſolos Imperatores, ſtultum ſibi fingunt adverſarium, de quo facile triumphent. Nam quis unquam repertus eſt tam demens, qui id negaret? ſed hoc aſſerimus jus eſſe Summæ Poteſtati etiam juxta Paſtores judicandi, quod probari hic opus non eſt, cum ſupra judicandi jus univerſale adſtruxerimus Summæ Poteſtati, quod quidem per Synodum auferri nequit. Sed an conſultum ſit Summum habenti Imperium ſenſus ſuos expromere, & quatenus, alia eſt diſpectio. Eamus per ſingulos Synodorum fines. Si judicii declarativi cauſa habetur Synodus, nimirum, ut ex ſacris literis oſtendant Epiſcopi quid verum falſumve, quid licitum aut illicitum ſit, hic Regi, ſacris in literis probe verſato, eripi non poteſt quod privatis conceditur, *ſcrutari Scripturas*, *probare ſpiritus*. Cæterum etiam atque etiam cavendum eſt ne aliorum libertati obſtet Majeſtas unius. Notum eſt illud: *quo loco cenſebis, Cæſar? ſi primus, habebo quod ſequar*. Utiliſsimum tamen erit, ut qui Summum habet Imperium, non modo præſentia ſua conventum honeſtet, ſed & ordinet ac moderetur actiones, quærat ſentiendi cauſas, quæ obſtare videntur, objiciat: quod Imperatorem Conſtantinum in Nicæna Synodo feciſſe apparet, cui proinde *αληϑειας εξετασιν veritatis examen* tribuunt auctores, ipſumque ajunt *κοινωνον* fuiſſe *των επισκοπȣμενων quæ diſcutiebantur una diſcuſſiſſe*. Ita Carolus quoque Magnus Francofurtenſi Sacerdotum congregationi & *auditorem* ſe ait aſſediſſe & *arbitrum*. (*) Ubi vero Synodus in rebus lege Divina non definitis conſilium dat Summæ Poteſtati, quid ex uſu Eccleſiæ ipſi faciundum ſit, hic etiam inquirere Summam Poteſtatem, proponere commoda atque incommoda ſatius, quam in conventu promere ſententiam, ſuperius dictum eſt; ***Fieri** quod debeat cum multis tracta: quid facturus ſis, cum pauciſſimis*. Quoties vero potiſsimum teſtandi Eccleſiarum conſenſus cauſa Synodus habetur, poterit hic quoque multum prodeſſe auguſta præſentia Summæ Poteſtatis ad refrænandam audaciam turbulentorum hominum: ſed ſi a cenſendo abſtinuerit, contenta ſibi ſervare *επικρισιν judicium ſubſequens*, certius cognoſcet an vera & ſpontanea fuerit Synodi conſenſio. Et ſane ita in aliis quoque corporibus fieri videmus, ut ipſa per ſe placita quædam concipiant, quæ deinde Summæ Poteſtati examinanda offerantur. Idem locum habet & in ea Synodo quæ legis humanæ conceſsione jus dicit: Quamquam enim hoc jure inſtitutis cœtibus intereſſe poſſunt Summæ Poteſtates, atque una ſententiam dicere, receptius tamen eſt ut ſe *τῃ επικρισει judicio ſubſequenti* integros ſervent. Et hæc quidem obtinent, ſi ipſa Poteſtas Summa adſit Concilio. Nam ſæpe videmus id piis Imperatoribus per occupationes non licuiſſe, itaque tunc alios ſuo nomine miſerunt, aut cum mandato una cum Epiſcopis judicandi, aut tantum ordinis præſides. Nam in Chalcedonenſi Senatores & Judices interlocutos ſæpe, & in definitione de ipſa formula fidei una judicaſſe ſatis manifeſtum eſt. At Candidianum Comitem in Epheſina

(*) *A. C. 794.*

na Theodoſius noluit judicare, ad Concilium in Tyro unum conſularem Dionyſium miſerat Conſtantinus omnium agendorum *κατασκοπον exploratorem*: Sed hunc poteſtate ſua abuſum notat Athanaſius: *Ille loquebatur*, inquit, *Epiſcopi ſilebant*, *vel potius Comiti obediebant*.

14. Nunc ad id veniamus judicium, quod poſt Synodum competit Summæ Poteſtati. Επικρισιν vocant Patres Græci. Eſt autem hoc ita ipſi Summæ Poteſtati proprium, ut negligi ab ipſa abdicarique nequeat. Nam ſi conſilium dumtaxat dat Synodus rerum ab ipſa Summa Poteſtate agendarum, res certa eſt ejus cui conſilium datur, judicium ſubſequi debere, ſive illud certis argumentis ducatur, (quod in re Fidei omnino neceſſarium eſt) ſive aliquatenus aliorum auctoritate. Nam, ut ſupra oſtendimus, omnem actum, ut rectus ſit, aliquod præcedere debet agentis judicium: abſolute autem & in omnibus judicium alicujus alieno judicio niti nequit, niſi tale aliquod judicium ſit, cui falſum ſubeſſe nequeat, quale non eſt Synodi judicium. Sin explicatur dogma aliquod, aut lex aliqua Divina, omnino Summæ Poteſtatis non jus tantum ſed & officium eſt videre, *ει κατα τας θειας γραφας συνεβησαν αλληλοις*, *congruantne Sacris literis in quæ illi conſenſerant*: Ut de ſe ſcribit Conſtantinus ad eos qui Tyri covenerant (*). Ipſius enim opus eſt imperare. Quid ſi ergo Synodus aliqua, quales multæ fuerunt, multæque ſunt exſtituræ per ignorantiam, aut per conſpirationem, aut quia pars major meliorem vicerit, in dogma aliquod conſenſerit, quod fidei Catholicæ ex Scripturis derivatæ repugnare manifeſtum ſit? Ponamus Ariminenſem & Seleucienſem Synodos, quæ Nicæna majores fuere (**); Ponamus Nicænam ſecundam. An Summa Poteſtas aliquid imperabit fieri, quod non faciendum ipſi lex Divina & inſtructa ex lege conſcientia dictaverint? nemo id ſanus dixerit. Sin vero concipitur a Synodo aliquid quod Divinis literis non ſit definitum, ſed ad regimen Eccleſiæ pertineat, cum omne regimen ſive natura ſive lege poſitiva introductum ſubſit ei Poteſtati quæ inter homines Summa eſt, partes ſunt ejuſdem Poteſtatis videre an ea quæ concepta ſunt, futura ſint ex uſu Eccleſiæ: ultimi enim agentis ultimum quoque judicium eſt. Ergo & dogmatum definitiones & canones Synodi Imperatoribus & Regibus ſubjecerant, ſed diverſa ratione: dogmata, ut ex ſacris literis examinarentur: vera enim examen non refugiunt: falſa etiam poſt Synodum ſunt reſecanda. Canones autem, ut eorum exploraretur utilitas juxta prudentiæ regulas; & ſi utiles eſſent reperti, vim Legum acciperent, quæ non omnibus canonibus data eſt. Hinc ille apud Balſamonem titulus, *Qui Canones ſerventur*. Omnes antiquæ Synodi hoc modo duplici tum *διατυπωσεις conſtitutiones* ſuas, tum canones Imperatoribus ſubjecere. Formula uſitata quæ fuerit, ex Epiſtola Concili Conſtantinopolitani primi ad Theodoſium apparet (***). Αποδιδοντες τῳ Θεῳ την ωφειλομενην ευχαριστιαν αναγκαιως και τα γεγενημενα κατα την αγιαν συνοδον προς την σην ευσεβειαν αναφερομεν. και οτι συνελθοντες εις την Κωνσταντινοπολιν κατα το γραμμα της σης ευσεβειας, πρωτον μεν ανενεωσαμεθα τον προς αλληλυς ομονοιαν. επειτα δεγε την των πατερων πιστιν των εν Νικαιᾳ κυρωσαντες· προς δε τυ-

τοις

(*) *A. D.* 335. (**) *Nicææ* 318. *A. D.* 325. *Seleuciæ hinc* 42. *Eudoxiani inde alii* 160. *convenerunt A. D.* 359. (***) *A. D.* 381.

τοις και ὑπερ της ευταξιας των Εκκλησιων ῥητυς κανονας ὡρισαμεν, ἁπερ απαντα τῳ δε ἡμων τῳ γραμματι ὑπεταξαμεν. δεομεθα τοινυν της σης ἡμεροτητος, γραμματι της σης ευσεβειας επικυρωθηναι συνοδυ την Ψηφον, ἱν' ωσπερ τοις της κλησεως γραμμασι την εκκλησιαν τετιμηκας υτω και των δοξαντων επισφραγισης το τελος. *Actis Deo quas debemus gratiis, quæ in S. Synodo geſta ſunt ad Pietatem tuam, ut neceſſe eſt, referimus; Noſque ubi Conſtantinopolim a Pietate tua conſcripti convenimus, primum omnium nobiscum rediiſſe in concordiam: deinde Nicænorum Patrum fidem ratam eſſe juſſiſſe: præterea ſacros canones, quibus ordo Eccleſiarum contineatur, confeciſſe: quæ hiſce literis omnia ſubjunximus. Tuam itaque clementiam rogamus, quo Synodi decreta Pietatis tuæ diplomate ſanciantur: ut quemadmodum eum honorem exhibuiſti Eccleſiæ, ut nos literis convocaveris, ita quæ convocatis viſa ſunt auctoritate tua conſignes.* Et in inſcriptione Canonum, Canones dicuntur Theodoſio ſubjici. Verba uſitata ad ſignificandam hanc *επικρισιν*, *judicium hoc*, ſunt apud Græcos βεβαιυν *confirmare* επι ψηφιζεσθαι *calculum addere*, επισφραγιζεσθαι *obſignare*, κρατυνειν *ſtabilire*, κρατυν, επικυρυν τα πεπραγμενα *firma ac rata eſſe jubere quæ acta ſunt*, quæ paſsim tum in Synodicis, tum in Imperialibus Actis reperiuntur. Ad Canones ſpectant proprie illa quæ ex Franciæ Conciliis citavimus: (*) *ſiquid minus, ejus prudentia ſuppleatur, ſiquid vero ſecus quam ratio poſtulat, ejus judicio emendetur: ſi quid rationabiliter taxatum eſt, ejus clementia perficiatur.* Item: *quatenus ejus prudenti examine quæ rationabiliter decrevimus, confirmentur: ſicubi minus aliquid egimus, ejus ſapientia ſuppleatur.* Item; *quatenus ea, quæ paucis perſtrinximus capitulis, a veſtra auctoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas dignum eſſe judicaverit, & quicquid in eis emendatione dignum reperitur, veſtra Imperialis dignitas jubeat emendari.* Hoc eſt quod eædem Synodi vocant, *Conciliorum capitula ad ſacratiſſimum JUDICIUM referre.*

15. Non ergo ſolum *approbandi jus*, quod nunc quidam faciunt, ſed & *examinandi*, demendi, addendi, corrigendi, veteres Epiſcopi Summis Poteſtatibus detulerunt. Nec ſane ratio patitur, ut *approbare* aliquis dicatur aliquid in earum rerum genere, quas improbare ipſi non liceat. Nam conſentire is demum dicitur, cui & licet diſſentire, ut ait Triphoninus, cui illud Senecæ convenit: *Si vis ſcire an velim, effice ut poſſim nolle.* Et Ariſtoteles, εν οις εφ' ἡμιν το πραττειν, και το μη πραττειν, *quæ pro arbitrio aut facere poſſumus, aut non facere.* Sane & improbatos quoſdam canones videmus. Itaque ex capitibus quæ anno ɪↃCCCLVI. Epiſcopi in Synodis ediderant, pars magna a Carolo Calvo rejecta eſt, ut in Capitulis legimus: idemque ſæpius factum narrat Bochellus his verbis: *Norunt optime veteribus in uſu fuiſſe quotieſcunque Synodi haberentur, non prius rata earum decreta exſtitiſſe quam a Rege in ejuſdem Sanctiori conſilio probarentur: & ſi quæ in iis diſplicerent exploderentur: quod ex Conciliis Turonenſi, & Cabilonenſi ſub Carolo Magno ſuo loco demonſtravimus, & vir numquam ſatis laudandus, quem parentis loco ſemper veneratus ſum, P. Pithoëus, veteri*

(*) *A. D.* 813.

veteri Syngrapha literis majuſculis ad Capitula Caroli Magni & Filiorum ejus conſignata abunde teſtatum reliquit. Viciſsim Carolus Magnus decretis Synodi habitæ in Theodonis villa (*) quædam addidit: *hoc*, inquit, *de noſtro adjicimus*. Ubi vero Synodus judicium aliquod inſuper vi legis humanæ exercuit, hic multo etiam minus dubitari poteſt, quin Judicium ſuum reſtet Summæ Poteſtati. Omnis enim juriſdictio ut ab ipſa fluit, ita ad ipſam refluit. Huc refero Judicium Epheſinæ Synodi, quo Neſtorius Patriarchatu dejicitur (**). Orat Imperatorem Synodus, ut quæ contra Neſtorium acta eſſent, vim ſuam habeant. Excipiat forte aliquis ſaltem, ubi Summa Poteſtas interfuit Concilio, tum nihil reſtare, niſi ut Imperio ſuo acta confirmet. Sed ne hoc quidem concedi poteſt. Nam cum Summa Poteſtas inter alios judicavit, tunc non judicavit ut Summa Poteſtas, potuit enim & ſuffragiis vinci. Salvum eſt ergo nihilominus illi judicium ſuum, Imperativum ſcilicet, & quidem liberum. Idem Magiſtratibus quoque evenit ſi collegio infra Imperium ſuum poſito interfuerint. Exemplum eſt memorabile in ff. quando appellandum (*a*); *ſed etſi præſes in Ordine fuerit, ut fieri aſſolet, ipſe erit provocandus, quaſi ab Ordine, non ab ipſo fiat appellatio*.

16. Ultimum autem hoc judicium Imperativum modo totum per ſe exercet Summa Poteſtas, modo partim per alios, partim per ſe, quod exemplo negotiorum civilium apparet. Nam Reges quibus ſupplicatur adverſus præfectorum prætorio, aut ſummi Senatus ſententiam, plerumque Juriſconſultis mandant ultimam cognitionem, quorum ſententiam, niſi ſuſpecta ſit, confirmant: interdum vero ipſi cauſam coram ſe agi de integro jubent. Sic in cauſis Eccleſiaſticis receptum fuit, ut Imperatores aliis notiſsimæ religionis ac peritiæ Epiſcopis, aut maximis Synodis rem tractandam committerent, quorum intellectis rationibus probarent quæ ipſis viſa eſſent. Et hæc eſt cauſa cur toties contra priores Synodos aliæ novæ fuerint convocatæ, nec ſemper majores prioribus: non quod per ſe hæc Synodus illa eſſet ſuperior, ſed quod his quam illis Imperatores plus deferrent. Illud minus frequens quod Imperatores ipſi coram ſe agi cauſam de integro voluere: Sic Conſtantinus poſt duplex judicium Eccleſiaſticum ipſe cauſam Cæciliani examinavit, & poſtremum judicium tulit (***). Idem eos qui in urbe Tyro convenerant Epiſcopos ad ſe vocavit, omnium quæ illic acta eſſent rationem ſibi reddituros (****): quibus in rebus non immerito a noſtris contra Romanæ Sedis patronos defenditur. Neque enim in ſacris minus quam in cæteris rebus, verum eſt appellationem quidem ſtricte ſumptam, quæ judicatum ne fiat, inhibet, lege civili tolli poſſe; at non itidem omnem viam implorandæ cognitionis ejus, qui Summum Imperium obtinet, eam præſertim; quam *querelam*, *ſupplicationem*, ἀναψηλάφησιν jura appellant. Hac enim ſublata non *diſſiparet Rex e Solio ſuo malum omne* (*b*), non eſſet *terrori malis*. (c), quod eſt perpetuum ipſius officium: ita ut anus recte Philippo Macedoni dixerit, *ſi ipſi non vacaret judicare, ne vacaret regnare*. Vidit hoc olim Mæcenas, qui apud Dionem Auguſtum docet, nemini (conſtituto ſcilicet ſub Summa Poteſtate) tantum Imperium debere committi, ut ab eo provocari nequeat.

(*) *A. D.* 815. (**) *A. D.* 431. (a) *L.* 1. §. 4. *D.* 49. *tit.* 4.
(***) *A. D.* 314. (****) *A. D.* 335. (b) *Prov.* 20. 1. (c) *Rom.* 13.

17. Hic quoque illud repetendum eſt, quod ante in re ſimili diximus, non poſſe jus Summæ Poteſtatis aliquid poſt Synodum etiam contra Synodum decernendi, ad eas dumtaxat controverſias trahi, in quibus veluti de tota religione agitur. Nam quod jus eſt in totô, idem & in partibus: & rationes jam ante allegatæ non minus valent ad tribuendam Summæ Poteſtati liberam επικρισιν *liberum judicium ſubſequens* in quæſtionibus ſingulis, quam in pluribus coacervatis. Nam & in ſingulis quæſtionibus verum eſt Synodos poſſe labi, nec debere Summam Poteſtatem aut cæcum obſequium præſtare Synodo, multo minus defendere ac fovere ſuo Imperio dogma falſum & noxium, aut pati ut opprimatur veritas. Adde nec prudentiam id ſinere, ut permittat Summa Poteſtas errores paulatim creſcere, & quæ eorum natura eſt, accedere alios aliis, ut tandem ſcilicet in magnam molem aucti evelli ſine totius Reipublicæ periculo non poſsint.

C A P. VIII.

De Legislatione circa Sacra.

S U M M A R I U M.

1. *Diviſio actuum Imperii in Legislationem, Juriſdictionem & ſpeciem innominatam.* 2. *Legislationem Summæ Poteſtati competere circa totum corpus publicæ Religionis, cum ſolutione objectionis ex periculo mutandæ religionis.* 3. *A Summa Poteſtate falſos ac ſchiſmaticos cultus modo vetari ac puniri.* 4. *Modo diſſimulari ac regulis aſtringi.* 5. *Legislationem Summæ Poteſtati etiam circa Religionis partes competere.* 6. *Huc pertinere inutilium diſputationum prohibitionem & vocum extra Scripturam poſitarum* 7. *Item curam vitæ Clericorum.* 8. *Leges ferri de Sacris etiam citra Canones.* 9. *Uſus Canonum in dirigendo Legislatore.* 10. *Legislativam Poteſtatem Jure divino non competere Eccleſiæ, poſſe tamen ei tribui lege poſitiva.* 11. *Sed cumulative, non privative, nec niſi ſubordinate & dependenter.* 12. *Quomodo intelligendi ſint Imperatores cum ſe videntur Canonibus aſtringere.* 13. *Exempla diſpenſationum Imperialium circa Canones.* 14. *Etiam Apoſtolicos.* 15. *Exempla Adminiſtratæ επιεικειας circa leges Divinas.*

Hactenus in univerſum de Imperio egimus. Nunc partes ſingulas paulo propius expendamus. Imperii actus aut in commune fertur, aut in ſingulos: In commune qui fertur, *Legislatio* dicitur; in ſingulos, ſi occaſione contentionis, *Juriſdictio* vocatur: ſin extra eam, nomen generale ſervat, quia peculiare non habet; qualia illa ſunt, quorum Centurio meminit (*a*); *Dico huic proficiſcere, & proficiſ-*

(a) *Matth.* 8. 9.

ficiſcitur: *alteri veni*, *& venit*: *ſervo fac hoc*, *& facit*. Præcipuum autem in hoc poſtremo genere eſt permanentium functionum injunctio.

2. Legislationis quæ ſunt, ea ex ſupradictis intelligi ſatis poſſunt: pleraque enim Imperii per Legislationis exempla tamquam nobiliora explicavimus. Ex iis liquet legem ferri ſuper definitis lege Divina, aut ſuper indefinitis; quæ ſuper definitis feruntur leges, aut totam ſpectant religionem, aut ejus partes. Nulla in re magis eluceſcit vis Summi Imperii, quam quod in ejus arbitrio eſt, quænam religio publice exerceatur, idque præcipuum inter Majeſtatis jura ponunt omnes qui Politica ſcripſerunt. Docet idem experientia: Si enim quæras cur in Anglia Maria regnante Romana religio, Elizabetha vero Imperante Evangelica viguerit, cauſa proxima reddi non poterit, niſi ex arbitrio Reginarum: aut (ut quibuſdam videtur) Reginarum & Parlamenti. Quære cur alia per Hiſpaniam, alia apud Danos Suedoſque ſit religio, ad voluntatem Dominantium recurretur. Hinc vero multi objiciunt, ſi id juris obtineat, jam ſtatum religionis fore inſtabilem, præſertim ubi Summum eſt unius Imperium. Mutato enim Regis animo & religio mutabitur: Et verum quidem eſt quod dicunt, neque id periculum in ſacris dumtaxat: ſed in aliis quoque rebus obtinet: Qualis enim artifex, tale opus: qualis Rex, talis lex. Sed ob periculum abutendi jus ſuum nemini denegandum eſt: nam alioqui nullum jus cuiquam ſalvum erit; Deinde etiamſi a Summa Poteſtate in alium id jus transferri poſſet (quod non poſſe ſatis oſtendimus) non vitaretur tamen idem periculum. Ab hominibus enim ad homines iretur, quorum nemo eſt qui falli nequeat. Unicum ergo hic ſolatium in Divina eſt providentia. Omnium quidem hominum animos DEUS in poteſtate ſua habet, ſed ſpeciali quodam modo, *Cor Regis in manu Domini* (*a*). DEUS & per bonos & per malos Reges opus ſuum operatur. Interdum tranquillitas, interdum tempeſtas Eccleſiæ utilior. Nempe ſi pius eſt qui imperat, ſi diligens lector ſacræ Scripturæ, ſi aſsiduus in precibus, ſi Eccleſiæ Catholicæ reverens, ſi peritos attente audiens, multum per illum proficit veritas. Sin diſtorto eſt aut corrupto judicio, pejus id ipſi cedit, quam Eccleſiæ. Nam ipſum grave manet judicium Regis Eccleſiæ, qui Eccleſiam inultam non ſinet. Eccleſia interim deſtituta adventitio hoc auxilio non tamen Eccleſia eſſe deſinit, imo ſi ſævire etiam Rex volet, *ab ipſo ducet opes animumque ferro*: hoc eſt quod Auguſtinus dixit (*b*), *Imperatores cum in errore ſunt*, *pro errore ſuo contra veritatem leges dant*, *per quas juſti & probantur & coronantur*, *non faciendo quod illi jubent quia DEUS prohibet*. Et alibi (*c*); *Reges cum in errore ſunt*, *pro ipſo errore leges contra veritatem ferunt*; *cum in veritate ſunt*, *ſimiliter contra errorem pro ipſa veritate decernunt*. *Ita & legibus malis probantur boni*, *& legibus bonis emendantur mali*. *Rex Nabuchodonoſor perverſus legem ſævam dedit*, *ut ſimulachrum adoraretur*: *idem correctus veram*, *ne DEUS verus blaſphemaretur*. Mutationes religionum ex Regum ingenio etiam Judæa experta eſt. Ritus Achaſi patris abolet Ezechias filius, nepos ejus Manaſſes reſtituit, hujus itidem nepos Joſias abolet. Nec tamen jus Regum umquam in controverſiam tractum eſt.

 Quin

(a) *Prov.* 21. 1. (b) *Epiſt.* 166. (c) *Adverſus Creſconium lib.* 3. *c.* 51.

Quin ipſa ſacra Scriptura religionis in melius mutatæ laudem, in pejus mutatæ culpam Regibus aſsignat: quod ab Epiſcopo Elienſi recte his verbis obſervatum eſt: *Mutato novi Regis animo, mutata eſt ſemper Religionis facies, eaque in Religione mutatio Regi ſemper adſcribitur, quaſi factum ejus, nec Pontifices umquam, vel præſtare poterant ut fieret mutatio in melius, vel ne fieret in pejus, impedire.* Certe vi publicum religionis uſum arripere numquam ſubditis licuit; Itaque veteres Chriſtiani etiam validiſsimi cum eſſent, cum Senatores præſideſque haberent plurimos ſuæ ſententiæ, numquam id ſibi juris ſumpſerunt.

3. Sicut autem veram religionem publico jure donare, ita falſas religiones amoliendo aut puniendo tollere, eſt Summæ Poteſtatis, & quidem ſolius. Maledicere DEO Iſraelis vetuit Nabuchodonoſor addita graviſsimi ſupplicii comminatione. Rex Aſa idola ſuſtulit: tantumdem fecit Ezechias, non alio jure quam Summi Imperii. Nam e privatis quidem locis removere idola tum Domino loci jus eſt, tum Domino negligente, Regi ut Domino univerſali: e publico autem eadem tollere ſolius Summæ Poteſtatis eſt, aut ſi cui illa id officii delegavit. Atque ita interpretanda lex Deuter. VII. verſ. 5. *Altaria eorum diruite, ſtatuas frangite, lucos ſuccidite, ſculptilia comburite*; ut Imperium quidem ejus rei Summæ Poteſtati, prompta autem Imperii exſecutio ſubditis mandetur. Auguſtinus eum locum exponens (a): *Cum acceperitis*, inquit, *poteſtatem, hæc facite: ubi non eſt data nobis poteſtas non facimus, ubi data eſt, non prætermittimus. Multi pagani habent abominationes iſtas in fundis ſuis, numquid accedimus ac confringimus? prius enim ut idola in eorum cordibus confringamus, quando & Chriſtiani facti ſunt, ipſi aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos.* Optimo ergo judicio Nicephorus Abdam Epiſcopum reprehendit, quod Perſarum πυρεῖον *igniarium* everterit, quæ res magno malo ceſsit Chriſtianis. Paganorum templa in orbe Romano non ante Conſtantii legem clauſa ſunt, quæ exſtat in utroque Codice. Et Concilium Eliberitanum (*), *ſi quis idola fregerit & ibidem occiſus fuerit*, eum vetat in numerum recipi Martyrum, quia ſcilicet, *neque in Evangelio ſcriptum ſit, neque ab Apoſtolis factum reperiatur*. Neque vero tantum Idololatricos cœtus, ſed & eos qui ſuperſtitioni pravæ, aut errori publice pernicioſo operam darent, aut qui proterve unitati repudium miſiſſent, Summo Imperio cohibitos videmus. Huc refero quod Ezechias, Joſias, Aſa, Joſaphat excelſa diruerunt, quibus religionis unitas ſcindebatur. Ita & Chriſtiani Imperatores tum hæreticos, tum ſchiſmaticos cœtus vetuerunt; Baſilicas ipſorum tradi juſſerunt Eccleſiæ Catholicæ, hæreticis & ſchiſmaticis aditum ad honores præcluſerunt: etiam ex teſtamento aliquid adipiſcendi jus abſtulerunt. Quæ omnia late contra Donatiſtas defendit Auguſtinus. Illa enim pœnarum genera, quæ circa ſacra inexcuſabiliter delinquentibus pœnitentiæ tempus relinquerent, vetus Eccleſia non improbavit: Mortis vero ſupplicium adeo illis ſæculis non placuit, ut Idacius & Ithacius a Gallis Epiſcopis damnati ſint (**), quod auctores fuiſſent, ut in Priſcillianiſtas quoſdam gladio animadverteretur; ut & in Oriente damnata eſt Synodus tota (1), quæ in exuſtionem Bogomyli conſenſerat.

4. In-

(a) *Serm. 6. de verbis Domini ſecundum Matth.* (*) *A. D.* 303.
(**) *A. D.* 385. (1) *A quo?*

4. Interdum tamen falſæ quoque religiones ſub piis Imperatoribus impunitæ fuere (*). Judæis certe ſuæ religionis uſus nunquam vetitus, dum a contemptu Chriſtianæ legis & traducendis ad ſuam ſectam Chriſtianis abſtinerent. Conſtantinus initio ſuæ converſionis ne paganica quidem ſacra prohibuit: quin paganos etiam Conſules fecit, ut notat Prudentius in carmine ad Symmachum (1): Sic Chriſtianæ legis veritatem aut unitatem violantes nullis minacibus edictis terruere Jovianus & Valentinianus laudatiſsimi Principes (**). Quodque magis notandum eſt, non tantum impunitatem diſſidentibus ſectis permiſerunt Imperatores, ſed & ſæpe leges tulerunt, quibus cœtus eorum ordinarentur. Conſtantinus, Conſtantius, Valentinianus, Valens, & poſt hos Honorius & Arcadius Judæorum Archiſynagogis eadem jura tribuunt, quæ Chriſtianorum Epiſcopis: Sic vetat in ipſorum ſectam recipi aliquos primatibus ipſorum reclamantibus Theodoſius: (*Anathematiſmis ſubjici Judæos Helleniſtas prohibet Juſtinianus, Novell.* 146.) Idem vetans Judæorum conventibus recipi qui reſurrectionem ac judicium negarent, aut Angelos DEI creaturam non agnoſcerent, illato errore a ſe ait repurgari Judæorum gentem. Sic Donatiſtarum Baſilicas Maximinianiſtis eripuerunt Proconſules (***) quia Maximinianiſtæ Donatiſtarum Concilio damnati probabantur.

5. In ipſa autem vera Eccleſia non tantum circa totum religionis corpus, ſed & circa partes ſingulares verſari jus atque officium Summarum Poteſtatum, & ratio evincit & exempla. Ratio, quia fieri non poteſt, ut cui jus ſit in totum, ei in partes jus non ſit. Exempla quoque in promptu. Serpentem a Moſe excitatum evertit Ezechias (*a*), ut gliſcenti ſuperſtitioni occurreret, eodemque jure contra Nicænæ Synodi ſecundæ decreta Carolus Magnus imagines adorari vetuit (****). Pelagium & Cæleſtium falſi dogmatis auctores edicto repreſſerunt Honorius & Arcadius (2). Ita & nuper Germaniæ quidam Principes Ubiquitario dogmate Eccleſias ſuas, alioqui recte ſatis conſtitutas repurgarunt.

6. Cavendo ſchiſmati inutiles quæſtiones præcidit Conſtantinus (*Sozom. lib.* VIII. *cap.* 12. *l. nemo Cleric. C. de ſumma Trinit.*) quod utinam imitentur quibus Summa Imperia in manu. Veriſsimum enim quod Theodoſio dicebat Siſinius, *diſputando de ſacris accendi tantum contentiones*. Hinc Marcianus (3) de fide Chriſtiana diſputare vetuit, & in Codice Theodoſiano titulus exſtat *de his qui de religione contendunt*. Eſt & lex Leonis & Anthemii (*l. qui in Mon. C. de Epiſcop. & Cleric.*) quæ monaſteriis egredientes vetat de religione vel de doctrina diſputare. Andronicus quoque Imperator rerum Divinarum peritiſsimus (4) Epiſcopos (*****) ſubtilius diſputantes de iſto

(*) *A. D.* 1118. (1) *Non ad Symmachum, ſed adverſus Symmachum anno circiter* 406. *a Symmachi legatione* 22. (**) *A. D.* 363.
(***) *A. D.* 395. (a) 2. *Reg.* 18. 4. (****) *A. D.* 794. (2) *Non Arcadius ſed Theodoſius minor anno ab Arcadii deceſſu* 10. *Obiit enim Arcadius A. D.* 408. *Maii.* 1. *Lata in Pelagianos lex A. D.* 418. *April.* 30. (3) *Majorianus A. D.* 459. *Feb.* 6. *Martiani A. D.* 457. *Jan.* 26. *denath morte tertio.*
(4) *Immaniſſimus Tyrannus A. D.* 1182. (*****) *Euthymium Patrenſem & Joannem Cinimmon. Nic. Chron.*

iſto, *Pater major me eſt* (*a*), in amnem abjecturum ſe minatus eſt, ni tam periculoſis ſermonibus abſtinerent. Etiam veræ voces, ſed quæ in ſacris literis non exſtarent., ad tempus interdum vetitæ uſurpari. Ita Heraclius Imperator tam ſingularem quam duplicem (1) in Chriſto Energiam aſſeri prohibuit, quod ne temere damnemus, Baſilii (*b*) munire nos poteſt auctoritas, qui pios ait multos Trinitatis & ὁμοουσιυ *æqualis eſſentiæ* vocibus abſtinuiſſe. φειδεμενυς ὀνοματων και ῥηματων ἐκεινων ἃ λεξεσιν αὐταις ὐκ ἐμφερεται τῃ Θεια γραφῃ, *parce utentes verbis, & nominibus quæ expreſſe in Sacris Literis non exſtant*, & alibi vocem ἀγεννητυ *ingeniti*, de Patre ait σιωπασθαι ἀξιαν, *dignam eſſe quæ taceatur*, utpote ὐδαμυ τ̃ γραφῆς κειμενην, *quæ in Sacris Literis nullibi legatur*. Meletius (*) quoque Antiochiæ ad tempus aliquod abſtinuit a dogmatum quæſtionibus, ea tantum tradens quæ ad morum emendationem pertinerent, hanc curam iſti prævertendam ratus. Huc & illud pertinet quod in Platonis eſt legibus (*c*), ne cui ſcriptum aliquod in vulgus edere liceat, niſi conſtitutis in hoc judicibus approbatum.

7. Sed & mores Clericorum præſertim componere legum eſt opus. Cæcos & claudos e templo (2) ejicit David, mundari Sacerdotes Ezechias & Joſias præcipiunt: evagari Epiſcopos, alea ludere, adſiſtere ſpectaculis vetat Juſtinianus (*d*); qui & alibi (*e*) *maximam habere ſe ait ſollicitudinem circa vera DEI dogmata & circa Sacerdotum honeſtatem*. Nec immerito Platina (*f*) exclamat, *utinam noſtris temporibus Ludovice viveres: indiget nunc Eccleſia tuis Sanctiſſimis inſtitutis, tua cenſura*.

8. Jam vero in illis quoque definiendis quæ lege Divina definita non ſunt, uſas eſſe Poteſtates Imperii ſui jure res apertiſsima eſt: ſic jejunium Rex Ninives indixit: Arcam tranſportari imperat David: quæ ad ornatum Templi pertinebant, ordinat Salomon, & poſt eum Joas; idemque operam dat ne pecunia ſacris uſibus deſtinata alioſum abeat. Hujus generis eſt pars maxima Conſtitutionum, quæ in Theodoſiano & Juſtinianeo Codice & in Novellis & in Francicis Capitularibus apparent. Ut de ætate Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconiſſarum, de Clericorum immunitate ac judiciis, infinitaque alia, quæ tædio ſit recenſere. Eſſe autem in iſtis legibus multa extra Canones conſtituta, aut Canonibus addita, & lectio docet & fatetur Witakerus. Itaque in Tridentina quoque Synodo non dubitavit Rex Galliæ per oratores ſuos exponere, *Reges Chriſtianiſſimos* (ita habent Acta) *multa de rebus ſacris exemplo Conſtantini, Theodoſii, Valentiniani, Juſtiniani, & aliorum Chriſtianorum Imperatorum edixiſſe, plures Eccleſiaſticas leges tuliſse, eaſque antiquis Pontificibus maximis non ſolum non diſplicuiſse ſed etiam nonnullos inter ſua decreta retuliſſe, præcipuos illarum auctores Carolum Magnum & Lodovicum IX Reges Chriſtianiſsimos Divorum nomine dignos cenſuiſse: Antiſtites Galliæ & totum ordinem Eccleſiaſticum ex earum præſcripto pie & Chriſtiane Eccleſiam Gallicam rexiſse & gubernaſse*.

9. In-

(a) *Joan.* 14. 28. (1) *Singularem aſseruit, reipſa duplicem aſseri vetuit ut novam & ατοπον*. (b) *De fide*. (*) *A. D.* 360. (c) *Lib.* 7.
(2) *Non e templo quod Davide denato fundavit Salomon, ſed e munitione Sionis. Vide* 2. *Chron.* 29. 4. 35. 10. (d) *Nov.* 6. *c.* 11. (e) *Nov.* 123. *c.* 10. (f) *In Greg.* IV.

9. Interea veriſsimum eſt plerumque Imperatores in legibus ferendis Canonum aut veterum aut novorum habuiſſe rationem; unde illa orta eſt ſententia: *non dedignantur leges ſacros Canones imitari*. Duplicem enim uſum Legislatori præſtant Canones in rebus lege definita non definitis. Nam & peritorum hominum conſilia continent, & oſtendunt gratam fore ſubditis legem: quod ut non omnino ad legem recte ferendam neceſſarium, ita ſi obtineri poſsit, apprime utile eſt. Exſtat Juſtiniani Novella (*a*), qua *vim Legum obtinere* jubet *Eccleſiaſticos Canones, a quatuor Synodis, Nicæna, Conſtantinopolitana I*[a], *Epheſina I*[a], *& Chalcedonenſi, expoſitos aut confirmatos*: ubi *Confirmatorum* voce intelligi par eſt Canones Conciliorum Provincialium, ut Ancyrani, Gangrenſis, Antiocheni & Laodicenſis, qui toto orbe recepti, proinde in Catholicorum Canonum Codice continebantur.

10. Quod autem quærunt nonnulli, habeatne Eccleſia legislativam poteſtatem, id ex his quæ ſuperius a nobis explicata ſunt, facile diſſolvitur. Nam lege Divina non habet: *το νομοθετειν ἀνειται τοις βασιλευσι ferre leges Regibus conceſſum eſt*, & Sacerdotum non eſt *νομῳ κρατειν auctoritate ſententiæ imperare*, ut ante citavimus; quare quæ ante Imperatores Chriſtianos in Synodis conſcripta ſunt, ad ordinem aut ornatum facientia, *leges* non vocantur, ſed *Canones*, habentque aut ſolam conſilii vim, ut in his quæ ſingulos magis ſpectant, quam univerſos, aut obligant per modum pacti, volentes & nolentes etiam pauciores ex neceſsitate determinationis, ac proinde ex lege naturali, non ex humano aliquo Imperio. Neque hæc tamen obſtant quo minus facultas aliqua legislativa Eccleſiis, Paſtoribus, Presbyteris aut Synodis concedi poſsit humana lege. Nam ſi aliis cœtibus aut collegiis, quorum utilitas neutiquam cum Eccleſia comparanda eſt, id jus tribui poteſt a Summa Poteſtate, ut experientia docuit, cur non & Eccleſiæ, præſertim cum non obſtat jus Divinum?

11. Sed duo hic obſervanda ſunt. Primum, iſtam legislationem, quæ alii quam Summæ Poteſtati competit, nihil imminuere de jure Summæ Poteſtatis; quod in ſcholis dicunt, *cumulative* datam cenſeri, non *privative*: Jus enim ferendarum legum, ſive generalium ſive ſpecialium, Summa Poteſtas communicare alteri poteſt, a ſe abdicare non poteſt. Deinde, leges a tali aliquo coetu datas reſcindi & corrigi poſſe a Summa Poteſtate, ſi ita res exigat: quia non poſſunt in una Republica duo eſſe legislatores æque ſummi: Ideoque inferior ſuperiori parere debet. Hinc plerumque videmus in ipſis Synodorum conſtitutionibus aſſenſum Summæ Poteſtatis exprimi his verbis (*b*): *præcipiente Rege, decreto glorioſiſſimi Principis, conſultu piiſſimi & religioſiſſimi Domini, annuente religioſiſſimo Principe, conſtituit aut decrevit concilium*.

12. Objici hic poteſt, quod Reges nonnumquam ſe Canonibus devinctos affirmant; quodque parere vetant edictis ſuis, quæ Canonibus repugnent. Sed hoc ei ſimile eſt, quod ſuis ſe legibus profitentur vivere, quodque reſcripta a ſe contra leges imperata obſervari prohibent: iſtiuſmodi enim profeſsiones non jus tollunt, ſed voluntatem declarant. Sicut in teſtamento priori appoſita clauſula poſteriori derogans efficit ne poſte-

(a) *Novell.* 131. *A. D.* 541. *Mart.* 12. (b) *Conc. Tolet. VI. Can. & ſeq. A. D.* 638.

poſterius valeat; non quia poſteriori modo teſtari non licuerit teſtatori, ſed quia, quæ ſcripta ſunt in poſteriori, non creduntur pleno liberoque ejus judicio comprobata. Atque hinc eſt, quod ſi clauſulæ deroganti ſpecialiter derogetur, valet, ut poſterius teſtamentum, ita & poſterior conſtitutio. *Vides*, inquit Cicero (a), *numquam eſſe obſervatas ſanctiones earum legum, quæ abrogarentur: nam ſi id eſſet, nulla fere abrogari poſſet: neque enim ulla eſt, quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate abrogationis. Sed cum lex abrogatur, illud ipſum abrogatur, quo non eam abrogari oporteat.*

13. Hinc Balſamo non uno loco notat, Imperatores nec legibus nec Canonibus ſubjici, ob poteſtatem, inquit (b), cœlitus datam: & exemplum affert inſigne Canonis XII. Concilii Chalcedonenſis (*) quo ſtatuitur, *ut ſi qua Civitas per Imperiales litteras Metropolis nomen acceperit, ſolo titulo fruatur, & veræ Metropoli jus priſtinum integrum maneat.* Oſtendit enim poſt eum Canonem novas Metropoles complures ab Imperatoribus erectas pleniſsimo jure. Quibus addi poteſt Juſtinianea prima in Illyrico ab Imperatore Juſtiniano (c) donata Archiepiſcopali jure, ita ut in poſterum Theſſalonicenſi Archiepiſcopo nullum in eam Eccleſiam jus ſervaretur. Electionibus Epiſcoporum Juſtinianus (d) modum præſcripſit mutato Canonum jure; & (ut Toletus quoque notavit) veteres Canones de electione ſæpe edicto Imperatoris reſcindebantur. Antiquiſsimus eſt Canon, ut *ſingulæ civitates ſingulos habeant Epiſcopos.* Excepti tamen ſunt Imperatorum legibus Iſauropolitanus & Tomenſis Epiſcopus (1), quibus præter ſuam civitatem aliæ quoque commiſſæ ſunt. Illud quoque vim legum Imperialium ſupra Canones manifeſte oſtendit, quod in Chalcedonenſi Synodo poſitum (e), ſemperque obſervatum eſt: τοις πολιτικοις και δημοσιοις τυποις, και των εκκλησιαστικων παροικιων ἡ ταξις ἀκολουθειτω, *Eccleſiaſticarum paræciarum ordo a civilibus publicíſque legibus ne diſcrepet.* Quem Canonem Synodus in Trullo repetit. Sed & reſciſſos emendatoſque Canones ab Imperatoribus & Regibus, idque jus ipſas Synodos eis detuliſſe, ſupra quoque de Synodis cum ageremus, abunde probatum eſt.

14. Imo (quod magis mirandum eſt) etiam eos Canones, qui in Apoſtolorum litteris reperiuntur, apparet non eſſe perpetuo obſervatos: quia ſcilicet non tam Divinæ legis expoſitionem, quam conſilium illis temporibus accommodatum continere credebantur. Talis eſt Canon ad Timotheum (f), ne νεοφυτος *novitius* Epiſcopus fiat: quem renovavit Laodicæna Synodus. Egreſsi tamen ſunt hunc Canonem in electione Nectarii Theodoſius, & in electione Ambroſii Valentinianus. Talis eſt & ille Canon (g), ne in Diaconiſſam eligatur *vidua minor annis ſexaginta*: quod & Theodoſius lege lata conſtituit (h). Juſtinianus tamen (i) quadragenariam eligi permiſit.

15. Illud quoque non obſervatu indignum; Reges Hebræos facta quædam ab ipſa Divina

(a) *Lib. 3. ad Attic. epiſt. 23.* (b) *Ad Can. 16. Concil. Carthag.* (*) *A. D.* 451. (c) *Nov. XI. A. D.* 535. (d) *L. 36. Cod. de Epiſ. & Cler.* (1) *Tomenſi tota Scythia ſubjecta fuit.* (e) *Can. 17.* (f) 1. *Cap. 3. 6.* (g) 1. *Tim.* 5. 9. (h) *L. nulla Cod. Theod. de Epiſc. & Cler.* (i) *Nov.* 123. *c.* 12. 13.

Divina lege quaſi excepiſſe: Nam cum lex eſſet, ne *quis Impuratus Paſcha manducaret* (*a*): Ezechias tamen, fuſis ad DEUM precibus, conceſsit adhuc immundis de ſacro veſci (*b*). Item, lex erat, ut jugularentur pecudes per Sacerdotes (*c*), attamen bis ſub Ezechia Levitæ, ob penuriam Sacerdotum, huic Sacerdotali officio admoti reperiuntur (*d*): Non quod Reges quemquam Divinæ legis vinculo ſolverint, (id enim homini nefas) ſed quod κατ' επιεικειαν *ſecundum æquitatem*, optimam Divini, humanique juris interpretem, declaraverint legem Divinam tali rerum conſtitutione ex DEI ipſius mente non obligare. Talis enim declaratio, ſicut in factis privatis & moram non ferentibus, a privatis hominibus fieri ſolet, (quomodo David ejuſque comites interpretati ſunt legem, quæ ſolis Sacerdotibus concedit panes propoſiſitionis edere, in ſumma fame vim non habere obligandi) ita in factis publicis, aut etiam privatis moram ferentibus, a Summa Poteſtate, ut Divini juris vindice atque cuſtode, de piorum atque ſapientum conſilio facienda eſt. Quo & illud refero, quod Machabaicis temporibus pro lege ſtatutum eſt, pugnare in hoſtem Sabbato licere.

C A P. IX.

De Jurisdictione circa Sacra.

S U M M A R I U M.

1. *Juriſdictionem circa Sacra Summæ Poteſtati competere.* 2. *Ejus effecta exemplis declarantur.* 3. *Naturaliter Paſtoribus non competere Juriſdictionem proprie dictam.* 4. *Competere tamen jure poſitivo apud Gentes quaſdam.* 5. *Explicantur actus Paſtorales Juris divini, qui ad Juriſdictionem videntur accedere, & tamen a Juriſdictione proprie dicta diſtinguuntur ac primo circa Apoſtolica.* 6. *Deinde uſus clavium.* 7. *Præſcriptio operum Pœnitentiæ per modum directionis, aut ſuaſionis.* 8. *Non exhibitio Sacramentorum.* 9. *Eccleſiæ actus explicantur Juris divini, qui videntur ad Juriſdictionem accedere, & tamen ab ea diſtinguuntur. Et primum ſeparatio a Paſtore & fratre inordinate ſe gerente.* 10. *Explicantur actus Canonici actibus divini Juris ſuperadditi: & ab iiſdem diſtinguuntur.* 11. *Juriſdictio ex Jure poſitivo Paſtoribus conceſſa explicatur exemplis, & primum circa negotium Religionis.* 12. *Deinde ex conſenſu partium.* 13. *Poſtremo ex delegatione.* 14. *De hujus Juriſdictionis efficacia.* 15. *Judæis ſimilem quandam Juriſdictionem conceſſam.* 16. *Acceſſoria excommunicationis.* 17. *Oſtenditur omnem Paſtoralem Juriſdictionem proprie dictam a Summis Poteſtatibus emanare.* 18. *Quatenus actus Paſto-*

(a) *Lev.* 7. 10. & 22. (b) 2. *Chron.* 30. 18. (c) *Lev.* 1. 5.
(d) 2. *Chron.* 29. 34. & 30. 17.

rum ſupradicti circa Summo Imperio utentem verſentur, & primo de Clavium uſu. 19. Hoc colore male defendi ſeditioſas conciones quæ ex ſacris Literis refelluntur, cum objectionum ſolutione. 20. Actus mere Canonici, aut ex lege poſitiva venientes, quatenus uſurpari poſſint circa Summum Imperantem, & oſtenditur circa invitum uſurpari non poſſe. 21. Quomodo tali caſu poſſit Paſtor ſuæ conſcientiæ ſatisfacere. 22. Quod jus ſit Summarum Poteſtatum circa prædictos actus Paſtorum & Eccleſiarum, id eſt circa exercitium Clavium, actus Canonicos, & actus juris poſitivi. 23. Origo juris intercedendi, mandatorum Pœnalium contra cenſuras, appellationis ab abuſu. 24. Appellationes Eccleſiaſticas a Summa Poteſtate dependere. 25. Modi exercendæ ſupremæ cognitionis per ſe & per alios, cum exemplis. 26. Summas Poteſtates diſpenſare a pœnis Canonicis aut Legalibus. 27. Ad cognitionem Summæ Poteſtatis pertinere an quis juſte excommunicetur.

I. Legislationi Juriſdictio cohæret tanto nexu, ut in ſummo gradu altera ſine altera eſſe non poſsit. Quare ſi ſumma Legislatio de ſacris ſub DEO Poteſtati ſupereminenti competit, ſequitur eidem & juriſdictionem competere. Eſt autem juriſdictio partim civilis, partim criminalis. Civilis juriſdictionis fuit, imo criminalis cujus objectum hæreſeos actus, quod ſedes Epiſcopalis Antiochena Paulo Samoſateno abjudicata in pœnam hæreſeos & ablata eſt. Criminalis ex parte potiori gladius dicitur; *Non fruſtra gladium gerit poteſtas, ſed vindex eſt in omnes male agentes* (a): ergo etiam in eos, qui circa ſacra delinquunt.

2. Hujus fuit, quod & Nabuchodonoſor Rex membratim laniari curavit eos, qui in verum DEUM contumelioſi eſſent: quod Sacerdotes Idololatras mactari juſsit Joſias: Juriſdictionis etiam eſt relegare e loco ſive in locum. Sic Abjatharum Sacerdotem in agrum quendam relegavit Salomo ſine ullo concilio, ut recte ab Elienſi notatum eſt, ob perduellionis ſane crimen; ſed non minus jure eum puniturus, ſi in ſacras leges deliquiſſet quemadmodum Chriſtiani Imperatores Arium, Neſtorium, alioſque hæreticos exilio coërcuere. Juriſdictionem ab Artaxerſe Eſdras eique adjuncti primores acceperant: qua uſi Judæos contumaces bonorum publicatione & ejectione e cœtu publico punierunt (*b*); quod ipſum eſt in Evangelio *αποσυναγωγον ποιειν extra ſynagogam facere*. Ut enim Eſdras Perſæ Regis conceſſu omnimodam juriſdictionem; ita populi Romani, poſteaque Imperatorum permiſſu, hanc juriſdictionis partem retinuit Judæorum Synedrium cum vinciendi flagellandique jure. Docent nos Hebræorum magiſtri tres fuiſſe gradus *ἀποσυναγωγιας relegationis a cœtu*, quorum primus dicitur נדוי *ſeparatio*: ea pœna affectum ſeorſim in Synagoga ſtare juſſum loco ignobiliore; alter חרם *exſecratio*: cui id eſſet irrogatum, eum nefas fuiſſe in Synagoga conſpici, neque opera ejus ad ullam rem cæteros uſos; neque datum ei quidquam: niſi quo tenuiſsime vitam ſuſtentaret. Tertius gradus Chaldaico vocabulo שמאתא *Deus venit* appellatur, ei proprius, qui ex lege Moſis mortem meruiſſet, ſed ſublata capitalium Judiciorum poteſtate, nequiret interfici: ejus contactum atque commercium defugiſſe omnes. Non

(a) *Rom.* 13. (b) *Eſdr.* 725. 26.

Non alio referendum mihi videtur illud in Johannis epiſtola (*a*) εκκλησιας εκβαλλειν *ejicere Eccleſia*; quod Diotrephes faciebat φιλοπρωτευων *primatum ambiens* ſcilicet, & Imperium aliquod in Eccleſia ſibi vindicans. Non longe ab hac pœna αποσυναγωγιας *relegationis a cœtu* abit illud Romanis legibus cognitum, foro interdicere, & vetare, ne quis in Archio aut grammatophylacio ſedeat (*b*); & τȢ συνεδριȢ ειργειν *Senatu arcere*, in lege veteris municipii (*c*). Juriſdictionis etiam eſt, abdicare quemquam a Sacerdotali officio: quod, relictis interim alimentis, in Sacerdotes ſchiſmaticos conſtituit Joſias. Sic Theodoſius, ſic Honorius, ſic Arcadius, ſic Theodoricus, ſic Otthones, de deponendis aut reſtituendis Epiſcopis jus dixere. Minatur Epiſcopis contumacibus Conſtantinus, futurum ut cöerceantur (*d*). At quomodo? δια της τȢ θεραποντος τȢ ΘεȢ, inquit, τȢτεςιν εμȢ ενεργειας *per miniſtram Dei*, *id eſt*, *potentiam meam*. Notandum enim non tantum ejectionem ab eo munere, quod ex Summæ Poteſtatis Imperio fluat, ſed ab aliis quibuſcumque officiis ad jus gladii pertinere. Hinc inter Romanas pœnas eſt (*e*), advocationibus interdicere in perpetuum vel ad tempus; vel ne quis certis perſonis adſit; ne inſtrumenta formet; ne libellos concipiat; ne teſtationes conſignet; ne teſtamenta ordinet, vel ſcribat, vel ſignet; ne quis negotiis publicis interveniat; ne quis negotietur; ne quis vectigalia conducat. Infamiæ quoque irrogatio pars eſt gladii; &, quod infamia minus eſt, notatio, quæ pars animadverſionis apud Romanos Cenſorum erat propria. *Cenſoris Judicium*, inquit Marcus Tullius, *nihil fere damnato adfert præter ruborem. Itaque ut omnis ea Judicatio verſatur tantum in nomine, animadverſio illa ignominia dicta eſt.* Militaribus quoque pœnis ignominiam annumerat Feſtus Pompejus. Oſtenſum ergo eſt, juriſdictionem de ſacris competere Summis Poteſtatibus, utpote Imperii late ſumpti partem. Quod ipſum egregie jam olim notavit Canonum peritiſsimus Balſamo ad Can. XII. Synodi Antiochenæ. Verba ſunt; quia ſtatutum eſt, nullum per alium injuria afficiendum, ipſe Patriarcha ab Imperatore, qui Eccleſiæ habet poteſtatis ſcientiam, judicabitur forte ut ſacrilegus, vel male de fide ſentiens, vel alicujus criminis reus. Hoc enim judicialiter actum vidimus diverſis temporibus.

3. Videamus nunc ecqua juriſdictio competat ſacrorum adminiſtris, omnì lege humana ſepoſita; deinde viſuri, quid illis ex lege humana accedat. Naturaliter Sacerdotibus nulla juriſdictio, hoc eſt, judicium nullum coactivum ſive imperativum competit: quia tota illa functio nihil tale ſuapte natura includit. Unde Ariſtoteles (*f*); τȢς ιερεας ἑτερον τι παρα τας πολιτικας αρχας Θετεον *ſtatuendum eſt*, *ſacerdotes eſſe diverſum quid a civilibus magiſtratibus*; eſt enim πολιτικων αρχων *civilium magiſtratuum* juriſdictio, quæ ex Summæ Poteſtatis juriſdictione fluit atque emanat.

4. Quare etſi qui in primævo ſtatu legis naturalis Sacerdotes juriſdictionem habue-

(a) *Epiſt.* 3. *verſ.* 10. (b) *L. Moris*, §. *nonnunquam*, *ff. de pæn.* §. *ſolent*, *ibid.* (c) *L. ult. ff. de decret. ab ord. facien.* (d) *Theod. lib.* 1. *cap.* 21. (e) *D. l. Moris*. (f) *Polit. lib.* 4. *cap.* 15.

buerunt, eam non habuerunt ut Sacerdotes, ſed ut magiſtratus: nam etiam, cum non fuit penes Summam Poteſtatem Sacerdotium, vix tamen Sacerdotes ſine Imperio. Hinc *Cohen* commune Sacerdotibus & magiſtratibus nomen, manſitque is mos plurimas apud gentes. Nam Druidæ apud Gallos generis nobiliſsimi, & in Epiro Sacerdotes & opibus & genere ſplendidiſsimi, Herodoto teſte, & apud Cappadoces, Strabone Cappadoce auctore, Sacerdotii dignitas regali proxima, ac ferme eodem ex genere Sacerdotes & reges; apud Germanos veteres, neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem niſi Sacerdotibus permiſſum, ut apud Tacitum eſt. Princeps Areopagitici Senatus Athenis Sacerdos; & apud Romanos Pontificum Imperio legimus Veſtales ſub terram defoſſas, aut flagris admonitas, flamines flaminio abire juſſos, aut multam ipſis dictam; quare, quod in Senatu dixit Lentulus, *Pontifices religionis eſſe judices* (*a*), ea voce non peritiæ tantum, ſed & Poteſtatis judicium ſignificavit. Lex vero Moſaica plane Sacerdotibus, & in primis Sacerdoti maximo, ut eximiam dignitatem, ita & juriſdictionem contulit. Sub Summa tamen Poteſtate, ſive is Rex eſſet, ſive conventus publicus, planeque, ubi nec Rex erat conſtitutus, nec Judex, ſummus Sacerdos, ut civium ac magiſtratuum præſtantiſsimus, principatum gerebat; ut Heli, & poſtea Aſmonei. Præcipuam apud Judæos fuiſſe nobilitatem Sacerdotalem & Joſephus & Philo notant. Magiſtratum geſsiſſe Sacerdotes vel illud unum arguit, quod *morti addicitur qui Sacerdotis Imperio non paruerit*, qua lege Sacerdos ſummus ſummo judici æquatur. Neque vero de ſacris tantum, ſed & profanis de rebus jus dixere, utpote legis totius optimi interpretes, non diviſa eo tempore juris Divini humanique prudentia. Hinc ad illos non minus quam ad ſummum Judicem relatio facta de cædibus, ac vulneribus, & omne genus controverſiis (*b*). Et apud Ezechielem loquitur DEUS de Sacerdotibus; *in lite ſtabunt ipſi ut judicent ſecundum judicia mea* (*c*); ut veriſsime Joſephus dixerit (*d*), Sacerdotes *inſpectores omnium & controverſiarum judices, damnabilium punitores lege conſtitutos*: & in explicatione Deuteronomii; *Pontifex* inquit, & Senatores, quæ juſta pronuntiant. Hinc Philo (*e*) Moſem inducens pro tribunali ſedentem, *συνεδρευον*, inquit, *ιερεις conſidebant Sacerdotes*: at in Evangelica lege cum nullum Paſtoribus Dominatum ſive Imperium Chriſtus dederit, ne Juriſdictionem quidem dedit, hoc eſt, *αναγκαστικην δικαιοκριςιαν judicium coactivum*, quæ genuina eſt latinæ vocis ſignificatio.

5. Videamus tamen, ecquæ ſint actiones aut Paſtorum aut Eccleſiæ ipſius, quæ Juriſdictionis aliquam habeant ſpeciem, ac proinde ſimilitudine quadam in ejus nominis appellationem veniant. Eas autem hic conſideramus actiones, quæ legi humanæ ſive arbitrio Summæ Poteſtatis nihil debent. Ad Juriſdictionem ergo videtur accedere virga illa, cum qua venturum ſe Paulus Corinthiis minatur. Cujus opus eſt, ut Apoſtolicis verbis utamur, *αποτομως χρησθαι*, *εκδικησαι πασαν παρακο-*

(a) *Cicero lib. 4. ad Attic.* (b) *Deut. 17. 8.* (c) *Cap. 44. 24.*
(d) *Contra Appion. lib. 11. 6.* (e) *Lib. 3. de vita Moſ.*

ϖαλογν, ου φειδεσθαι (*a*) *durius agere*, *ulciſci omnem inobedientiam*, *non parcere*: quæ omnia prodigioſam quamdam puniendi virtutem ſignificant (*b*), qua interfecti ſunt Ananias, & Saphira, cæcitate percuſſus Elymas, Satanæ traditi Hymenæus & Alexander (*c*), & facinoroſus ille Corinthius (*d*). Plane illud *tradere Satanæ* mirificæ fuit virtutis, quæ corpori tormentum inflixit, quale & olim Saul poſt defectionem a DEO ſenſerat, ut interpretantur Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius, Theodoretus, Sedulius, Œcumenius, Theophilactus, Pacianus. Omnino certiſsimum eſt, tempore, quo terrenæ Poteſtates jus puniendi ſibi conceſſum ad purgandam, tuendamque Eccleſiam non exercebant, DEUM ipſum, quod terreni auxilii deerat, cœleſti auxilio ſuppleviſſe. Hinc factum, ut apud Corinthios profanato cœnæ Dominicæ Myſterio, *multi ægrotarent*, *multi occumberent* (*e*). Quin tanto poſt tempore narrat Cyprianus, & baptizatos caruiſſe immundo ſpiritu, quo antea movebantur, & (ſi poſtmodum peccare cæpiſſent) ſpiritu immundo redeunte quaſſatos: *ut manifeſtum ſit*, inquit, *diabolum in Baptiſmo fide credentis excludi*, *ſi fides poſtmodum defecerit regredi* (*f*). Sed quemadmodum manna pluere deſtitit populo in terram promiſſam perducto; ita, poſtquam Imperatores patrocinium Eccleſiæ ſuſceperunt, quorum officium erat eos punire, qui foris aut intus Eccleſiam perturbarent, Divina illa pœnarum genera conquieverunt. Ad rem ut veniamus, illa Divinæ ultionis diſtrictio proprie divina erat Juriſdictio, non hominum, quia totum opus erat DEI, non Apoſtoli: ſed DEUS, quo Evangelici præconii veritatem faceret teſtatiorem, ſicut ad Apoſtolorum preces, aut præſentiam, atque contactum morbos ſanabat, migrare cogebat dæmones: ita ad eorundem imprecationem homines, aut morbis vexari, aut a dæmonibus arripi imperabat. Neque plus in hominibus Satanæ mancipandis præſtitit Paulus, quam in claudo ſanando Petrus & Joannes (*g*), qui negant ſe quicquam feciſſe ἰδίᾳ δυνάμει, *propria poteſtate*, totiuſque operis efficientiam DEO tranſcribunt. Quin ad Eccleſiæ quoque preces ſimilia iræ ſuæ ſigna DEUS ſæpiſsime oſtendebat. Ideo culpantur Corinthii (*h*), quod non ſerio doluerint, ut ſcilicet inceſtuoſus ille e medio ipſorum tolleretur. Neque alio pertinere illud videtur ad Galatas (*i*) non imperantis ſed optantis Apoſtoli, *Vtinam exſcindantur qui vos perturbant*.

6. In perpetuo autem Paſtorum officio effigiem quamdam habet Juriſdictionis uſus clavium. Ita, auctore Chriſto; appellatur ea quæ fit ſingulis, promiſsionum & comminationum Evangelicarum applicatio. Quæ vero proportio eſt legislationis ad Juriſdictionem, eadem prædicationis ad uſum clavium. Quare qua figura prædicatio Evangelii vocatur *Legislatio*, ea uſus clavium *Juriſdictio* appellatur. Supra commonſtratum eſt, Chriſtum, ut legem ſolum, ita jus ſolum in animos dicere, non tantum in fine ſæculi ferendo definitivam ſententiam, ſed interim quoque *retinendo*

(a) 2. *Cor.* 13. 10. 10. 6. 13. 2. (b) *Act.* 4. 13. (c) 1. *Tim.* 1. 20. (d) 1. *Cor.* 5. (e) 1. *Cor.* 11. 30. (f) *Epiſt.* 75. (g) *Act.* 3. 12. (h) 1. *Cor.* 5. (i) *Gal.* 5. 12.

nendo aut remittendo peccata. *Solus ille*, inquit Hilar. Diaconus (*a*), *peccata dimittit*, *qui ſolus pro peccatis noſtris mortuus eſt*. Item, *nemo tollit peccata mundi*, *niſi Solus DEUS*, *qui eſt agnus tollens peccata mundi*. Veriſsime ergo Lombardus (*b*), *Sacerdotibus tribuit DEUS poteſtatem ſolvendi & ligandi*, *id eſt*, *oſtendendi homines ſolutos vel ligatos*: & mox, *in ſolvendis ergo culpis vel retinendis ita operatur Sacerdos Evangelicus*, *& judicat*, *ſicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra*, *quæ peccatum ſignat*. Atque ita Cyprianus (*c*), cum Sacerdotem *vice Chriſti Judicem* dixit, intelligendus eſt hoc voluiſſe quod Paulus cum dixit, *pro Chriſto legatione fungimur*: nempe, quia Judicium Chriſti Sacerdos annuntiet. Itaque ille ipſe Cyprianus alibi; *non quaſi a nobis*, inquit, *remiſſionem peccatorum conſequantur*, *ſed ut per nos ad intelligentiam delictorum ſuorum convertantur*; cûm quo conſentit Ambroſius (*d*): *Sacerdos quidem*, inquiens, *officium exhibet*, *ſed nullius poteſtatis jura exercet*. Auguſtinus quoque *adverſus Lit. Petil. lib.* 3. *cap.* 54. *ad miniſtrandum & diſpenſandum verbum ac Sacramenta aliquid eſt*: (Paſtor) *ad mandandum autem & juſtificandum non eſt aliquid*: *quia hoc non operatur in interiore homine*, *niſi per quem creatus eſt totus homo*, *& qui DEUS manens factus eſt homo*; & clariſsime Hieronymus (*e*): *quomodo Sacerdos leproſum mundum vel immundum facit*, *ſic Epiſcopus vel Presbyter alligat vel ſolvit*; & alibi: *hunc locum quidam non intelligentes aliquid ſumunt de ſupercilio Phariſæorum*, *ut damnare innoxios*, *vel ſolvere ſe putent noxios*, *quum apud DEUM non ſententia Sacerdotum*, *ſed reorum vita quæratur*. Quo loco oſtendit, ubi is, qui clave utitur, in jure aut facto errat, nullum eſſe clavis effectum. Quam in ſententiam exſtat egregia Niconis ad Eucliſtium Epiſtola de injuſta excommunicatione (*). Contrarium in Juriſdictione evenit. Ibi namque etiam, quod Judex errans pronunciavit, ob auctoritatem jus dicentis, in rem judicatam abit. Sicut ergo præco jus non dicit, qui ſententiam recte aut mendoſe enuntiat: ita & Paſtori in iſto clavium uſu Juriſdictio niſi ἀκυρῶς *improprie* tribui nequit.

7. Uſui clavium cohæret præſcriptio operum pœnitentiæ, quæ ſi in genere fiat, ut cum Baptiſtes Judæos affatur, ποιήσατε καρπὸν ἄξιον μετανοίας *facite fructum dignum pœnitentiæ*, & cum Daniel Regem, *peccata tua per miſericordiam abrumpe*, aut ſi in ſpecie ea indicet, qualis eſt damni dati reſtitutio, & manifeſti facinoris manifeſta deteſtatio, ad legis annuntiationem, non ad Juriſdictionem pertinet. Sin vero id in ſpecie præſcribitur, quod lex Divina in ſpecie non definit, tum hoc omne, non ad Juriſdictionem, ſed ad *Conſilium* referri debet, quo nomine ab antiquis etiam ſcriptoribus ſæpiſsime appellatur. Quare ſicut Philoſophi, Medici, Juriſconſulti, amici etiam conſilium præbentes, jus proprie non dicunt, etiamſi ſæpe eſt ejuſmodi conſilium, quod ſine gravi culpa ſperni nequeat: ita nec jus dicit Paſtor animo ſalubre conſilium præbens.

8. An-

(a) *Hil. Diac. in* 2. *Cor.* 5. (b) *Lib.* 4. *d.* 18. (c) *Epiſt.* 55. (d) *De Spiritu Sancto lib.* 3. *cap.* 19. (e) *In Matth.* 16. (*) *Poſt A. D.* 900. *ſcripta*.

8. Annexum præterea eſt uſui clavium, quod & ipſum Juriſdictionis quandam præ ſe fert imaginem, σφραγιδας, *ſigna* Divinæ gratiæ quibuſdam non exhibere. Sed ſicut, qui baptizat, aut Euchariſtiam, ut mos vetus habebat, ori alicujus aut manui inſerit, actum miniſterialem non Juriſdictionis exercet: ita & ille, qui iiſdem actibus abſtinet. Neque ſane alia eſt adſpectabilium quam vocalium ſignorum ratio. Quo jure igitur Paſtor homini manifeſte flagitioſo verbis annuntiat, alieniſsimum eſſe ipſum a Divina gratia, eodem jure eidem baptiſmum non exhibet, quippe ſignum remiſſionis peccatorum; aut ſi baptizatus eſt, Euchariſtiam, ut ſignum communionis cum Chriſto. Non eſt enim ſignum ei applicandum, cui res ſignata non convenit, nec danda margarita porcis: Sed ut in Eccleſiis proclamari a Diacono ſolebat, αγια αγιοις, *ſancta ſanctis*. Imo, non tantum contra veritatem, ſed & contra charitatem eſſet, τον μη διακρινοντα το σωμα του κυριου, *non dijudicantem corpus Domini*, ſacræ Cœnæ participem facere: κριμα γαρ ἑαυτῳ εσθιει και πινει, *judicium enim ſibi manducat & bibit* (a). In his ergo cum Paſtor ſuum dumtaxat actum ſuſpendat, non in actus alienos jus ullum Dominii exerceat, apparet hæc ipſa ad libertatis uſum, non ad Juriſdictionis exercitium pertinere. Simile κατ' αναλογιαν, *ſecundum proportionem* in Medico adſpicitur, qui Hydropico adſidens aquam poſcenti nocituram porrigere recuſat: aut in viro gravi, qui profligatæ vitæ hominem dedignatur ſalutare: & in his, qui lepra aut alio contaminante morbo infectos defugiunt.

9. Et hi quidem actus Paſtorum ſunt proprii. Ad eos veniamus qui ſunt ipſius Eccleſiæ, aut quos Paſtor cum Eccleſia communes habet. Primum ergo *plebs*, ut cum Cypriano loquamur (*b*), *obſequens præceptis Dominicis a peccatore præpoſito ſeparare ſe debet*: Jubentur enim ſinguli, multo magis univerſi, *cavere prophetas falſos*, *alienum Paſtorem fugere* (c), *ab iis declinare qui diſſidia faciunt & offenſas contra Doctrinam* (d). Secundo imperatur fidelibus familiarem eorum conſuetudinem declinare, qui, fratres cum nominentur, *Scortatores ſunt*, *avari*, *Idololatræ*, *conviciatores*, *ebrioſi*, *rapaces*, *hæretici*, *pietatem quæſtui habentes*, aut alioqui inordinate ſe gerentes, & contra Chriſti inſtitutionem: *Subducite vos ab illis*, *ne miſcemini talibus*, *eos averſamini*, *cibum cum eis ne ſumitote*, inquit in pluribus locis Apoſtolus Paulus (*e*). Sunt enim ejuſmodi homines (ut Judas Apoſtolus inquit) *maculæ in agapis* Chriſtianorum. His ergo vocibus cum utatur Scriptura, manifeſtum eſt nullum actum privato majorem denotari. Quid enim aliud hic jubetur facere Eccleſia, quam quod Diſcipulus facit qui pravum Doctorem deſerit, aut quod honeſti homines faciunt, cum in ſcelus aliquod prolapſis amicitiam aut convictum renuntiant? Quæ poſtea uſurpari cœperunt voces, de Paſtore quidem καθαιρειν, ſive *deponere*, de fratribus vero αφοριζειν, id eſt, *excommunicare*, propius ad Imperii naturam videntur accedere. Sed voces ex re, non res ex vocibus eſt metienda. *Deponit* Paſtorem Eccleſia, cum magiſterio ac Paſtoratu ipſius

non

(a) 1. *Cor.* 11. 29. (b) *Epiſt.* 68. (c) *Joan.* 10. (d) *Rom.* 16. 17. (e) *Tit.* 3. 2. *Theſſ.* 3. 5. 14. 2. *Tim.* 3. 6. 1. *Cor.* 5. 9. 13. 1. *Tim.* 6. 5. 11.

non utitur . *Excommunicat* aliquem , cum ejus communioni ſe ſubtrahit . Utrobique utitur jure ſuo , alteri nihil juris demit , & quamquam ſine judicio id non faciat; unde etiam fideles dicuntur *κρινειν τους εσω* , *qui intus ſunt* , *judicare* (*a*) , nullam Juriſdictionem proprie dictam exercet . Eſt enim *Juriſdictio* ſuperioris in inferiorem : at *Judicium* ſæpe etiam inter pares ; quale illud (*b*) : *nolite judicare* , *ne judicemini* .

10. His, quæ Divini ſunt juris, expenſis, videamus quidnam acceſſerit aut Canonicum aut Legale. Canonicum ergo fuit, & ex conſilio Paſtorum conſenſuque Eccleſiæ ortum , quod in facta etiam non manifeſta inquiri cœpit: quodque non abſtinentes a flagitio nonniſi poſt aliqua temporis intervalla ad ſacram Synaxin admittebantur . Non enim aliter fieri nefas erat : ſed ita potius fieri & lapſis & cæteris expediebat . Lapſis quidem , ut culpam ſuam tanto gravius deteſtarentur ; aliis vero , ut a ſimili lapſu abſterrerentur exemplo . Hinc graviore delicto contaminati , primum tempore aliquo extra templum culpam ſuam deflebant, & *χειμαζομενοι tempeſtate infeſtati* dicebantur , aut *προσκλαιοντες qui erant in primo fletu* : deinde erant *ακροωμενοι audientes* , ſive *οἱ εν ναρθηκι in Narthece ſeu ferula* : poſtea erant *ὑποπιπτοντες ſe ſubmittentes* : Inde *συνεςωτες in cœtum admiſſi* , pari cum Catechumenis Jure: tandem admittebantur ad orationes fidelium, ac poſtremo ad ſacra Myſteria . Simili olim ſeveritate ſui gregis delicta Eſſeni coercebant . De quibus inſignis eſt Joſephi locus (*c*) : *τυς απ' αξιοχρεοις ἁμαρτημασιν ἁλοντας εκβαλλυσιν εκ τυ ταγματος* , *deprehenſos in magnis peccatis ejiciunt ex conventu* ; ibid. *ὁ δε ορκοις και τοις εθεσιν ενδεδεμενος υδε της παρα τοις αλλοις τροφης δυναται μεταλαμβανειν· ποηφαγων δε και λιμῳ το σωμα τηκομενος διαφθειρεται* , *illis Sacramentis ac ritibus obligatus neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt* ; *herbas vero pecudum more decerpens & fame exeſus per membra corrumpitur* . Quin & hodie Judæi , cum ſint mere privati , attamen delinquentibus ſuæ ſectæ hominibus injungunt pœnas . Qui homicidium commiſit , ſtans pro foribus clamat ſe eſſe homicidam . Aliis injunguntur *ξηροφαγιαι victus aridi* , verberum patientia , exilium quoque : nempe , quod jubentium poteſtati deeſt , ſupplet parentium reverentia . Sed ad Chriſtianæ diſciplinæ inſtituta ut revertamur; ea numquam juri Divino attributa vel inde apparet , quod nulli homini licet cuiquam juris Divini gratiam facere . At Epiſcopis ſemper conceſſum fuit habita ratione vitæ pœnitentium hæc tempora producere aut contrahere , ut in Ancyrani Concilii Canone II. & V. videre eſt . Imo & generaliter de vita periclitantes ad communionem admittebantur : quem *παλαιον και κανονικον νομον* , *veterem & in canone relatam legem* , vocat Nicæna Synodus . Quod ipſum quoque Eſſenorum conſentit inſtituto , qui *πολλυς ελεησαντες εν ταις εσχαταις αναπνοιαις ανελαβον ἱκανην επι τοις αμαρτημασιν αυτων την μεχρι θανατυ βασανον ἡγυμενοι* , *miſerti multos morti vicinos in gratiam recipiebant* , *delictis illorum ſufficere arbitrati toleratos ad mortem uſque dolores* , ut Joſephus narrat (*d*) . Et cum hi , quibus jure Divino participare ſacra non licet,

(a) 1. *Cor.* 5. 12. (b) *Matth.* 7. 2. (c) *Lib.* 2. *de bello Judaico* c. 7. (d) *loco citato* .

licet οἱ ἀμετανόητοι (*in peccatis perſeverantes*) ſcilicet ab omnium communione excluſi ſint. Canones quoſdam a ſuæ dumtaxat Provinciæ communione arcent, alios, interdicta cleri communione, ad laicorum communionem admittunt: & ob idem crimen laicus excommunicatur, clericus ab officio removetur, ita ut in communione maneat. Præterea abſtinendum ab excommunicatione docet Auguſtinus, *ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit*. Quæ exceptio admittenda non eſſet, ſi excommunicatio ſolo Divino Jure niteretur. Apparet igitur multa ex humano conſenſu acceſſiſſe, quæ, quamdiu Imperiali auctoritate deſtituta fuerunt, non modo cogendi nullam vim habuerunt, ſed extra conſenſum quoque obligarunt neminem, niſi forte ex naturali lege, quæ offendicula vitari jubet. Parique modo, quo ipſi Canones, etiam Judicia ex iſtis Canonibus lata ſingulos obſtringebant: Ut enim ad viliorum negotiorum diſceptationem ex Pauli Apoſtoli conſilio laici erant inſtituti, qui diſsidentes componerent; ita negotia majora Judices Clericos habuerunt, ad quæ judicia illa ſpectat admonitio, ex naturali æquitate veniens, *Contra Preſbyterum* (probatæ ſcilicet fidei hominem) *accuſationem niſi ſub duorum aut trium teſtimonio non admittendam* (a).

11. At poſtquam Imperatores Chriſtianiſmum amplexi ſunt, tum demum Juriſdictionis pars aliqua Paſtoribus, ut officio publico fungentibus, data eſt: eaque triplex, aut jure ordinario, aut ex conſenſu partium, aut ex delegatione. Jure ordinario conceſſum eſt Epiſcopis de iis rebus judicare, quæ ad Religionem pertinent, quod primus omnium videtur conſtituiſſe Valentinianus I. (*) cujus hoc reſcriptum citat Ambroſius: *In cauſſa fidei vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec Jure diſſimilis* (b). Hæc enim, addit Ambroſius, *verba reſcripti ſunt*, hoc eſt, *Sacerdotes de Sacerdotibus Judicare voluit*. Eadem ſententia repetita eſt conſtitutione Arcadii & Honorii (**) quæ ſic habet: *quoties de religione agitur, Epiſcopos convenit agitare* (c). Quo reſpiciens Valentinianus tertius (d); *conſtat Epiſcopos & Presbyteros forum legibus non habere: nec de aliis cauſſis, ſecundum Arcadii & Honorii reſcripta, quæ Theod. corpus oſtendit, præter religionem poſſe cognoſcere*. Eſt & alia Valentiniani II. Theodoſii & Arcadii lex, illa Honoriana antiquior, quæ cauſas dicit Eccleſiaſticas Epiſcopali auctoritate debere decidi. Deinde addit (e), *quibuſcunque igitur fuerit mota quæſtio, quæ ad Chriſtianam pertineat Sanctitatem, eos decebit ſub eo Judice litigare; qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum*. Secutus hos Juſtinianus; *Has autem auctiones, ſiquidem ad Eccleſiaſtica negotia pertinent, neceſſe fore jubemus, ut a ſolis religioſiſſimis Epiſcopis, aut Metropolitanis, aut a ſacris Synodis, aut a ſanctiſſimis Patriarchis cognoſcantur*. Et alia conſtitutione nominatim horum negotiorum cognitionem Civilibus Judicibus adimit, cauſa etiam reddita, *ſi vero Eccleſiaſticum ſit delictum, egens caſtigatione Eccleſiaſtica, & mulcta, Deo amabilis Epiſcopus hoc diſcernat, nihil communicantibus clariſſimis Provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino ſcire Civiles Judices, cum oporteat talia eccleſiaſtice examinari, & emendari animas de-*

(a) 1. *Tim.* 5. 19. (*) *A. D.* 358. (b) *Lib.* 5. *ep.* 32. (**) *A. D.* 387. (c) *L.* 1. *C. Theod. de relig.* (d) *Nov. Valent. de Epiſc. Jud.* (e) *L. graviter Cod. Theod. de Epiſcop. jud.*

linquentium per Eccleſiaſticam multam, ſecundum ſacras & divinas regulas; quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges (a).

12. In cæteris cauſsis olim tam Clerici quam Laici apud Epiſcopos niſi ex conſenſu non litigabant. Hanc ex conſenſu Juriſdictionem a Conſtantino Epiſcopi acceperunt, tanto cum Jure, ne liceret ulterius tractare negotium, quod Epiſcoporum ſententia decidiſſet, id eſt, remota appellatione. Hinc Valentinianus modo citata conſtitutione, *Itaque cum inter Clericos jurgium vertitur & ipſis litigantibus convenit, habeat Epiſcopus licentiam judicandi, præeunte tamen vinculo compromiſſi: quod & de Laicis, ſi conſentiant, auctoritas noſtra permittit*. Poſtea ex Chalcedonenſis Concilii cap. IX. non licuit Clericis adverſus Clericos ad ſecularia Judicia procurrere, ſed prius actio, aut apud Epiſcopum, aut apud eum, quem conſilio Epiſcopi partes elegiſſent, fuit ventilanda. Neque tamen, ſecus ſi facerent Clerici, Judex ſecularis Juriſdictione caruit; ſed dumtaxat in Clericos conſtitutæ ſunt Canonicæ correptiones. Primus omnium Imperatorum Juſtinianus jura Judicum ſæcularium circumſcripſit, & Clericos tam a laicis, quam a Clericis in Civilibus cauſsis apud Epiſcopum omnino conveniri voluit; ita tamen, ut liceret Epiſcopo difficiles controverſias ad Civiles judices remittere: liceret quoque ei, qui ſententiæ Epiſcopi contradiceret, ad Civilem Judicem appellare. Cæterum criminum non mere Eccleſiaſticorum vindicta in Clericos eo tempore multoque poſt penes Judices Civiles manſit. Quod autem diximus a ſententia Epiſcopi inter partes electi non potuiſſe appellari, idem Arcadius quoque, Honorius, & Theodoſius epiſtola ad Theodorum Manlium præfectum prætorio oſtendunt: *Epiſcopale Judicium ratum ſit omnibus, qui ſe audiri a Sacerdotibus elegerint: eamque illorum adjudicationi adhibendam eſſe reverentiam jubemus, quam veſtris deferri neceſſe eſt poteſtatibus, a quibus non licet provocare*. A Præfectis enim prætorio non appellabatur; ſed ſi quis læſum se diceret, ei licebat Imperatori ſupplicare (*b*). Unde Præfecti prætorio vice ſacra, hoc eſt, Imperatoria Judicare dicuntur: quod & de Epiſcopis ex conſenſu Judicantibus recte dixeris. Idem jus tribuitur Patriarchis, ad quorum cognitionem controverſiæ Eccleſiaſticæ deferebantur, quæ apud inferiores Epiſcopos finem invenire non potuerant, *contra horum Antiſtitum* (ait de Patriarchis agens Juſtinianus (*c*)) *ſententiam non eſſe locum appellationi a majoribus noſtris conſtitutum eſt*.

13. Tertium genus Juriſdictionis illud diximus, quod ex delegatione naſcitur, ſive Summæ, ſive minoris etiam Poteſtatis. In hoc cauſsarum genere ſemper appellatio conceſſa fuit ad Imperatorem, ſi ex Imperiali juſsione judicatum eſſet; aut ad Judicem quemcumque, ſi ex Judiciali præcepto. Juriſdictionis nomine omnes has cognoſcendi ſpecies complectimur, quæ continent jus citandi teſtes, jurejurando adſtringendi, idque ipſum ut ſententiæ, niſi appellaretur, victum obſtringerent. Et in nolentem quoque exſecutio dabatur, non quidem manu Epiſcopali (quod minus decorum) ſed manu Civilis Judicis. Conſtitutum enim fuit, ut ait Sozomenus *εις εργον τα κρινομενα παρα των επισκοπων αγειν τους αρχοντας και τους διακονουμενους αυτοις στρατιω-*

(a) *Nov. 89.* (b) *L. 1. Cod. de Sent. præf. præt. l. a Proconſule C. Th. de Appell.* (c) *L. Sancimus Cod. de Epiſc. aud.*

τιωτας, *ut epiſcoporum ſententias Magiſtratus civiles manu militari exequantur*. Qua de re exſtat Arcadii, Honorii, & Theodoſii conſtitutio. Hinc factum, ut Juriſconſulti, qui voculas accuratius diſcernunt, huic Juriſdictioni proprium nomen fecerint *audientiæ*: quia Judex ipſe ſententiam non exſequitur, ſicut & delegato cuivis Judici eam ob cauſam notionem tribuunt. Multum ergo Paſtoribus & Eccleſiæ, ſupra id quod Jure Divino aut ex meris Canonibus habebant, a lege humana & conceſſu Summarum Poteſtatum acceſsit.

14. Neque jam tantum Paſtorem infidum fugere plebi jus erat, ſed Paſtor talis vi ſententiæ in ipſum prolatæ jus Paſtorale, & quidquid illi adſcribebatur, amittebat. Hinc illud Honorii & Arcadii: *Quicunque conſidentibus Sacerdotibus fuerit Epiſcopali loco vel nomine detruſus*. Quod ſi contra ſententiam quid attentaret, relegatione puniebatur. Sic & fratri flagitioſe viventi non tantum Paſtor Sacramenta & ſinguli familiarem convictum negare jam poterant, ſed ipſi poſt ſententiam accedere Eccleſiam non licebat. Hinc illud in lege Honorii & Arcadii (*a*): *ſit ab eorum cœtibus ſeparatus, a quorum eſt Societate diſcretus*. Et in Gratiani, Valentiniani & Theodoſii lege jubentur tales homines *inhiberi a congreſſu honeſtorum, a communione Sanctorum* (*b*). Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius fœminam, quæ crines ſibi abſcidiſſet, jubent Eccleſiæ foribus arceri, quod Sozomenus (*c*) tranſtulit, απελαυνεσθαι των εκκλησιων εις το αναγκαστικον, *arceri ab Eccleſiis ad vim*. Quo reſpiciens Marſilius recte inquit, talem excommunicationem fieri poſſe citra legislatoris auctoritatem.

15. Neque ſane mirari debemus hoc Jus Chriſtianis Paſtoribus datum ab Imperatoribus Chriſtianis; cum iidem Judæis indulſerint, ne qui in ipſorum ſectam recipiantur, aut opem reconciliationis accipiant, invitis ipſorum Primatibus. Cujus conſtitutionis hanc reddunt rationem Theodoſius, Arcadius, & Honorius, quia *Primates Patriarcharum ſuorum arbitrio manifeſtum eſt habere ſuam de religione ſententiam*. Sicut & Juſtinianus (*d*) Anathematiſmos a majoribus Judæorum fieri vetans ob uſum Græcorum Codicum, ſatis aperte aliis probabilibus de cauſis Jus Anathematizandi ipſis concedit. Quin & in alia conſtitutione Arcadius & Honorius (*e*), his, *qui illuſtrium Patriarcharum ditionibus ſubjecti ſunt, Archiſynagogis, Patriarchiſque ac presbyteris cæteriſque qui in Judaicæ religionis Sacramento verſantur, eadem privilegia ſervari volunt, quæ venerandæ Chriſtianæ legis primis Clericis deferuntur*. Additur idem a Conſtantino, Conſtantio, Valentiniano, & Valente decretum, quæ me inducunt, ut in conſtitutione eorumdem Principum, quæ eſt in Juſtinianeo Codice, deſiderari putem negantem voculam, atque ita legendum: *Judæi communi Romano Jure viventes in his cauſis, quæ non tam ad ſuperſtitionem eorum quam ad forum & leges ac jura pertinent, adeant ſolemni more Judicia, omneſque Romanis legibus conferant atque excipiant actiones*: Nam ſane in his, quæ ſuperſtitionem eorum tangebant, habuiſſe *Primates ipſorum Jus ſententiæ dicendæ*, lex illa modo citata manife-

(a) *L. ſi quicunque C. Th. de Ep. & Cler. l. Apollonianos. Cod. eod.* (b) *L. nulla C. Th. de Epiſc. & Cler.* (c) *Lib. 8. cap. 15.* (d) *Nov. 146.* (e) *De Judæis c. 13. A. D. 397. Janu. 17.*

nifeſte oſtendit. Sic & olim Pagani Imperatores, Ulpiano teſte (a), *Judæis neceſſitates impoſuerunt quæ ſuperſtitionem eorum non læderent*. Chriſtiani vero Imperatores hoc amplius indulſere, ut Archiſynagogi eorum aliique legi præſidentes *a perſonalibus civilibuſque muneribus immunes eſſent* (b): & ſi duo Judæi ex communi pactione apud Judices litigaſſent, Judices eorum ſententiam exſequerentur (c). Tantum ſcilicet Imperatores Chriſtiani Judæis largiti ſunt *ob primordium veritatis, & ſpem fururæ converſionis*, ut antiqui Patres de iiſdem loqui amant.

16. Jam & illud notandum excommunicationi, præter illam relegationem e cœtu piorum, alia quoque incommoda addita fuiſſe, quo magis facinoroſos ſuæ culpæ pœniteret. Hoc quoque non novum, ſed vetuſtiſsimæ conſuetudinis, qua a primo mundi ortu, aut ejus poſt diluvium reparatione deducta, haud leve argumentum eſt perpetuus mos omnium ferme gentium. Inſignis eſt Cæſaris locus (d) de Druidibus; *ſi quis aut privatus aut publicus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud ipſos eſt graviſſima; Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum & ſceleratorum habentur; iis omnes decedunt; aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus Jus redditur, neque honos ullus communicatur*. Et Plato huc alludens vult τον εξειργομενον, αν μη έκων εξειργηται, δικας ασεβιας δια βιου παντος τῳ εθελησαντι παρεχειν: *eum qui cœtu excluditur, niſi ſe excludi patiatur, impietatis poſſe, quamdiu vivat, a quocumque accuſari*. Athenienſium καταρας, & Romanorum diras fuiſſe δυσφημον τι και σκυθρωπον, *grave quid & triſte* Plutarchus notat. Quibus additum plerumque, *ut bona publicarentur aut conſecrarentur*. Plane ut iſtæ diræ Judaico חרם reſpondeant: cujus illuſtris apud Eſdram eſt hiſtoria (e). Hodie quoque nonnullis locis excommunicatis interdicitur uſus communium paſcuorum. Alibi in excommunicatione permanentibus mulcta indicitur. Nec immerito Lutherus excommunicationem majorem *pœnam* dicit eſſe *Politicam*.

17. Hæc omnis Juriſdictio, ſive Imperativa cognitio, forum atque audientia a Summa Poteſtate emanat. Nec aliud voluit Rex Britanniæ lege lata: *omnis Juris dicendi auctoritas, atque etiam Jurisdictio omnimoda, tam illa, quæ Eccleſiaſtica dicitur, quam ſecularis, a regia poteſtate, velut ſupremo capite, emanat*. Et edita politia Anglicana, cujus hæc ad Regem Jacobum verba ſunt: *Eccleſiaſtica Juriſdictio plane Regia eſt; Coronæ & dignitatis veſtræ Regiæ prima, præcipua, indiviſibilis pars: Eccleſiaſticæ leges, Regiæ leges ſunt, neque alibi oriuntur, neque aliunde ſuſtentantur aut fulciuntur; penes Eccleſiaſticos Judices per Archiepiſcopos & Epiſcopos derivata a Regia poteſtate Juriſdictio Eccleſiaſtica conſiſtit. Tibi DEUS commiſit Imperium: quæ ſunt Eccleſiæ, concredidiſti aliis: hi intra Eccleſiam Epiſcopi; tu (uti de ſe ipſo Conſtantinus Britannicus & Britanniæ decus) extra Eccleſiam a DEO conſtitutus Epiſcopus, ſacrorum Præſulibus favere, præſidio & ope munire, præeſſe & prodeſſe Eccleſiæ, omniaque præſtare teneris, per quæ Sanctiſſimæ Chri-*

(a) *L. generaliter ff. de Decur.* (b) *L. qui devotione 2. l. ſi quis audeat Cod. Theod. de Judæis.* (c) *L. Judæi communi Cod. de Judæis.* (d) *Lib. 4. de Bello Gall.* (e) *Eſdr. cap. 10. 8.*

Chriſti Eccleſia pacis otiique tranquillitate perfruatur. Et Vintonienſis Epiſcopus: *Synodi non diverſam a Principe, vel illo majorem Juriſdictionem habent; ſed in omnibus ei ſubjectæ ſunt, & Jure divino atque humano ſic ordinatæ, ut ad veritatis atque pietatis amplificationem Principi præbeant conſilium, ubi & quando eos congregari juſſerit, alioqui nullam ex ſe in Regno, ubi Chriſtiani rerum potiuntur, Decreti ferendi poteſtatem habent: nec Jus audiendi componendique controverſias in Eccleſia, nolente aut non permittente Principe, ſibi vindicare poſſunt*. Et Tokerus: *Princeps vel Monarcha habet in me Juriſdictionem temporalem, ergo etiam ſpiritualem: quod certe axioma veriſſimum eſt, ſi de Juriſdictione certa in foro exteriore intelligatur, cujuſmodi eſt Primatus Regius in Jure dicundo*: eadem Elienſis ſententia, cum dicit *Eccleſiæ Iudicia auctoritatem externam accipere ab Imperatore*.

18. Expoſitis actibus, qui Eccleſiis earumque Paſtoribus divino aut humano Jure competunt, exigit inſtituti noſtri ratio videre, quinam eorum & quatenus exerceri poſsint circa eum, qui Summo Imperio eſt præditus. Uſus ergo clavium nudus, cum his quæ ei Jure divino adhærent, non minus locum habet circa Regem quam circa minimum ex plebe: Imo eo magis circa ipſum eſt neceſſarius, quo majore contagii periculo ab ipſo peccatur. Vetus eſt verumque dictum, *miſer eſt Imperator, cui vera reticentur*. Et merito Valentinianus Ambroſium hortatur, ut pergat, ως ὁ θειος υπαγορευει νομος ιατρευειν τα των ψυχων πλημμεληματα, *uti divina Lex hortatur, ſanare animarum vitia* (a).

19. Sed injuriam faciunt Evangelio, qui *Clavium* nomen tribunitiis concionibus obtendunt, & Summarum Poteſtatum facta aut ambiguæ interpretationis, aut parum aut certe aliis minus nota, quanta poſſunt acerbitate traducunt palam, idque apud plebem, quam talibus factis mederi nec jus nec fas eſt, quum interim more humani ingenii, ſponte infenſa potentibus, peſsima libenter de iis audiat, & facile credat. Unde neceſſarium eſt ſeditiones ſequi, aut, quod ſeditionibus proximum eſt, contemptum ſummi Imperii. Neque enim fruſtra a ſapientiſsimo ſcriptore dictum; (b) *ambiguos de Principe ſermones, quæque alia turbamenta vulgi*. Atqui multum diſtant Evangelii prædicatio & clavium uſus. Prædicatio Evangelii, cum ad omnes fiat, ita attemperanda eſt, ut omnibus proſit, ſatiſque habet de perſonis ſilere, de vitiis loqui. Peſsimus eſt mos ſuggeſtum in ſcenam vertere, & dulciſsimam Evangelii vocem in comœdiam veterem. Ipſi veteres Romani rem indignam putaverunt, *ſi quis crimen audiret eo loco, quo refellendi copia non fuit*, ut nos docet Cicero. Sed præcipue Summarum Poteſtatum magiſtratuumque non vitam tantum ſed & famam DEUS ſacroſanctam, & ſuæ legis edicto quaſi aſylo quodam munitam eſſe voluit: Quid enim aliud illud ſibi vult, *Principi populi ne maledicito* (c). Plus hic aliquid vetari, quam quod etiam in privatos illicitum eſt, res ipſa loquitur: nec intelligendam legem, aut de Poteſtate in abſtracto ut loquuntur, aut de Principe bono recteque agente, Pauli Apoſtoli verba evincunt, qui cum in Ananiam Pontificem maximum, ac proinde ſummo fungentem magiſtratu, ſed manifeſte παρανομουντα, *præter legem agentem*, liberius eſſet invectus, ita ſe excuſavit, ut doceret ignotum fuiſſe ſi-

(a) *Theodoret. lib. 4. c. 6.* (b) *Tacit.* (c) *Exod. 22. 28.*

ſe ſibi eſſe Ananiam Pontificem maximum; ſcriptum enim in lege, *Principi populi non maledices.* Atque obiter notandum, in lege divina Principis nomen exprimi vocabulo נשיא, quomodo proprie vocatum *Judicem ſummum*, ſive, *magni Synedrii Principem*, qui Moſis locum impleverit, Hebræi notant. In lege Theodoſii & Valentiniani (*a*) Primates, qui in utriſque Paleſtinæ Synedriis dominantur, ſunt נשיאים. Notum enim eſt rerum Judaicarum peritis, cum olim unum dumtaxat eſſet Synedrium Hieroſolymis, a Sabinio Proconſule Syriæ addita alia quatuor pari Jure, quæ & ipſa proinde ſuos *Principes* ſive *Primates* habuere. Nomen autem נשיא, ſive Principis, Pontifici eatenus aptatur, quatenus cum nullus eſt alius *Naſi*, ipſe in loco τȣ *Naſi* ſuccedit. Veriſſime enim notant Hebræorum magiſtri, primam in Judaica republica fuiſſe Regis perſonam, alteram τȣ *Naſi*, tertiam Summi Sacerdotis. Unde ſequitur, ſi Rex non eſſet, ſecundam fuiſſe *Summi Sacerdotis* perſonam; ſi ne Naſi quidem eſſet, primam. Accedat Apoſtoli Judæ locus notabilis, ubi de peſſimis quibuſdam hæreticis agens, κυριοτητα, inquit, ἀθετȣσι δοξας και βλασφημȣσιν, *dominationem aſpernantur, majeſtatem autem blaſphemant*; addens, *At Michael Arcangelus, cum adverſus Diabolum altercans diſceptaret de Moſis corpore, non auſus eſt inferre illi* κρισιν βλασφημιας, *id eſt, maledicendi notam, ſed dixit, increpet te Dominus*. Hic quoque apparet, non de dignitatibus in abſtracto, ſed de perſonis in dignitate conſtitutis agi; neque de iiſdem tantum, ſi probæ ſint, ſed etſi maxime improbæ. Ideo enim Diaboli affertur exemplum, cui, quamquam peſſimo, ob Angelicæ naturæ excellentiam, Michael pepercerit, ut appareat, multo magis id hominibus obſervandum erga eos qui inter homines divino inſtituto excellunt. Non omittendus hic Toletani Concilii Canon: *Sed & hoc pro peſtilentioſis hominum moribus ſalubri deliberatione cenſemus, ne quis in Principem maledicta congerat. Scriptum eſt enim a legislatore, Principi populi tui ne maledixeris: quod ſi quis fecerit, excommunicatione Eccleſiaſtica plectatur* (*b*). Optatus Milevitanus de Principe Africani ſchiſmatis Donato ita refert (*c*): *ille ſolito furore ſuccenſus in hæc verba prorupit; quid Imperatori cum Eccleſia? & de fonte levitatis ſuæ multa maledicta effudit: non minus quam in Gregorium aliquando ad quem ſic ſcribere minime dubitavit; Gregori, macula Senatus, præfectorum dedecus, & cætera talia, cui Donato Præfectus patientia Epiſcopali reſcripſit; harum Epiſtolarum exempla multorum ore ubique cantantur. Jam tunc meditabatur, contra præcepta Pauli Apoſtoli, Poteſtatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus, ſi Apoſtolum audiret, quotidie rogare deberet.* Graviſſime peccarat Saul; & Samuel iram divinam Prophetica ſeveritate ei denuntiaverat: rogatus tamen a Saule, ut coram Senioribus populi & Iſraele honore ipſum afficeret, atque adeo ipſum affectaretur, non recuſat (*d*). Davidem adulterii & homicidii reum non apud populum accuſat Nathan, ſed ipſum accedit (*e*). Quod a Baptiſta quoque in monendo Herode obſervatum credi par eſt. Sic & Paganos Imperatores, etiam hoſtes Eccleſiæ, & Conſtantium in Arrianos propenſiorem, Epiſcopi veteres totæque Synodi publice ſumma ſemper cum reverentia alloquuntur. In Julianum quoque ςηλιτευτικοι λογοι

(a) *L. ult. Cod. Theod. de Jud.* (b) *Tol. 5. c. 5. A. D. 636.*
(c) *Lib. 3.* (d) *1. Sam. 15. 30.* (e) *2. Sam. 12.*

λογοι *invectivæ orationes* poſt mortem ejus demum prodiere (1) : Fateor Prophetas divinitus inſpiratos non ſemper obſervaſſe hanc regulam : Sed nimirum DEUS, qui Prophetarum miniſterio Reges unxit, qui per Phineam, per Samuelem, per alios etiam, quos voluit, occidit, multaque alia privatis effecit inconceſſa, per eoſdem ſuo jure perverſos Reges ignominia etiam publica notavit : Quid enim verius, quam a DEO, quos ipſe ſpecialiter inſpirat, eoſdem ad implenda mandata legum quoque vinculis exſolvi ? Quare cum Simei Davidi homicidium palam exprobraret, non aliud invenit David, cum ipſum excuſare vellet, niſi quod diceret, fieri poſſe ut *DEUS id ipſi mandaſſet* (a) : hoc ipſo oſtendens, uno dumtaxat modo fieri poſſe ut licite quis Regi maledicat, ſi DEUS id ipſum ſpecialiter injunxerit alicui. Ipſi Prophetæ, ſeditionis motæ accuſati, non alia ſe re quam mandato peculiari divinitus accepto tuentur. A Sacerdotibus ſane, quorum ordinarium erat munus, hoc modo publice traductos Reges non invenio. Nam quod exemplum adfertur Zachariæ filii Jojadæ, qui in Evangelio filius Barachiæ ; ejus concio non Regem, ſed totum populum petebat, & in communi culpa omnes ad communem reſipiſcentiam hortabatur, idque ſpiritu tum DEI ipſum inducente (b). Scimus quidem his, qui a fratribus injuriam acceperunt, concedi a Chriſto, ut, poſtquam ipſos primum ſolos, deinde coram paucis interpellaſſent, poſtremo rem ad cognitionem piæ alicujus congregationis perducerent. Quo in loco non ſine cauſa viri docti, etiam clariſſimus Beza, Eccleſiæ voce, non plebem Univerſam, ſed *Synedrium* intelligunt. Nam & ſeptuaginta interpretibus cœtus quilibet eſt *ἐκκλησια Eccleſia*, & apud Moſen per has voces כל־העדה id eſt, *πασα ἐκκλησια tota Eccleſia*, *Synedrium* LXX. virorum ſignificari pridem notarunt Abeneſra & Rabbi Salomo. Scimus etiam Corinthium, qui ſe inceſto contaminaverat, *ὑπο των πλειονων a pluribus* eo nomine increpitum (c). Scimus, & Timotheo injungi, ut peccantes reprehendat ἐνωπιον παντων *coram omnibus*, *ut & cæteri timeant* (d). Qui & ipſe locus videtur intelligendus ex eo quod præcedit de peccantibus Presbyteris, qui audientibus cæteris Presbyteris ab Epiſcopo objurgabantur. Sed etiamſi de quibuſvis interpretemur, certum eſt tamen hæc præcepta *ἀοριστα indefinita* reſtrictiones ſuas & limitationes recipere ex perſonarum qualitate. *Seniorem*, inquit Paulus (e), *ne increpueris ſed ut Patrem mone, juniores ut fratres*. Multo autem major honos Summo Imperio & Magiſtratui quam ætati debetur. Adde, quod & Eccleſiæ prælatos non eſſe corripiendos coram multitudine a multis annotatum eſt ; & mori veteris Eccleſiæ congruit. Quod profecto in Rege multo juſtius obtinere debet, qui eſt (ut Conſtantinus loquebatur) οἷα τις κοινος ἐπισκοπος ἐκ Θεου καθισταμενος *quaſi quidam communis omnium Epiſcopus a Deo conſtitutus* (2). Sicut autem ignominioſa traductio, ita & coactio quævis in Summam Poteſtatem illicita : quia cogendi omne jus ab illa, nullum

(1) *Julianum viventem in publico proſcidit Maris Chalced. & Publia & Antiocheni, paſſim Conſtantium Athanaſius Alexandrinus, Lucifer Calaritanus, Valentem Trajanus, Iſaacus &c.* (a) 2. *Sam.* 16. 3. (b) 2. *Chron.* 24. 20. (c) 2. *Cor.* 2. 6. (d) 1. *Tim.* 5. 20. (e) 1. *Tim.* 5. 6.
(2) *Hæc de Conſtantino ab Euſebio, non a Conſtantino de ſe ſcripta.*

lum in illam. Neque obſtat, quod de Ozia legimus: Omnis enim error ex prava interpretatione. Fons ita habet (*a*): *& reſpexit ad eum Azarias Sacerdos ſummus cæterique Sacerdotes: & ecce leproſus erat in fronte ſua, & fecerunt eum feſtinare inde: & etiam ipſe compulſus eſt egredi, quia Dominus eum percuſſit.* Non licebat per legem divinam leproſo eſſe in Templo: Sacerdotes ergo operam dederunt ut Rex lepra percuſſus abiret, legem ſcilicet divinam ipſi recitando; ac præterea ingraveſcens malum ipſum impellebat ut ultro diſcederet. Denuntiat Sacerdos, cogit Deus.

20. Et hæc quidem dicta ſunto de his, quæ Juris divini auctoritate fiunt. Cætera vero, quæ a Canonibus aut nudis, aut lege firmatis acceſſerunt, ut in Imperatorem interdum utiliter uſurpari fatemur; ita ſi omnino obſtet, aut vetet, quo Jure aut prudentia uſurpentur, non videmus. Nam & regimen omne, ex conſenſu quod naſcitur, ſummo Imperio ſubeſſe, & Juriſdictionem omnem non tantum ei ſubeſſe, ſed & ab eo emanare, oſtenſum eſt. Neque illud minus receptum, legibus pœnalibus non obligare eum, qui ſummum habeat Imperium: Et hoc eſt, quod Harmenopolus dixit, ὁ βασιλευς ἁμαρτανων ȣ κολαζεται, *Rex delinquens non punitur*: Ita veteres Patres interpretati ſunt illud Davidis, *Tibi ſoli peccavi*. Hieronymus (*b*), *Rex ipſe & alium non timebat*. Ambroſius (*c*), *Rex ipſe erat, nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges a vinculis delictorum; neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus tuti Imperii Poteſtate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius*. Otho Friſingenſis (*d*); *Soli Reges, utpote conſtituti ſupra leges divino examini reſervati, ſeculi legibus non cohibentur: unde eſt illud tam Regis quam Prophetæ teſtimonium, tibi ſoli peccavi.* Hinc illud natum, quod ad XII. Canonem Synodi Ancyranæ Balſamo notat, *Imperatoria unctione pœnitentiam tolli*, id eſt, publicæ ſatisfactionis neceſsitatem. Interea verum eſt, ſumma cum laude Reges, ut in Civilibus negotiis Curiis ſuis ſive Parlamentis, ita in ſacris Paſtoribus etiam tanquam publicis judicibus ſe poſſe ſubjicere: *Eſt enim receptum*, inquit Ulpianus (*e*), *eoque Iure utimur, ut ſi quis major vel æqualis ſubjiciat ſe Iuriſdictioni alterius, poſſit ei & adverſus eum jus dici*. Sed hæc ſubjectio, cum ex voluntate Regis & quidem revocabili pendeat, de ſummo ejus Imperio nihil imminuit, ut a viris doctiſsimis demonſtratum eſt. An vero expediat, ut Rex hanc in ſe Juriſdictionem patiatur exerceri, diſputari ſolet. Qui expedire judicant, hac Regum ſubmiſsione multum roboris atque auctoritatis ajunt accedere Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Verum eſt: Neque enim fruſtra dictum, *quales in republica Principes ſunt, tales ſolent eſſe cives; & blandiſſime juberi exemplo*. Sed contra adfertur; ſtare rempublicam auctoritate regentis: &, ut Ariſtoteles dixit, ἐκ τȣ καταφρονεισθαι πολλας γιγνεσθαι των καταλυσεων, *ſæpe e contemptu diſſolvi imperia*. Certe, ſi quid illis credimus, qui res Henrici Imperatoris memoriæ tradidere, ipſique Cardinali Bennoni, calamitatis primordium illi fuit, quod *cum lachrymabili afflictione publice, nudis pedibus, in laneis veſtibus, hyeme præter ſolitum aſpera apud* Can-

(a) 2. *Chron.* 26. 20. (b) *Epiſt.* 22. (c) *Apolog. David.* c. 10. (d) *Epiſt. ad Fridericum Imp.* (e) *L. eſt receptum. ff. de Juriſd.*

Camiſium ſpectaculum Angelorum factus & hominum, Hildebrandi ludibrium triduo pertulit. Diſcrimen ergo faciendum hic inter ea, quæ pœnitentiæ profeſsionem ſecum ferunt, & inter pœnas graviores ad ignominiam magis pertinentes. Quo videtur reſpexiſſe Otho Friſingenſis, ejus quem dixi Henrici res perſequens. Ita enim ſcribit: *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam invenio quemquam ante hunc a Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum, niſi forte quis pro Anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus a Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodoſius ab Ambroſio propter cruentam cædem a liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus ſit*. Ad exempla illa duo ab illo allegata quod attinet, de Philippo plane incerta hiſtoria eſt. Optimi enim quique auctores Chriſtianos Imperatores a Conſtantino demum numerant: & tamen, ſi Euſebio credimus, Philippus προθυμως επειθαρχησε, *libenter paruit*; Theodoſius quoque ειξε τοις λογοις, *dicto fuit audiens*, raro Chriſtianæ modeſtiæ exemplo. Primus ergo, cui extra voluntariam ſubmiſsionem aliquid injunctum eſt, fuit Henricus ille quem diximus; neque ita ſolus Friſingenſis judicat, ſed & Godefridus Viterbienſis (*a*): *Ante hunc Imperatorem non legimus aliquem a Romano Pontifice excommunicatum*. Omittere nón poſſum quin addam inſignem Onuphrii Panvinii locum. *Nam etſi ante Romani Pontifices, tanquam Chriſtianæ religionis capita, Chriſtique Vicarii, & Petri Succeſſores colerentur, non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis. Cæterum Imperatoribus ſuberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab iis creabantur, de iis Judicare vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normannorum fretus, opibus Comitiſſæ Mathildis, mulieris per Italiam Potentiſſimæ confiſus, diſcordiaque Germanorum Principum Bello Civili laborantium inſtammatus, præter majorum morem, contempta Imperatoris auctoritate & Poteſtate, cum ſummum Pontificatum obtinuiſset, Cæſarem ipſum, a quo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dicam excommunicare, ſed etiam regno Imperioque privare auſus eſt. Res ante ea ſecula inaudita; nam fabulas, quæ de Arcadio, Anaſtaſio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror: ſatiſque hinc apparet, eos Reges atque Imperatores, qui juſta injuſtave de cauſa cenſuris iſtis poſitivis ſe ſubtrahunt, divino judicio relinquendos*. Hoc voluit Gregorius Turonenſis, cum dixit Chilperico: *Si tu exceſſeris, quis te corripiet? loquimur enim tibi. Si autem nolueris, quis te damnabit, niſi is, qui ſe pronuntiat eſſe Juſtitiam?* Et Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus (*b*). *Apud Sereniſſimum Regem opus eſt exhortatione potius, quam increpatione, conſilio quam præceptis, doctrina quam virga*. Et Ivo Carnotenſis Epiſcopus: *quia diſpenſationes rerum temporalium Regibus attributæ ſunt, & βασιλεις, id eſt fundamentum populi & caput exiſtunt, ſi quando Poteſtate ſibi conceſſa abutuntur, non ſunt a nobis graviter exaſperandi; ſed, ubi Sacerdotum admonitionibus non acquieverunt, divino Judicio ſunt reſervandi: ubi tanto diſtrictius ſunt puniendi, quanto minus fuerint humanis admonitionibus obnoxii*. Nec alia fuit Eccleſiæ Leodienſis ſententia; quam eo libentius refero, quod Patriæ noſtræ pars aliquanta antiquitus ſub ejuſdem Eccleſiæ fuit Diœce-

(a) *Chron. par. 17.* (b) *Lib. 5. c. 19. A. D. 577.*

Diœceſi ; Ita enim ſcribit Leodienſis Eccleſia Paſchali (*) : *Si quis denique reſpectu Spiritus Sancti Vetus & Novum Teſtamentum geſtaque revolverit, patenter inveniet, quod aut minime aut difficile poſſunt Imperatores excommunicari, ſecundum etymologiam nominum illorum, & juxta determinationem excommunicationis : & adhuc ſub Judice lis eſt. Admoneri quidem poſſunt, increpari, argui a diſcretis viris; quia quos Chriſtus in terris Rex Regum vice ſua conſtituit, damnandos & ſalvandos ſuo Judicio reliquit*. Huc etiam pertinet, quod Reges Franciæ a multis ſeculis hoc Juris ſibi vindicant, ne poſsint excommunicari.

21. Quomodo autem Paſtor citra coactionem illam in uſu clavium ſatisfacere poſſit conſcientiæ ſuæ, idem Ivo oſtendit : *Dicerent*, inquit, *ei*, *nolo te fallere ; introitum hujus viſibilis Eccleſiæ periculo tuo te habere permitto ; Januam regni cæleſtis tali reconciliatione tibi aperire non valeo*.

22. Reſtat videamus, quid circa eas actiones, quas Paſtoribus Eccleſiiſque adſcripſimus, jus ſit atque officium Summæ Poteſtatis. Ac primum eas quod attinet actiones, quæ ſolo libertatis Jure & Divinæ legis obtentu exercentur, per has quoque aliis injuria fieri cum poſsit, certum eſt Summæ Poteſtatis juriſdictionem huc quoque extendi. Non enim ea tantum, quæ a Summæ Poteſtatis Imperio proficiſcuntur, ſed omnes omnino actiones, externæ moralis bonitatis ac vitii capaces, ad Summæ Poteſtatis Judicium vocantur. Nam etſi conjux conjugi non præſtet ea, quæ lex matrimonialis imperat ; & ſi quis familiam non recte curet, adeuntur tribunalia, omnis mali vindex Poteſtas eſt conſtituta. Eſt autem malum abuſus clavium, & injuſta ſeparatio, aut Sacramentorum denegatio. In Baſilicis lex exſtat Imperialis, quæ Epiſcopis interdicit, ne quem a ſacroſancta Eccleſia vel communione ſegregent, niſi juſta cauſa (*a*). Et Juſtinianus in Novella (*b*), omnibus Epiſcopis & Presbyteris interdicit aliquem ſegregare a ſacra communione, antequam cauſa monſtretur propter quam ſanctæ Regulæ hoc fieri jubent. Mauritius Imperator Gregorio Magno præcipit, ut cum Johanne Conſtantinopolitano communionem colat. In Gallia antiquitus uſurpatum eſt apprehenſione prædiorum aliiſque remediis compellere Epiſcopos ut Sacramenta adminiſtrent. Et Hollandiæ Principes ſæpiſsime Paſtoribus imperarunt ſacra facere ; multo igitur magis id Juris competet Summæ Poteſtati in eas actiones, quibus non Divinum Jus ſed Canones obtenduntur. Nam & Canonum prætextu interdum contingit violari Canones : & poſſunt ipſi Canones a legis Divinæ præſcripto exorbitare. Utrumvis fiat, non poteſt Summa Poteſtas conquerentibus cauſæ cognitionem denegare. De iis vero actionibus, quæ ex lege humana fluunt, invitoſque obligant, & coactionem quoque poſt ſe trahunt, multo minus poteſt eſſe controverſiæ. Omnis enim Juriſdictio, ut a Summa Poteſtate fluit, ita ad eam refluit.

23. Quia vero plerumque actionum iſta genera in una quodammodo actione permiſcentur, ideo, quæ contra eas ſunt prodita remedia, diverſis nominibus appellantur. Hiſpani intercedendi ſive opponendi voce utentes, Belgæ mandatorum pœnalium, id proprie reſpiciunt quod libertatis eſt, non Juriſdictionis. Nam cuivis privatim illatæ injuriæ, talibus remediis occurritur. Galli, qui appellationem vocant,

(*) *A. D.* 1106. (a) *L.* 30. *Cod. de Epiſc. & Cler.* (b) *Nov.* 123.

cant, id magis reſpiciunt quod Juriſdictionis eſt, quamquam latiori ſignificatu appellatio ad eos quoque actus refertur qui *Judiciales* non ſunt: quomodo Juriſconſulti a Medici & Agrimenſoris relatione *appellari* dicunt. Appellari autem in Gallia ad curiam Parlamenti ſolet, non modo ſi quid Eccleſiaſtici homines in fraudem fecerint Regii Juris; ſed & ſi quid contra Canones in Gallia receptos commiſerint. Sicut autem Juriſdictionis eſt non tantum judicare, ſed & Judices dare; ita utrumque hoc Summis Poteſtatibus competit. Ita Amazias, cumque eo Sacerdotes alii a Joſaphato Judices leguntur conſtituti (*a*).

24. Neque ſane poteſt evidentius oſtendi Summæ Poteſtatis in hoc cauſarum genere Juriſdictio, quam quod omnes provocandi gradus ab ipſius pendent arbitrio. Cur enim alioqui a Paſtoribus Angliæ ad Epiſcopum hunc aut illum, ab omnibus Epiſcopis ad duos tantum Archiepiſcopos provocatur? Eademque Claſsicalium, quos vocant, Conventuum, & Semiprovincialium, Provincialium & Nationalium Synodorum ratio eſt. Quid quod ultimus provocandi terminus non eſt a naturali aut Divino Jure conſtitutus? ſapienter Rex magnæ Britanniæ exiſtimare ſe ait: *Chriſtiano cuique Regi, Principi, ac Reipublicæ conceſſum, externam in rebus Eccleſiaſticis regiminis formam ſuis præſcribere, quæ ad Civilis adminiſtrationis formam quam proxime accedat*. Et ſane olim quoque ita factum a Chriſtianis Imperatoribus videmus. Unde enim alioqui tanta illa Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ prærogativa? Unde Melchiades, Maternus, Rheticius, Africanæ controverſiæ Judices? Unde Chalcedonenſi Synodo id jus, ut Epheſinæ ſecundæ acta abrogarit?

25. Sicut autem in civilibus negotiis plerumque ſolet a Summa Poteſtate permitti Judicium, in id conſtitutis conſeſsibus, ac poſtremo, ubi contra conſeſſum maximum ſupplicatur, quibuſdam juriſperitiſsimis mandari poſtrema cognitio: rarius autem ipſa Poteſtas Summa, adhibitis in conſilium viris eruditis, poſt cæteros judicat: illud vero rariſsimum, quod interdum, conſeſſu aliquo ſuſpecto, cauſa ad Summam Poteſtatem evocatur: ita & in his controverſiis, quæ ad ſacra pertinent, uſitatiſsimum fuit per conſuetas Synodos, &, ſi ab harum quoque ſententia provocetur, per indictitium quemdam conventum finem imponi; minus uſitatum, & interdum tamen utile, ut ipſe Imperator de priorum Judicum religione & æquitate cognoſcat; quod fecit in cauſa Donatiſtarum Conſtantinus poſt duplex Epiſcopale Judicium; qui quamquam non probavit appellationem, cognitionem tamen de appellatione a ſe non rejecit. Illud vero aliquanto rarius, neque tamen jure deſtitutum, ut ſi Synodus aliqua probabilibus de cauſis recuſetur, ipſa Poteſtas Summa ad ſe cauſam evocet, & intellectis inſignium Theologorum ſententiis, id quod æquiſsimum eſt, pronuntiet. Antiochena Synodus Canone XII. eum, qui a Synodo ſe injuria affectum queratur, vetat ὀχλῆσαι τας βασιλεως ακοας, *Imperatori moleſtiam exhibere*, quamdiu per majorem Synodum res poteſt expediri: Imperatori tamen, ſi adeatur, cognoſcendi poteſtatem non adimit.

26. Neque vero de Jure tantum atque injuria excommunicationis cognoſcendi, ſed & ignoſcendi, quantum ad poſitivi Juris pœnas attinet, poteſtatem Regibus attribuit veterum Epiſcoporum modeſtia. Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Eccleſiaſtici Juris con-

(a) 2. *Chron.* 19. 8. & 11.

tra Reges animoſus propugnator, non veritus tamen eſt Co-Epiſcopis ſcribere (*a*): *De Gervaſio quoque non debet veſtra Paternitas mirari vel indignari, quod eum ad communionem in Paſchali curia ſuſcepi; pro Regia enim honorificentia hoc feci, fretus auctoritate legis, in qua legitur: Si quos culpatorum regia Poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit, aut menſæ ſuæ participes fecerit, eos etiam Sacerdotum & populorum conventus ſuſcipere in Eccleſiaſtica communione debebit: ut quod principalis pietas recipit, nec a Sacerdotibus DEI alienum habeatur*. Alibi idem Ivo hoc *regale capitulum* auctoritate Epiſcoporum dicit conſtitutum. Non eſt ergo cur miremur Johannem Epiſcopum Romanum Juſtiniano Imperatori ita ſcribere: *Obſecro clementiam veſtram, ut ſi proprio depoſito errore, & prava intentione repulſa, ad unitatem Eccleſiæ reverti voluerint, in veſtram communionem receptis, indignationis veſtræ removeatis aculeos, & nobis intercedentibus, benigni animi gratiam condonetis* (*b*)(*). Neque culpandi Francorum Reges, & vindices Juris Regii ſupremarum in Gallia Curiarum Judices, qui ſæpiſsime & conſtituerunt & judicarunt, *Magiſtratus publicos occaſione ejus, quam exercent, Juriſdictionis ejuſmodi pœnis Eccleſiaſticis non ſubjacere*. Sic & in Hungariæ decretis anni 1651. vetantur Eccleſiaſtici *contra nobiles Regni ſententiam excommunicationis promulgare abſque ſcitu & notitia regiæ Majeſtatis*. Et in veteri lege Anglorum eſt, *ne quis Dominicorum miniſtrorum excommunicetur, niſi prius Rex conveniatur*; Quod noſtros quoque Principes imitatos video. Idem enim edicto Caroli Cæſaris continetur, quod anno 1540. promulgatum eſt.

27. Contra vero clavium uſum, Divino Juri congruum, & pœnarum injunctionem Canonibus & legibus conſentaneam, Summæ Poteſtates ſolent approbare. Atque hoc eſt Imperiale *Anathema*, quod non una Juſtiniani lege comprehenſum eſt (*c*). Nihil ergo novi faciunt Chriſtianæ Poteſtates, quæ ad excommunicationem, quippe cum publica nominis traductione conjunctam, nolunt veniri, niſi probatis ſibi cauſis; & quæ Cenſuras manifeſte iniquas Imperio ſuo inhibent. Ipſorum enim eſt muneris, & injuriam a ſingulis, & ab Eccleſia tyrannidem arcere.

CAP.

(a) *Epiſt.* 181. (b) *L. liquet. Cod. de Sum. Trin.* (*) *Data a Joanne* 2. *epiſtola A. D.* 534. *Mart.* 25. *Cod. Inter Claras. C. de Summ. Trin.* (c) *L. Quum recta, l. cum Salvatorem, l. cognoſcere. Cod. de Sum. Trin. Nov.* 42. *Vid. & concil. Tol.* 3.

CAP. X.

DE ELECTIONE PASTORUM.

SUMMARIUM.

1. *Duas in Eccleſia eſſe Functiones perpetuas: Presbyterium & Diaconatum: & de earum diſcrimine.* 2. *Diſtinguuntur in conſtituendis Paſtoribus Mandatum, Ordinatio, Electio, Confirmatio; & diſcrimen per ſimilia illuſtratur: obiter oſtenditur poſſe aliquem abſolute ordinari, & Imperium in ordinationem competere Summæ Poteſtati, & de voce* χειροτονιας. 3. *Electionem Paſtorum naturaliter ſed mutabiliter Eccleſiæ competere.* 4. *Paſtores a plebe electos ex N. Teſt. non probari: & primum in Diaconis aliam eſſe rationem.* 5. *Paſtores Apoſtolicis temporibus Judicio Spiritus electos, etiam Matthiam Apoſtolum.* 6. *Popularem electionem non probari ex loco Actor.* 14. 22. 7. *Neque ex præcepto vitandi falſos doctores.* 8. *Mos explorandi Paſtores vetus in Eccleſia Chriſtiana.* 9. *Ex Cypriano electionum popularium neceſſitatem non probari, ſed everti.* 10. *Presbyteros ſæpe ab Epiſcopis non a plebe electos.* 11. *Epiſcopos interdum electos a ſolo Clero Urbis ſuæ.* 12. *Interdum a comprovincialibus Epiſcopis.* 13. *Concluditur mutabilitas circa eligendi modum.* 14. *Summæ Poteſtati in Electione competere jus legislativum.* 15. *Summas Poteſtates poſſe juſtis de cauſis electiones ſibi vindicare.* 16. *Exempla ſub ſtatu legis naturalis.* 17. *Sub lege Moſaica.* 18. *Exempla Romanorum Imperatorum florente Imperio.* 19. *Exempla Imperatorum Orientis.* 20. *Exempla Francorum ante Carolum Magnum.* 21. *Non fundari hunc morem in collatione Feudorum, ſed feuda ob hunc morem Epiſcopis conceſſa.* 22. *Quid ſignificet Inveſtitura per Annulum & Baculum.* 23. *In eo comprehenſum jus eligendi, aut licentiam dandi ad eligendum ſalva libera approbatione.* 24. *Exempla poſt Carolum Magnum in Gallia & Germania, nec obſtare Caroli Magni Capitulum de Canonicis Electionibus.* 25. *Quanti momenti id jus ſit habitum.* 26. *Exempla aliorum regnorum & nominatim Angliæ.* 27. *Circa Presbyteros idem licere quod circa Epiſcopos rationibus & exemplis probatur.* 28. *Solutio ad objectionem de abuſu Juris.* 29. *Ad objectionem ex Canonibus & Patribus.* 30. *Quid de irreligioſorum Regum Jure ſit ſentiendum.* 31. *Quis optimus eligendi modus.* 32. *Retinendam ſaltem Summæ Poteſtati libertatem reſcindendi factam electionem.* 33. *Et Paſtorem ſi opus ſit exauctorandi.*

RESTAT ea Imperii pars, quam in aſsignandis functionibus verſari diximus. Functiones in Eccleſia perpetuæ ſunt duæ, *Presbyterorum* & *Diaconorum*. *Presbyteros* voco cum omni Eccleſia veteri eos, qui Eccleſiam paſcunt verbi prædicatione, Sacramentis, & clavibus, quæ Jure Divino ſunt individua. *Diaconos*, eos qui Presbyteris aliqua ex parte inſerviunt; ut Levitæ olim Sacerdotibus, quos

&

& Anagnoſtas, quos in Synagogis fuiſſe ex Evangelio & Philone diſcimus, & quos in Eccleſia retentos, ex hiſtoria, Canonibus, Patrumque ſcriptis apparet, non immerito huc referas. Nam & in Evangelio (*a*), qui librum aſſervat, dicitur υπηρετης *miniſter*; quod ferme cum Diacono tantumdem valet: eodemque nomine appellat Synodus Laodicena *Diaconos* inferioris gradus, qui poſtea *Hypodiaconi* dici cœpere. Sed διακονιας *diaconatus* pars maxime laborioſa verſatur circa pauperum curam. Presbyteros vetus Eccleſia Latina *Seniores* tranſtulit. Diaconos non aliter poſſe arbitror quam *Miniſtros* appellari: quamquam ſunt, qui, ut cætera, ita hoc quoque traducere maluerunt, quam verum agnoſcere. Plinius certe Secundus, ni fallor, & Græce & Latine ſcivit; qui inſtituta Chriſtianorum referens, eas, quas Paulus τας διακονους, Eccleſia ſequens διακονιςτας appellavit, vocem voci reddens, *Miniſtras* nominat. Sicut autem nihil Levitis licuit, quod non licuerit Sacerdotibus; ita nihil eſt in functione Diaconi, quod a Presbyteri functione ſit exceptum: quippe cum Diaconi dati ſunt Presbyteris rerum minorum adjutores. Quare ante Diaconos inſtitutos Apoſtolorum unus Judas Iſcariotes Dominicæ pecuniæ quæſtor fuit. Et poſt illum Apoſtoli omnes aliquandiu alimenta pauperibus erogarunt; donec exorta contentio inter viduas, ſimulque occupationum multitudo eos coegit vicaria uti aliorum opera. Neque tamen Diaconorum inſtitutio ita hanc curam a Presbyteris ſegregavit, ut non ipſis quoque pauperum cura incumberet. Hinc Epiſcopis ſumma pecuniarum Eccleſiæ diſpenſatio eſt credita, & quidem tanto cum Jure, ut nulli rationem redderent; ſed parte uterentur ad ſuas aliorumque neceſsitates, partem darent Presbyteris in pauperes erogandam; ut apparet in Canonum, qui Apoſtolici dicuntur 38. 40. 41. & Antiochenæ Synodi 44. Sic inthroniſtica, quæ ab Epiſcopo dantur, a primo Presbytero non minus quam ab Archidiacono percipi dividique jubent leges (*b*). Quæ antiqui moris ni eſſent, fruſtra juberet Apoſtolus (*c*) Epiſcopum eſſe φιλοξενον *hoſpitalem*: fruſtra quoque collecta Antiochena Presbyteris Hieroſolymitanis eſſet tradita (*d*). De conſtitutione ergo Presbyterorum agamus, ut quorum præcipua maximeque neceſſaria eſt functio: obiter, ſi neceſſe ſit, de Diaconis aliquid adſperſuri.

2. Ad hanc tractationem venturi præfari debemus, quatuor res eſſe, quæ a multis non ſatis accurate diſtinguuntur. Primum eſt, ipſa facultas prædicandi, Sacramenta & claves adminiſtrandi, quod *mandatum* vocabimus: alterum eſt, applicatio hujus facultatis ad certam perſonam, quam recepto vocabulo *ordinationem* appellabimus; tertium eſt, applicatio hujus perſonæ ad certum cœtum & locum, quæ vocatur *electio*: quartum eſt illud, quo certa perſona in certo loco miniſterium ſuum exercet publico præſidio ac publica auctoritate; & hoc dicamus, ſi placet, *confirmationem*. Græci enim dicunt επικυρωσιν aut βεβαιωσιν. Primum diſtinguendum eſt a ſecundo. Simili res illuſtrabitur. Poteſtas maritalis eſt a DEO: applicatio ejus poteſtatis ad certam perſonam ex conſenſu venit; quo tamen ipſum Jus non datur: Nam ſi ex conſenſu daretur, poſſet conſenſu etiam diſſolvi matrimonium, aut conveni-

(a) *Luc.* 4. 20. (b) *Nov.* 133. *cap.* 2. (c) 1. *Tim.* 3. 2.
(d) *Act.* 11. 30.

venire ne maritus fœminæ imperaret; quod minime verum eſt. Imperatoria Poteſtas non eſt penes Electores; ergo nec ab ipſis datur, ſed ab ipſis tamen certæ perſonæ applicatur. Jus vitæ & necis non eſt penes cives antequam in rempublicam coeant; privatus enim Jus vindictæ non habet: ab iiſdem tamen applicatur ad cœtum aut perſonam aliquam. CHRISTUS ergo procul dubio is eſt, a quo Jus illud prædicandi, Sacramenta exhibendi, & clavibus utendi oritur, & vim ſuam accepit. Idem Divina quoque ſua providentia, ſicut Eccleſiam conſervat, ita etiam procurat, ne Eccleſiæ Paſtores deſint. Secundum quoque a tertio omnino diſtinguendum, ut jam olim operoſe oſtendit Marſilius Patavinus. Tantumdem enim hæc diſtant, quantum differt renuntiari medicum, & in urbis certæ medicum eligi: aut juriſconſulti honorem accipere, & fieri urbis alicujus Syndicum. Diſtincta hæc ſunt ſemper, interdum etiam ſeparata. Apoſtoli vere erant *Presbyteri*, atque ita ſe ipſos vocant. Major enim Poteſtas minorem hic excludit; Nulli tamen loco adſcripta illorum functio. Evangeliſtæ quoque Presbyteri erant, ſed nulli loco alligati. Sic & multo poſt a Demetrio Alexandriæ Epiſcopo Pantænus, ab Athanaſio Frumentius ordinati, miſsique ut Evangelium per Indiam prædicarent, quod hodie quoque fieri videmus; atque utinam diligentius fieret! Quod ergo Canon VI. Chalcedonenſis Synodi vetat aliquem ἀπολελυμενως χειροτονειϭϑαι, hoc eſt, *abſolute ordinari*, ut eſt in conſtitutionibus Caroli Magni, aut *ſine titulo*, ut eſt in Synodo Placentina, non eſt Divini Juris aut perpetui, ſed poſitivi; & tale, ut multas exceptiones admittat. Quin, ut recte notat Balſamo, *ipſe Canon indicio eſt aliter fieri ſolitum*. Etiam poſt Chalcedonenſem Synodum Juſtinianus periodeutarum meminit (*a*); quorum & in Laodicena aliiſque veteribus Synodis eſt mentio. Quos ita dictos ait Zonaras, *δια το περιερχεϭϑαι και καταρτιζειν τυς πιϛυς, μη εχοντας καθεδραν οικειαν, quod circumirent formandis, quo veniſſent, fedelium moribus, peculiarem ipſi cathedram non habentes*. Cauſa Chalcedonenſis Canonis unica fuit, ne Presbyterorum numerus major quam uſus requireret, oneri eſſet Eccleſiæ, aut ſi honeſte vivendi ratio non ſuppeteret, hoc ipſo vileſceret Presbyterii dignitas. Quo videmus etiam reſpicere Canonem I. Synodi Londinenſis habitæ anno 1575. & XXIII. Synodi habitæ eadem in urbe *non ita pridem*: qui tamen excipiunt *Socios collegiorum* Cantabrigienſis aut Oxonienſis, & eos, qui ad magiſterium provecti ſumptibus ſuis degunt, & quos appareat brevi ad curam aliquam aut beneficium admiſſum iri. Quod ſi quis extra has cauſas ſine titulo aliquem ordinaverit, is jubetur ei neceſſaria ſubminiſtrare, donec ei de aliqua Eccleſia ſit proſpectum. Non ergo ſemper conjuncta electio, hoc eſt, definiti loci aſsignatio, & ordinatio: & cum conjuncta ſunt, non tamen unum ſunt. Cujus rei certiſsimum eſt argumentum, quod qui de loco in locum transferuntur, hos denuo eligi neceſſe eſt, ordinari denuo non ſolent, quod tamen eſſet faciendum, ſi aut idem eſſet electio & ordinatio, aut ipſius electionis ordinatio pars eſſet. Præterea electionem a non unius ſortis hominibus factam jam mox apertum fiet: at ordinatio numquam niſi a Paſtoribus facta, & quidem antiquitus ab Epiſcopis ſolis. Hinc ad primum Epheſiorum Epiſcopum ſcribens Paulus monet (*b*), ne

(a) *L. omnem adhibentes Cod. de Epiſcop. & Cler.* (b) *1. Tim. 5. 22.*

ne *cui cito manus imponat*. Et Canones antiquiſsimi, qui Apoſtolici vocantur, *Preſbyterum* præcipiunt *ab Epiſcopo ordinari*, *Epiſcopum autem non niſi a duobus aut tribus Epiſcopis*. Qui mos, ni fallor, ex Hebræorum inſtitutis manavit. Nam & *Senatores* magni Synedrii non niſi a *tribus Sacerdotibus* ordinari poterant: idque *per manuum impoſitionem*, ut Talmudiſtæ notant. Dubitari autem non poteſt, quin hic mos ſanctiſsimus fuerit, & ad ſanæ doctrinæ conſervationem utiliſsimus; quum ad docendum populum non admitteretur, niſi qui ab aliis ſpectatæ fidei magiſtris conſentientis fidei teſtimonium accepiſſet. Paſtorum ergo eſt ordinare Paſtores. Neque id officium eis competit, qua hujus aut illius Eccleſiæ Paſtores ſunt, ſed qua miniſtris Eccleſiæ Catholicæ. *Vnus enim eſt Epiſcopatus*, teſte Cypriano (a), *cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*; & παντες την καθ ὅλυ επισκοπην ἐπιςευθησαν, *omnibus univerſalis Epiſcopatus commiſſus eſt*. Hinc ſemper creditum, valere Baptiſmum factum a Presbytero extra Eccleſiæ ſuæ fines. Neque vero refert, præcedat electio ordinationem, an ſequatur. Nam cum præcedit, conditionata adhuc, non plena eſt electio: quam poſteriorum temporum Canones *Poſtulationem* dixere (b). Ordinationem Paulus χειρων ἐπιθεσιν; poſteriores χειροθεσιαν *manuum impoſitionem*, Canones etiam antiquiſsimi χειροτονιαν *manuum protenſionem* vocarunt, ut Apoſtolici & Chalcedonenſes, quos citavimus: item Apoſtolicorum 29. & 68. Concilii Ancyrani 13. Neocæſarienſis 11. Nicæni 4. Antiocheni 9. 10. 18. Laodiceni 5. & paſſim patres Græci, quos citat Bilſonus. In XII. Canone Carthaginienſis Concilii, ubi in Latino eſt, *tres Epiſcopi ordinare debebunt Epiſcopum*, Græca translatio habet χειροτονησεσι. Idemque in quinque ad minimum aliis ejuſdem Concilii locis videre eſt. In hanc ordinationem, ut & in alias omnes, inſpectio cum imperio Summæ Poteſtati competit. Habemus Juſtiniani conſtitutiones *de ordinatione Epiſcoporum & Clericorum*, & alias aliorum leges, quæ aut ætatis aut ſtudiorum tempora ordinandis præſcribunt, quas nunc quoque in uſum revocari e re ſit Eccleſiæ; ne nobis aliquando eveniat, quod eſt in vetere verſu; *Cedo, qui veſtram rempublicam tantam amiſiſtis tam cito? proveniebant oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli.* Quartum eorum quæ diſtinximus, a tertio facile quivis videt tantumdem diſtare, quantum differt Eccleſia per ſe ab Eccleſia publica. Huc pertinet, quod Ezechias legitur *confirmaſſe Sacerdotes* (c); Quod Paſtores legibus atque armis defenduntur; quod Juriſdictio ipſis aliqua ſive *Audientia* attribuitur; quod aſsignantur ipſis e publico ſtipendia, ſive in fundis ſive in pecuniis; quod etiam ἀλειτυργησια, *ab obeundis muneribus publicis immunitas* ipſis aliqua, & in quibuſdam cauſis a foro inferiorum Judicum exemptio conceditur, id omne huc referendum eſt. *Confirmationem* hanc Summæ Poteſtati acceptam ferendam nemo ſanus negaverit.

3. Conſtat ergo *muneris inſtitutionem* a Deo eſſe, *Ordinationem* a Paſtoribus, *Confirmationem publicam* a Summa Poteſtate: ita ut controverſum nihil maneat præter id quod tertio poſuimus, *Electionem* ſcilicet, ſive perſonæ ad locum, aut loci ad perſonam applicationem. Hæc quæſtio ut pertractetur, omnino neceſſe eſt ad poſitam ſupra diſtinctionem recurri: alia Juris eſſe immutabilis, alia vero juſta eſſe quam-

(a) *De unic. Eccleſ.* (b) *X. de Poſtul. Præl.* (c) *2. Chron. 29. 3.*

quamdiu aliter non ſit conſtitutum . Hoc poſteriori modo Eccleſiæ ſive congregationi fidelium loci cujuſcumque Paſtoris electio competit , priore neutiquam . Ab Eccleſia electionem recte fieri probatur ex ipſo jure naturali . Nam naturaliter cœtui unicuique permittitur ea procurare , quæ ad conſervationem ſui ſunt neceſſaria : in quo numero eſt functionum applicatio . Ita vectores multi jus habent eligendi gubernatorem ſuæ navis , viatores itineris ducem , populus liber Regem . Unde ſequitur, ſi *jus Divinum* certam eligendi rationem non præſcripſerit , & nullum adhuc extet ea de re jus humanum , ad Eccleſiam ſui Paſtoris electionem pertinere . Qui vero id jus immutabile velit aſſeverare, is aut ex jure Naturali aut ex jure Divino poſitivo immutabilitatem debet evincere . Ex jure Naturali non poteſt : nulla enim ratio id perſuadet , & ſimilia exempla contrarium docent . Ita multis populis , qui aut Optimatum Imperio aut hæreditariis Regnis tenentur , regem eligere non licet: quia id, quod Natura permittebat , humana lege mutari potuit , mutatumque eſt . Recurrendum ergo eſt ad legem poſitivam , quæ numquam ulla monſtrabitur. Exempla pro lege adferre non licet ut ſupra oſtendimus . Multa enim recte fiunt , quæ tamen non ſunt factu neceſſaria . Quod amplius eſt , non modo multa , quæ Apoſtolici ævi nituntur exemplis , ſed & inſtituta quædam Apoſtolica uſus mutavit ; talia ſcilicet , quibus præcepti vis non aderat . Inſtituerunt Apoſtoli , ut Eccleſiæ Diaconiſſas haberent (*a*) : quas Plinius ſuo quoque ævo fuiſſe in Eccleſia Chriſtiana oſtendit (*b*). Quota quæque nunc Eccleſia hoc munere utitur? Beza, cur reſtituatur id officium, cauſam a se videri negat. Diaconorum perpetuam fuiſſe functionem Apoſtolica inſtitutione agnoſcit idem Beza: qui tamen probat diverſum Genevæ morem. Apoſtoli inſtituerunt ut Baptiſmus immerſione celebraretur , qui nunc aſperſione peragitur. Multaque alia ſunt ejuſmodi, quæ non neceſſe eſt probare abrogata, cum uſurpata probentur, imperata non probentur.

4. Quid, quod Paſtores a plebe electos ex tota novi Teſtamenti hiſtoria non apparet (1) : ſed multo facilius inde colligitur electionis modum manſiſſe indefinitum . De Paſtoribus loquor : nam de nudis pecuniarum tractatoribus paulo alia eſt ratio . Sollicite enim cavebant Apoſtoli, ne quam e pecuniæ tractatione ſuſpicionem in se, aut offenſam concitarent . Potuit jure Apoſtolico Paulus Lucam ſibi aſſumere , eique collectas Eccleſiarum cuſtodiendas atque erogandas dare, ſed maluit liberam Eccleſiis permittere electionem : nimirum , ne quis ipſum culparet in tam copioſæ munificentiæ adminiſtratione , ut verba ipſius habent . Pari de cauſa Diaconorum electio ab Apoſtolis ad multitudinem rejecta eſt (*c*), ne quis Hebræos Helleniſtis, aut hos illis prælatos quereretur . Hoc quoque ipſum non perpetuum , ſed ex cauſa temporaria temporarium fuit . Proximis enim poſt Apoſtolos temporibus Diaconi non a plebe , ſed ab Epiſcopis electi ſunt (2) ; interdum conſulta , interdum inconſulta plebe.

5. Ad Paſtores ut veniamus : eorum principes Apoſtoli a DEO Patre & CHRI-

(a) *Rom.* 16. (b) *Lib.* 10. *epiſt.* 17. (1) *Imo apparet. vide Apol. pro ſententia Hieronymi de Epiſc. & presb. ſect. de Jure plebis in electionibus ad annum uſque* 1200. (c) 2. *Cor.* 8. 20. (2) *Ab Epiſcopis cum clero & plebe.*

STO electi, *Ego vos duodecim elegi: novi, quos elegerim*, inquit CHRISTUS (*a*). *Quum præcepta dediſſet Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos elegerat*, inquit Lucas (*b*). *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per homines, ſed per JESUM CHRISTUM & DEUM Patrem* (*c*). Sic & ſuppares Apoſtolis LXX. Evangeliſtas CHRISTUS ipſe *ανεδειξε* (*d*) *deſignavit*. Hæc divina electio ad prædicandam doctrinam tum primum delatam cœlitus miſsionis vocabulo ſignificatur. Nam poſt illorum LXX. electionem dicitur orandus Dominus, *ut multos operarios in meſſem mittat* (*e*). Quo & illud pertinet; *quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint* (*f*)? CHRISTI in cœlum aſſumpti partes explevit promiſſus ille Paracletus. Itaque tam ad ambulatoria quam ad ſtataria munera electi ſunt judicio ac teſtimonio Spiritus, aptiſsimi quique miniſterio Apoſtolorum, aut eorum quos Apoſtoli formandis Eccleſiis prefecerant (1). Ita Timotheus (*g*) muneri admotus *κατα τας προαγουσας προφητειας ſecundum præcedentes prophetias: revelatione divina*, inquit Theodoretus, *ουκ ανθρωπινη ψηφω non humano ſuffragio* Chryſoſtomus. Et generaliter de illo ævo Oecumenius: *πνευματος προςαξει οἱ ἐπισκοποι και ου χυδην Spiritus Sancti juſſu, non promiſcue eliguntur Epiſcopi*. Hinc Paulus in oratione ad Presbyteros Epheſinos ait, *eos gregis Dominici inſpectores a Spiritu Sancto poſitos*. Interdum quoque ſors adhibita, ut ejus eventu plebs de Divino judicio certior fieret. De Johanne Apoſtolo Clemens Alexandrinus auctor antiquiſsimus ita ſcriptum reliquit, *κληρουν ἐκληρωσε των ὑπο πνευματος σημαινομενων, ſortitus eſt quos Spiritus electos voluit*. Neque novum ſorte uti in electionibus Sacerdotum, quin gentibus quoque uſurpatum, priſco haud dubie Noachidarum inſtituto. Hinc Plato legum ſexto, *τα μεν ουν των ἱερων τῳ Θεῳ επιτρεποντα αυτῳ το κεχαρισμενον γιγνεσθαι κληρουν ουτω τῃ θειᾳ τυχῃ ἀποδιδοντα, quod autem ad Sacerdotum electionem ſpectat ea Deo committenda eſt, ut quemadmodum ei placuerit, ita ſortium eventum numine ſuo moderetur*. Ipſe David Sacerdotum functiones ſortito diſtribuiſſe legitur (*h*). Cicero (*i*) Syracuſanos narrat quotannis Jovis Sacerdotium, apud eos ampliſsimum, nominibus aliquot in urnam conjectis ſortito capi juſsiſſe. Romano mori Tacitus teſtimonium perhibet, quum auguſtales ſodales *ſorte electos* ait, *e primoribus civitatis idque ad exemplum vetus Titiorum Sodalium*. Sic Veſtales virgines ſortito electæ. Hæc ad illuſtrandam de Matthia hiſtoriam pertinent: quem a populo ad Apoſtoli munus electum miror quo argumento ſibi quidam perſuaſerint. Nam in Luca nullum ejus rei invenio veſtigium. Quod enim dicitur, *Duos conſtituerunt, Barſabam & Matthiam*, non ad multitudinem, ut Chryſoſtomo viſum eſt, ſed, ut Patribus communiter placuit (2), ad illos undecim referri debet, quorum nomina paulo ante erant expreſſa, & qui per os Petri alloquuti erant multitudinem. Hi ipſi ſunt, qui verbis *αμεσως immediate* ſubſequentibus narrantur *preces ad Deum fudiſſe*; deinde *jeciſse ſortes*; ut appareret, non quem multitudo, ſed quem Deus

(a) *Joan.* 6. 70. 13. 18. (b) *Act.* 1. 2. (c) *Gal.* 1. 1. (d) *Luc.* 10. 1. (e) *Luc.* 10. 2. (f) *Rom.* 10. 15. (1) *Non tamen deſiit fraternitas advocari.* (g) 1. *Tim.* 11. 8. 4. 14. (h) 1. *Chron.* 24. 5. (i) 4. *Verrina.* (2) *Imo nulli Patrum. Vide tract. de jure plebis in electionibus.*

Deus creaſſet: ita enim ipſi loquuntur. Quare, quod ſequitur, συγκατεψηφισθη μετα των ἑνδεκα αποστολων *annumeratus eſt undecim Apoſtolis*, non eſt tranſferendum; *communibus calculis allectus eſt*, (quis enim credat poſt divinam electionem plebem ad ſuffragia vocatam, ſc. ut periculum fieret, an ipſi placeret quod Deo placuiſſet?) ſed *annumeratus eſt*: quomodo Syrus vetereſque omnes ſunt interpretati. Ita Act. XIX. 19. συνεψηφισαν τας τιμας, *pretia numerarunt*, *ſive in ſummam collegerunt*, planeque eodem modo de Matthia dicitur, συγκατεψηφισθη μετα των ἑνδεκα *annumeratus eſt undecim*, ut paulo ante de Juda, κατηριθμημενος ην συν ἡμιν, *accenſus eſt nobis*, & cum Horatio loquar, *ſcriptus eſt noſtri gregis*.

6. Ut autem in voce hac συγκατεψηφισθη *annumeratus eſt*, ita & in altera voce χειροτονησαντες *cum coſtituiſſent*, quæ eſt in alio Act. loco (a), nonnulli argutiores ſunt, quam neceſſe eſt. Dicuntur Apoſtoli fideles Lycaonios orationibus ſuis, & quidem cum jejuniis DEO commendaſſe, poſtquam *per Eccleſias Presbyteros conſtituiſſent*. Hic illud *conſtituere* Lucas expreſſit Græca voce χειροτονειν: quam ad popularia ſuffragia jam olim ſunt qui trahant, etymologiæ fiducia. Et ſane verum eſt, Athenis & per Aſiæ civitates obtinuiſſe morem ſuffragandi porrecta manu: quem ut indignum Romana ſeveritate Cicero pro Flacco exagitat: *ſic ſunt expreſſa*, inquit, *iſta præclara quæ recitantur Pſephiſmata, non ſententiis neque auctoritatibus declarata, nec jurejurando conſtricta, ſed porrigenda manu profundendoque clamore multitudinis concitata*. Atque iſta ſubtilitas ſi placeret, expeditiſſimum erat χειροτονειν interpretari de Apoſtolica manuum impoſitione ſive ordinatione. Eſt enim χειροθεσια χειροτονιας *manuum impoſitio manuum protenſionis* etiam ex origine ſumptæ ſpecies quædam. Nam &, qui manus imponit, eas protendat neceſſe eſt: & proximi Apoſtolicis temporibus ſcriptores ſæpe vocem χειροτονιας eo ſenſu uſurparunt, ut modo oſtendimus. Sed profecto non ſolent Evangeliſtæ, ac ne alii quidem Græci auctores, ita λεπτολογειν *argutari*; imo vix ulla vox eſt, quæ non ſignificationis ſuæ limites extra primogenium ſenſum protulerit. Quare quamquam in Græcis civitatibus χειροτονια de comitiali electione dici cœperit, certum tamen eſt uſu arbitro ad quævis electionis genera porrectam vocem. Ita Appianus ad ſignificandas electiones magiſtratuum a Cæſaribus factas non alia utitur voce: & poſteriores hiſtorici filios dicunt a Patribus Imperatores χειροτονηθηναι *electos*. Philoni (1) Moſes Rex & legiſlator dicitur ὑπο θεȣ χειροτονηθεις *a Deo electus*. Sed nihil opus eſt alios auctores evolvere: cum idem Lucas eodem in libro (b) Apoſtolos vocet teſtes προκεχειροτονημενȣς ὑπο τȣ θεȣ *a DEO præconſtitutos*, nulla ſane aut manuum extenſione, aut popularibus ſuffragiis. Quod ſi illo, de quo agimus, loco popularem electionem indicare Lucas voluiſſet, non Paulo & Barnabæ, ſed ipſi multitudini tribuiſſet το χειροτονειν *eligere*. Ita enim Paulus ipſum Lucam ad collectas aſſervandas ait χειροτονηθεντα ὑπο των εκκλησιων *ordinatum ab Eccleſiis* (c). Idem ergo Paulus & Barnabas

G 2

(a) *XIX*. 23. (1) Περι αθλων και επιτιμ. (b) *Act*. 10. 41.
(c) 2. *Cor*. 8. 19.

bas ibi fecerunt, quod alibi Titum vult facere Paulus (1); ινα καταςησης, inquit, κατα πολιν πρεσβυτερους *ut conſtituas per civitates presbyteros*. Quod Paulo eſt κατα πολιν *per civitates*, id Lucæ eſt κατ' εκκλησιας *per Eccleſias*; quod Paulo καθιςαναι *conſtituere*, hoc Lucæ χειροτονειν. Unde & χειροτονειν, voce *conſtituere*, expreſsit recte interpres Syrus. Quod his Titus facere jubetur mandato Apoſtolico, id ibi facit Apoſtolus ſatis inſtructus a Divino ſpiritu, ut popularis conſilii non indigeret (2), neque vero jejunium & orationes præceſſerunt την χειροτονιαν *ordinationem* (3), ſed inter χειροτονιαν & ipſam valedictionem, qua fideles ſunt Deo commendati, interceſſerunt. Ut mirum ſit hoc quoque in argumentum popularis electionis trahi; cum ne ſi præceſsiſſet quidem oratio & jejunium populi, id ad rem quidquam faceret. Nam & plebs cum jejunio orare Deum poteſt, ut electio Regis ab electoribus facienda ſit proſpera ac ſalutaris; neque ideo plebs ipſa elegit.

7. Vidi, qui electionem Jure Divino atque immutabili hinc populo aſſererent, quod populus a Deo habeat præceptum vitandi falſos Paſtores. Sed hi non animadvertunt id argumentum ſi valeat, non jam multitudini, ſed ſingulis in ſolidum tribuendam electionem: nam falſos Magiſtros ſollicite cavere incumbit non univerſis tantum (4), ſed & ſingulis. Nec minus recte dixeris ægrotantibus ſingulis cavendum medicum notæ temeritatis: ſed ideo urbis medicum a plebe neceſſario eligendum dixerit nemo (5).

8. Illud rectius inde colligas antequam electio exitum conſequatur, dandam populo & ſingulis de populo poteſtatem cauſas allegandi ſi quas habeant, ob quas is, qui proponitur, eligi non debeat. Nam Paulus (*a*) de Epiſcopis locutus, & ad Diaconos tranſiens ait, και ουτοι δε δοκιμαζεσθωσαν πρωτον, *hi autem probentur primum*. Ubi cum in Diaconis idem quod in Epiſcopis velit obſervari, dubium non eſt quin & Epiſcopos velit δοκιμαζεσθαι *probari*, præſertim cum & ante dixerit debere eos eſſe ανεπιληπτους, quod alibi dixit ανεγκλητους, *irreprehenſibiles*; Apud Athenienſes fiebat αρχοντων δοκιμασια, *inquiſitio de moribus Arcontum*, quam & ανακρισιν *examen* vocabant, cujus formula eſt apud Pollucem lib. VIII. Quærebatur quibus eſſent orti parentibus, avis, proavis, quam haberent tribum, quem cenſum, quæ ſtipendia feciſſent; ita Paſtor eligendus ſi eſſet, merito unicuique concedebatur inquirere, quibus eſſet moribus, quale matrimonium, quales liberos haberet, & cætera quæ Paulus vult in Paſtore obſervari. Et hoc eſt in Chalcedonenſi Synodo (*b*) επικηρυττεσθαι *prædicari*; ὁ χειροτονουμενος επικηρυττοιτο *ordinatus prædicetur*: ita enim hanc vocem reddidit Lampridius in vita Alexandri Severi. Verba ſic habent, *Ubi enim aliquos voluit vel rectores Provinciis dare, vel præpoſitos facere, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus,*

---

(1) *At nec Paulus ſine Eccleſia conſtituit*, Tit. 1. 15. (2) *Etſi populari conſilio non indigeret, id tamen nequaquam ſprevit*. (3) *Unde non præceſſiſſe conſtat?* (4) *Et multitudini & ſingulis in multitudine tribuenda pro rata parte*. (5) *Exemplum diſſimile: Nam medici ſuffragiis eorum quos curant creari non ſolent*. (a) 1. *Tim.* 3. 9. (b) *Can.* 6.

rebus, dicebatque grave eſſe non fieri in Provinciarum rectoribus, cum id Chriſtiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi ſunt: Luculentum ſane teſtimonium priſci Chriſtianorum moris non longe recedentis ab Apoſtolica ætate. Nam inter exceſſum Joannis Apoſtoli, & imperium Severi anni ferme interſunt centum & decem. Tantum autem abeſt ut ex hoc loco evinci poſsit Chriſtianorum Sacerdotes a plebe electos, ut contrarium hinc potius colligas; aliud enim eſt admitti ad probanda crimina aut impedimenta, aliud eligere: Proponebat Severus præſidum nomina populo; quin tamen electi (1) ſint ab ipſo Imperatore præſides, nemo Hiſtoriæ gnarus dubitabit; imo nihil opus erat populo proponi Sacerdotes (2), ſi a populo eſſent electi. Omnino certum eſt in vetere Eccleſia poſt Apoſtolorum ætatem etſi jure potuit plebs Paſtores ſuos deligere, non id tamen, ac ubique obſervatum, ſed ſæpiſsime plebem electione abſtinuiſſe ob incommoda quæ ſecum fert popularis ſuffragatio, retento interim jure δοκιμασιας *inquiſitionis*, quod ab *Electione* diverſum eſt.

9. Neque ſane aliud vult (ſi recte expendatur) Cypriani ad Hiſpanos Epiſtola, in qua nonnulli præcipuum popularis electionis præſidium ponunt. Non enim ait ἀποτομως *præciſe, plebem habere poteſtatem eligendi dignos Sacerdotes*, ſed vel *eligendi dignos vel indignos recuſandi* (3). Alterutrum ergo ſufficit, ut id obtineatur quod vult Cyprianus, nempe *ne ad Sacerdotalem locum indignus obrepat*: Et in ſequentibus non dicit Sacerdotem a plebe deligendum, *ſed plebe præſente*, ſive *ſub populi adſiſtentis conſcientia*; Quorſum vero? *Ut dignus & idoneus publico Judicio ac teſtimonio comprobetur*: Et mox: *ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina vel bonorum merita prædicentur*: Quare? *quia plebs ſingulorum vitam pleniſſime novit & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit*: hoc ipſum tamen ut *plebe præſente* deligatur Epiſcopus, non fuiſſe Catholicæ conſuetudinis, ipſe ibidem nos Cyprianus docet: *Apud nos quoque*, inquit, *& fere per Provincias univerſas tenetur.* Quæ adfert Cyprianus ex lege Divina, argumenta non ſatis valere, ut probetur plane neceſſariam eſſe in electione plebis præſentiam, oſtenderunt alii: Et cauſa quam adfert, locum vix habet, niſi ubi urbis Paſtor, ex ipſius urbis populo, aut Clero eligendus eſt (4).

10. At vero electiones a plebe non ſemper factas ex ipſo quoque Cypriano apparet; & quidem ex alia Epiſtola, quæ itidem favere putatur popularibus ſuffragiis: *In ordinationibus Clericorum, fratres Chariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare: ſed expectanda non ſunt conſilia humana, cum præcedunt divina ſuffragia. Aurelius frater noſter Illuſtris adoleſcens a Domino jam probatus & a DEO vocatus eſt, &c.* Deinde, *hunc igitur, fratres dile-*

---

(1) *Electi erant ſed conditionate, ſi ſcil. nihil obſtaret, ne munere demandato fungerentur, quod ex inquiſitione deprehendi poterat.* (2) *Proponi opus erat eligendos a plebe licet a clero idonei judicati eſſent.* (3) *Quaſi vero poteſtas eligendi dignum alia ſit a poteſtate indignum rejiciendi.* (4) *Cleri ex aliena Eccleſia ſacerdotem eligendi eadem quæ plebis eſt conditio.*

dilectiſſimi, a me & a collegis, qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis (1). Ait ſolere a ſe plebem conſuli, omnino conſulendam non ait: imo facto ipſo oſtendit contrarium: Aurelium enim promoverat ipſe cum Epiſcopis, plebe inconſulta; Cauſam reddit, quia conſulitur plebs ut teſtimonium vitæ præbeat; At Aurelio ſatis teſtimonii præbebat geminata confeſsio, quod Cyprianus vocat *divinum ſuffragium*. Eodem jure Clero & plebi per Epiſtolam nuntiat adſcribendum Numidicum Presbyterorum Carthaginenſium numero, & Celerino a ſe deſignatum Presbyterii honorem. Aliis quoque in Africa Epiſcopis jus fuiſſe (2) Presbyteros eligendi illud Aurelii Epiſcopi in Africano Concilio indicat; *Epiſcopus unus eſſe poteſt, per quem dignatione divina Presbyteri multi conſtitui poſſunt*. Neque ſemper expetita populi teſtimonia ſatis oſtendit Canon XXII. Concilii Carthaginienſis tertii (*), cujus verba ſunt, *Ut nullus ordinetur Clericus niſi probatus, vel Epiſcoporum vel populi teſtimonio* (3). Duplex ergo via ad Clerum perducebat, populi teſtimonium, aut Epiſcopale examen; Unde Hieronymus ad Ruſticum, *Cum ad perfectam ætatem veneris, & te vel populus vel Pontifex Civitatis in Clerum elegerit*. Idem alibi: *Audiant Epiſcopi, qui habent conſtituendi Presbyteros per urbes ſingulas poteſtatem* (4). Imo Laodicenſis Synodus, cujus Canones ſunt Œcumenico Concilio approbati, populares electiones rejicit (5): vetat enim Synodus τοις οχλοις επιτρεπειν τας εκλογας ποιεισθαι των μελλοντων καθιςασθαι εις ιερατειαν, *Sacerdotum electionem populorum turbis permittere*. Ad quem locum notat Balſamo: antiquiſsimum morem electionum popularium ob incommoda inde naſcentia eo Canone abrogatum (6): ſicut & ad Canonem Apoſtolicum XXVI. notat, olim ſuffragiis lectos Presbyteros, ſed id pridem fieri deſiiſſe.

11. Sed de Epiſcoporum electione quoque videamus, quæ tanto majoris eſt momenti, quanto major Eccleſiæ cura Epiſcopis quam meris Presbyteris fuit conceſſa. Hos ſæpe poſt Apoſtolica tempora a populo, id eſt a Laicis & Clero electos, nemo eſt qui neget, ſed id juris fuiſſe immutabilis temerarium ſit affirmare (7). Nam ut eorum exempla prætereamus, qui a decedentibus Epiſcopis ſucceſſores ſunt conſtituti (8), ſæpiſsime electos Epiſcopos, aut a Clero ſolo ſuæ urbis (9), aut a Synodo comprovincialium Epiſcoporum, facillimum eſt probatu. Pro Cleri jure facit inſignis Hieronymi locus (10), *Alexandriæ a Marco Evangeliſta, uſque ad Heraclem & Dionyſium Epiſcopos Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant*. Nazianzenus hæſitanter loquens vellet electiones permitti vel ſolis Clericis, vel potiſsimum illis, ita enim minus malorum Eccleſiis eventurum, ſimul tamen oſtendens id ſuo tempore non obſervatum, ſed ditiſſimo-

(1) *Quaſi vero Cyprianus plebem conſulens præter officium fecerit.* (2) *Jus fuit Epiſcopis facto presbyterio & plebe conſulta, non aliter.* (*) *A. D.* 397. (3) *Vel hic pro & ſumitur prout tunc paſſim fiebat.* (4) *Advocato Clero & plebe pro more.* (5) *Non abſolute, ſed ſecundum quid, ſi Synodi approbatione careant.* (6) *Fallitur.* (7) *Imo contrarium & temerarium & aperte falſum.* (8) *Non ſunt conſtituti inconſulto clero & plebe.* (9) *Hoc probandum.* (10) *Hieronymus non ait a ſolis presbyteris electum.*

ſimorum & potentiſsimorum ſuffragia, aut etiam populi arbitrium in electionibus prævaluiſſe.

12. At eam quæ per comprovinciales Epiſcopos ſit, probat Nicenæ Synodi magnæ Canon IV. Ubi in Græco Codice nulla plane populi mentio (1), ut nec in Theodoreto, qui ejus Canonis ſententiam duobus locis (*a*) recitat, nec in Chartaginenſi Concilio (2) primo, cujus Canon XIII. manifeſte Nicænum illum reſpicit, ut a Balſamone quoque notatum eſt. Huic Nicæno Canoni congruit Antiochenæ XIX. addens inſuper, ſi *qui tali electioni contradicerent, valitura plurium (Epiſcoporum) ſuffragia* (3). Neque tamen negaverim, multis in locis etiam Nicænæ & Antiochenæ Synodi temporibus acceſsiſſe populi ſuffragia: At eam conſuetudinem fuiſſe univerſalem minime verum eſt: liberum (4) hoc fuit donec Synodus Laodicena ab univerſali Concilio approbata eſt, cujus Canon XII. Nicænam & Antiochenam ſequens, comprovincialibus Epiſcopis jus eligendi tribuit (5). At XIII. diſerte omnes Sacerdotales electiones multitudini adimit (6). Juſtinianus quoque (*b*) ab electione Epiſcoporum plebem excluſit & nominatim eam commiſit Clericis και τοις πρωτοις της πολεως, *& Primatibus civitatis* (7). E pluribus vero nominatis unius deſignationem commiſit Metropolitano; ita tamen, ut ſi idoneorum eſſet hominum penuria, etiam unius electio a Clero & primoribus Urbis poſsit fieri; ſunt autem οι πρωτοι της πολεως, *Magiſtratus decurionum principes*, qui in legibus itemque apud Salvianum & Firmicum *Principales*, alibi *Patres civitatis* vocantur. Et ex numero Græce modo πεντεπρωτοι, *quinque primi*, modo δεκαπρωτοι, qui & Latine *decem primi*, modo εικοσαπρωτι, *viginti primi*. Attamen Juſtiniani conſtitutio non diu poſt ipſum viguit, reditumque eſt ad Synodicas electiones, quas ſuo quoque tempore in Oriente uſitatas fuiſſe narrat Balſamo, niſi quod Metropolitani a Patriarchis eligerentur, Patriarchæ ab Imperatoribus.

13. Concludimus ergo neque ex ſacris litteris probari, neque a veteri Eccleſia creditum, electionem aut Presbyterorum aut Epiſcoporum immutabiliter ad populum pertinere. Neque ſane ſentire aliter poſſunt quicumque electionem ad Presbyterium transtulere; Nam ſi juris eſt Divini & immutabilis, ut multitudo eligat (8), non magis ad Presbyterium electio, quam ad alios quoſvis transferri potuit. Ac ne compromiſſa (9) quidem valuerunt, quæ de electione facta ſæpe legimus, ſi ex Divino præcepto definitum eſt, ut a plebe Paſtor eligatur; Nam illud *quod quis per alium facit, per ſe facere videtur*, ad eas dumtaxat pertinet actiones, quarum cauſa

(1) *Nec presbyterii quod jure ſuo fraudare nefas antiquitas cenſuit.*
(a) *Hiſtor. l. 4. c. 9. & 23.* (2) *Carthag. concil. nihil de electionum jure ſcripſit.* (3) *Epiſcoporum Vox Canoni male inſerta.* (4) *Imo veriſſimum debitum fuit non liberum.* (5) *Non tribuit jus eligendi ſed de electione judicandi.* (6) *Non abſolute ſed ſecundum quid. vide c. 12.* (b) *Nov. 123. cap. 1.* (7) *Atqui* πρωτοι της πολεως. *Sunt ex plebe: non itaque plebem excluſit Juſtinian. abſolute, ſed jus plebis infregit.* (8) *Multitudo eligit vel ſecundum ſe totam vel per delegatos ſuos.* (9) *Cum compromiſſa nulla fiant niſi quando plebs eo ſua culpa devenit ut jure ſuo uti non poſſit, Divino præcepto non derogatur.*

cauſa efficiens proxima a jure indefinita eſt. Et profecto hoc ipſum quod dicimus, contra Morellium judicatum eſt Genevæ, id eſt, in ea urbe in qua magnus honos, magnum jus eſt populi, quod decretum doctiſsimus Beza defendens, *quod tota* (inquit). *multitudo* fuit convocata, & ſuffragium tulit, nec eſſentiale, nec perpetuum fuit: Ibidem ſatis eſſe putat, ſi plebi concedatur adferre cauſas, cur ipſi diſpliceat electio, quæ deinde ſint legitime examinandæ. Ipſe urbis Paſtoribus ac Magiſtratibus electionem committit, quod Juſtinianeæ legi ſatis congruit. Neque tamen juris eſt Divini & immutabilis, unde enim id probabitur, ſi Ordinationem atque Confirmationem ab electione recte diſtinxeris? Et aliter ſenſit vetus Eccleſia, quæ Presbyterorum electionem Epiſcopo, Epiſcopi vero comprovincialibus Epiſcopis permiſit (1).

14. Eſt ergo modus eligendi inter ea, quæ ſpeciatim jure Divino definita non ſunt, ſed ſub generalibus tantum regulis, quæ omnia in Eccleſia ad ædificationem optimumque Ordinem & citra *ακαταςασιαν* *confuſionem* geri jubent. In his autem talibus demonſtratum ſupra eſt, ſalvis manentibus regulis generalibus, legiſlationem competere Summæ Poteſtati. Aliter ſentire se negat vir acerrimi judicii Bullingerus, qui cum popularis electionis multa attuliſſet exempla, ita infert (a): *Quamquam ex illis colligere nolim deligendi Epiſcopos Jus ad promiſcua plebis ſuffragia reducendum, utrum enim totius Eccleſiæ comitiis, an paucorum ſuffragiis Epiſcopum deſignari melius ſit, nulla poteſt recta omnibus præſcribi Eccleſiis conſtitutio, ſunt enim aliis regionibus alia jura, alii ritus, & inſtituta: ſi qui abutuntur per tyrannidem, cogantur in Ordinem a ſancto Magiſtratu, vel transferatur ab eis jus deſignandi Miniſtros: ſatis enim eſt eligendi munere ſeniores aliquot ex Regis vel Magiſtratus juſſu defungi, advocatis conſultiſque illis qui norunt qualis ſit functio Epiſcopi, quæ ejus populi aut Eccleſiæ ratio, cui aliquis præficiendus eſt, qui item poſſunt de ingeniis, eruditione, atque moribus cujusvis judicare*. Hoc jure Juſtinianus, ut jam diximus, modum eligendi conſtituit ab uſu priore & Canonibus antiquis nonnihil recedentem: hoc jure poſt Nicænum Canonem multi Epiſcopi a Clero & populo electi: Extant & Caroli Magni, Ludovici, aliorumque Regum Capitula ac leges, alium atque alium continentes eligendi modum, ut veriſsime dixerit Bucerus; *formam electionis a piis principibus eſſe præſcriptam*.

15. Illud jam videamus an etiam Summa Poteſtas ipſa electionem facere poſsit; non quæritur an id facere omnino debeat, neque an expediat id ſemper facere, ſed an ſi faciat, quicquam committat contra Jus Divinum: Nos cum ſummo viro Marſilio Patavino dicimus; *Non eſt lege divina prohibitus Legislator aut Princeps ab officiorum Eccleſiaſticorum inſtitutione, collatione, ſeu diſtributione*. Contrarium qui affirmant, pios Principes innumeros, & veteris & hujus ſeculi impietatis reos agunt, quod profecto magnæ eſt temeritatis, cum lex Divina proferri nulla poſsit, quæ id pro-

(1) *Presbyterorum electionem Epiſcopo cum Clero & populo, Epiſcopi Synodo comprovincialium in Eccleſia vacante congregatorum, vel cum ejus Clero & populo conſultantium, vel Cleri & plebis electionem ratam habentium permiſit.*

(a) *Lib. 2. de Epiſc. Ord. & Inſtit.*

prohibeat, ut abunde ab aliis, partim quoque a nobis demonſtratum eſt. Quamquam ergo hoc ſufficere poterat (liberum enim Summæ Poteſtati quidquid lege Divina non circumſcribitur) in promptu tamen ſunt pro noſtra ſententia tuenda & rationes & exempla. Ratio prima inde petitur quod omnes actus, etiam qui naturaliter aliis competunt, dum cauſas ex natura definitas non habeant, recte videmus exerceri a Summa Poteſtate. Naturaliter præceptores pueris ſinguli eligunt, tutores dant liberis; ægroti, quo volunt, utuntur medico; mercatores ſocietati ſuæ curatores præficiunt: At multis in locis tutela ſola lege, aut Magiſtratuum arbitrio defertur; conſtituuntur publico Imperio medici, ac juventutis formatores, etiam cum interdictione, ne alii ea munera exerceant; mercatorum quoque Societatibus Summæ Poteſtates idoneos præponunt curatores, culpante nemine. Quod ſi hoc jus Summæ Poteſtati convenit in ea, quæ ſingulorum fuere; multo magis in ea quæ ſunt populi, cum populi poteſtas in eam translata ſit (1), quod nemo legum mediocriter peritus, ignorat: Cauſas aliquando juſtas eſſe poſſe, cur Summa Poteſtas ſibi Paſtorum electionem vindicet, nemo ſapiens negaverit; Nam ſæpe errores in Eccleſiam contra DEI Verbum invecti aliter evelli nequeunt, ſæpe ſchiſmata cavendi non alia eſt ratio, ſæpe Cleri ſuffragia factionibus, popularis electio ſeditionibus perturbatur: Cujus rei plurima extant exempla, etiam ab ævo puriore: Adde jam poſtremo loco, quod ea interdum ſint tempora, ut ne regnum quidem retineri poſſit, niſi curet Rex ut fideliſſimos ſibi, atque obſequentiſſimos Paſtores habeat: Germani ſane Imperatores graviſſimas dedere pœnas hujus juris abdicati, quod omnes teſtantur hiſtoriæ.

16. Ad exempla ut veniamus, oſtenſum eſt ſupra ante legem Moſaicam, & poſtea apud populos extra Judæam, ipſos Reges ſacerdotio functos, quippe lege Divina id tum non prohibente; quo minus dubium eſt, etiam mandari ab ipſis eo tempore Sacerdotium potuiſſe: Quemadmodum a Romanis Regibus Pontifices & Flamines creatos legimus.

17. At in populo Hebraico poſt Moſis legem nemo Sacerdotali officio adhiberi potuit, niſi qui eſſet e gente Aaronica: neque miniſterio Templi, niſi qui Levita eſſet: Hinc merito culpatur Hieroboam, quod Sacerdotes elegerit eos qui Levitæ non eſſent (*a*): id enim per legem ei non licuit; ſicut nec jubere Rex potuit, ut ſacrificia fierent extra locum conventus, qui poſt Davidis Regnum fuit Hieroſolymis. Alias vero functiones, aut etiam loca functionum aſſignare aut ſacerdotibus aut Levitis Regii juris fuit: Ita David Levitas alios ad prædicandum, alios ad canendum diſponit (*b*): Et ut quidam Cantores eſſent cum cymbalis, citharis & nabliis Dei præceptum fuiſſe dicitur per Prophetas (*c*): ut perſonarum ad ſingula munera applicatio ubique David tribuitur, addito Regis nomine (*d*), & poſt Davidem, Salomoni (*e*). Joſaphatus quoque Rex, non Propheta, Sacerdotes & Levitas nominatim elegit, quos ad docendum mitteret ad civitates Judæ (*f*). Quod idem eſt

Grot. Tom. II. H

(1) *Non abſolute.* (a) 1. *Reg.* 12. 31. (b) 1. *Chr.* 16. 4. (c) 2. *Chron.* 29. 25. (d) 1. *Chron.* 23. 24. 25. (e) 2. *Chron.* 8. 14. 15. & 5. 12. *Neh.* 12. (f) 2. *Chron.* 17. 8. 9.

eſt cum eo quod hic quæritur; Nam jus ſanguinis in lege Moſaica reſpondet manuum impoſitioni in lege Chriſtiana, ut quidam Patres exiſtimarunt (Auguſt. in Pſalm. 44.): Sicut ergo Rex Hebræus poteſt certo muneri ac loco certas perſonas applicare, ſed Aaronidas tantum ac Levitas; ita Rex Chriſtianus certæ Urbis *Presbyterum* aut *Epiſcopum* recte facit, ſed ex iis qui ordinati ſunt aut ordinandi. Sic & Nehemias vice fungens Regis Perſarum, Levitas alios in civitatibus ſingulis reliquit, alios Hieroſolyma evocavit: Quin & Pontificem Maximum non ſucceſsionis jure id muneris adeptum, ſed electione magni Synedrii, certis tamen familiis adſtricta, doctiſsimus Hebræorum Maimonides obſervat, ut & Vicarium Summi Pontificis ſimili ratione conſtitutum: Qui ipſe Vicarius ad Pontificatum maximum ſpem magis, quam jus certum habebat. Hoc ipſum Synedrii jus Regni tempore videtur fuiſſe penes Reges (1). Alioqui vix eſt, ut recte interpretemur, quod dicit Scriptura, Sadocum *a Rege conſtitutum* qui Abjataro ſuccederet, eodem plane loquendi genere, quo Benaja *conſtitutus* dicitur, qui in belli ducatum ſuccederet Joabo: & qui poſtea adepti ſunt jus Regium Macedones, Romani, poſterique Herodis, Pontificum Maximorum creationem ejuſdem juris obtentu ſibi vindicavere, cum cæteris in rebus Judæis *αυτονομιαν jus utendi ſuis legibus* relinquerent: Neque illud eſt indignum memoratu, ſicut olim in captivitate Babylonica Judæi ducem habuerunt, qui *Ras galuth* vocabatur, ita poſt deſtructa Hieroſolyma Judæis præfuiſſe *Patriarchas* diverſos in diverſis Mundi partibus (*), quos ipſi ex Davidis ſtirpe ortos crederent, & quibus proinde quaſi legitimis principibus parerent, ut oſtendunt Origenes, Epiphanius, Theodoretus, Cyrillus. Hi *Patriarchæ* ab ipſis Romanis Imperatoribus *Illuſtres* vocantur (*a*). Et a Synagogis anniverſarium Canonem *auri coronarii* nomine exigebant, quem deinde Imperatores ad ſe traxerunt, deficientibus Patriarchis. Hi ergo *Patriarchæ*, ut cætera fecerunt quaſi Regio jure, ita *Archiſynagogos* quoque & *Presbyteros*, qui & *Majores* & *Senes* & *Patres* vocantur, Synagogis præpoſuerunt, ut ex diverſis Codicis Theodoſiani legibus (*b*) inter ſe collatis manifeſtiſsimum eſt.

18. Sed ad Chriſtianos veniamus: Ante Conſtantini tempora nullos Chriſtianæ Eccleſiæ Paſtores ab Imperatoribus electos nemo mirabitur, cum Imperatores aut inimici eſſent Eccleſiæ, aut certe eam haberent contemptui, longeque infra ſuas curas ponerent. Conſtantinus Canoni Nicæno *de Electione* per Epiſcopos facienda vim legis tribuit; idemque poſt eum fecerunt cæteri Imperatores, aut renovando Canonem, aut non abrogando: atque hunc eligendi modum diu obtinuiſſe manifeſtum eſt, quippe majore latitudine Imperii, quam ut omnibus Eccleſiis proſpicere poſſet Imperatorum diligentia; Sed id minime obſtat quo minus Imperatoribus non licuerit electiones per ſe exercere. Nam cum Canon a Summa Poteſtate vim legis habeat, mirum non eſt ſi Summæ Poteſtati, juſtis de cauſis a lege lata, aut in univerſum, aut in certa aliqua ſpecie liceat recedere. Nam & abrogari

(1) *Imo de Regibus Synedrium judicavit.* (*) *Binos Tiberiade & Babylone.* (a) *Leg. Judæorum, leg. ſi quis audeat, leg. Judæi ſint. Cod. Theod. de Judæis.* (b) *L. cuncta privil. & leg. 1. & 2. l. Judæorum querelæ. l. Judæi ſint obſtricti.*

gari & temperari leges a legiſlatoribus ſolent, ut ſupra a nobis oſtenſum eſt. Quid, quod ne abrogatione quidem, aut legis ſolutione opus eſt, cum Juriſconſulti in eo conſentiant, verbis generalibus in lege poſitis, numquam cenſeri excluſum jus Summæ Poteſtatis. Exempla ergo electionum per Epiſcopos factarum oſtendunt, non neceſſario electionem a Summa Poteſtate fieri. Canones quoque oſtendunt, Summa Poteſtate nolente, per Epiſcopos recte peragi eaſdem electiones; Horum autem neutrum quæritur, ſed, an & Summæ Poteſtati eligere liceat: Licere ſane optimi & Imperatores & Epiſcopi ſenſerunt: nam in Conſtantinopolitana Synodo prima juſſit Theodoſius nomina eorum qui proponerentur, in chartis præſcribi, ſibi autem ſervavit τȣ ενος την αιρεσιν, *unius electionem*: Quid clarius (1)? Unus omnium Epiſcoporum propoſuit Nectarii nomen; Imperator hunc eligit, & in ſententia perſtat multis Epiſcopis reluctantibus: tandem Epiſcopi videntes Imperatorem a propoſito non dimoveri, cedunt, exhibentes ſcilicet ei quam Imperatori debebant reverentiam in ea re, quam Divina lex non prohibebat. Hic quis non videt extra Canones actum? Nam ſecundum Canones nullæ in electione partes Imperatoris (2), hic vero Imperator ſolus eligit, hoc eſt perſonam deſignat. Epiſcopi ut & Clerus & populus probant electionem: Aliud autem eſt *eligere*, aliud *electionem* factam probare. Probant Epiſcopi, quia ipſorum erat Nectario adhuc laico & Catechumeno poſt Baptiſmum manus imponere. Et hic quoque notandum a Canone abitum, cum juxta Canones Catechumenus, imo νεοφυτος *novitius* eligi non poſſet: Probant electionem *Clerus* quoque & *populus*, quia ad ipſos pertinebat η δοκιμασια, *inquiſitio de moribus*, quæ ab electione quantum diſtet, ſupra indicatum eſt: Sic & Epiſcopi Mediolanenſis electio ab Epiſcopis Imperatori delata eſt, nunquam id facturis, ſi id Juri Divino contrarium credidiſſent. Citavimus & Valentiniani & Theodoſii Junioris exemplum, qui, reſciſſa Procli electione (3) a majore parte facta, ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum advenam ex Antiochia vocari voluere: Et ejuſdem Theodoſii, qui Proclum juſſit in Cathedra collocari: quæ clara ſunt non Canonicæ, ſed Imperatoriæ electionis exempla. Neque negamus peculiares aliquas cauſas fuiſſe, cur Imperatores ipſi electionem a ſe faciendam judicaverint; ſed hoc ad prudentiæ, non ad juris quæſtionem pertinet. Prius neceſſe eſt Imperatores ſibi id licere crediderint, antequam diſpexerint an id expediret: Nam de illicitis nulla debet eſſe conſultatio. Harum autem rerum cauſas ad Divinam revelationem aut inſpirationem referre in iſta Eccleſiæ ætate merum eſt aut ignorantiæ aut pertinaciæ perfugium. A Juſtiniano Imperatore (4) Hormiſda & Vigilius electi in Epiſcopatum Romanæ Urbis multo ante tempore quam in terrenam Dominationem Epiſcopatus ille verteretur;

(1) *Fabuloſa narratio. Vide Epiſt. Concil. ad Occidentales.* (2) *Imo erant.* (3) *Quia ſcil. concors non fuerat.* (4) *Hormiſda electus A.D.* 514. *Julii* 20. *fer.* 1. *Sub Anaſtaſio Imp. quo tempore Roma Theodorico Gothorum Orientalium Regi parebat, annis ante Juſtiniani ad Imperium A. D.* 527. *April.* 1. *evecti regnum* 11. *menſibus* 8. *diebus* 11.

retur ; ita ut hanc qui attulerunt cauſam unicam per Imperatores factæ electionis, ad temporum Ordinem non ſatis attenderint.

19. Poſtea quoque mos ille in Conſtantinopolitana Imperii parte diu obtinuit, ita ut Nicephorus Phocas, (1) Zonara narrante, nullos Epiſcopos niſi *a ſe electos* ad Epiſcopatum admiſerit. Certe ſuo tempore ab Imperatoribus electos Patriarchas, invocata ſumma Trinitate, Balſamo narrat. Et Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiſcopus jura Imperatorum circa ſacra perſequens, eorum eſſe dicit, & electionibus præeſſe, & ex Epiſcopo facere Metropolitanum. Nec dubitare quiſquam poteſt, quo magis refrixit in Clero ſanctimonia & in populo obſequii fides, eo juſtiores fuiſſe cauſas Summis Poteſtatibus electiones ſibi vindicandi.

20. In Occidente a Chriſtianiſsimis Francorum Regibus, & ſæpiſsime, & diu electos Epiſcopos ſine ulla populi, ſine Cleri ſuffragio, in omnibus Francorum Hiſtoriis, quaſi Solis radiis ſcriptum eſt: Et tamen ſunt qui ad tantam lucem oculos claudunt, nimirum quia parum ſit credibile tot pios Principes quicquam in more habuiſſe, quod Divinis legibus adverſaretur, neque eo nomine, aut ab Epiſcopis, quorum conſiliis quotidie utebantur, aut a Synodis, quæ ſub eorum Imperio frequentiſsime habebantur, fuiſſe reprehenſos: Sed quid opponant, videamus. Primum ergo ſerum hoc eſſe & infrequens dicunt: Ego contra & vetus ſatis eſſe, & perquam frequens exemplis viginti quinque & amplius Caroli Magni ætatem antecedentibus oſtendi (*): Vetuſtati teſtimonium præbet Lupus Ferrarienſis, qui ſub Carolo Calvo ſcribens, novitium eſſe negat, quod honorabilioribus Eccleſiis Rex *ex Palatio procurat Antiſtites*: Brunechildis tutelam regni geſsit, circa annum IↃC. quo tempore a Gregorio admonita eſt de cura inſtituendorum Epiſcoporum: Quod de Romanorum Pontificum Dominatu dicunt, quaſi is Regibus cauſam trahendæ ad ſe electionis dederit, præterquam quod ſupra refutatum eſt, trahi nullo poteſt modo ad Francorum Epiſcopos, & ad ea tempora cum Franci Reges nondum Italiam poſſiderent. Imo contra, quia Franci Reges hoc jure uti ſolebant in regno ſuo, ideo & in Italia hoc ipſum Carolus Magnus ſibi tribui voluit, ne minore cum Imperio Italiam, quam Galliam & Germaniam regeret: Veriſsime enim a Goldaſto aliiſque obſervatum eſt, Decretum illud, quod Adriani Pontificis Romani tempore factum eſt, ad Italicos dumtaxat Epiſcopos pertinere, cum aliis in partibus jam ante Carolus ſolidum jus electionis haberet.

21. Ad divitias quoque Epiſcopatuum, & adnexas ipſis temporales juriſdictiones, fruſtra recurritur. Nam etiam Caroli Magni temporibus, multoque magis priſco illo, & ſimpliciore ævo, Epiſcopatus pauperes aut tenues erant, ut ab Onuphrio Panvinio, harum rerum peritiſsimo indagatore, annotatum eſt: Ad juriſdictiones vero quod attinet, eas Epiſcopi, Caroli Magni ævo, nullas Epiſcopatibus annexas habuerunt, ſed uſurpari id demum cœpit, avulſo a Gallis Germaniæ regno: Cum Ottones Germaniæ imperarent, tantum abeſt ut juriſdictiones electioni per Imperatores faciendæ cauſam dederint, ut contra ideo juriſdictiones conceſſæ ſint Epiſcopis, quod Imperatores eos, ut a ſe electos ſibi fideliſsimos fore, ideoque ipſis cuſto-

(1) *Poſt annum* 564. (*) *Ab A. D.* 575. *quo cæſus Sigebertus*.

cuſtodiam urbium tute committi arbitrarentur. Obſervavit hoc idem doctiſsimus Onuphrius, qui in Urbe Roma non dubitavit hæc veriſsima ſcribere: *Poſtquam vero Juris* (1) *Imperii facta eſt eorundem Prælatorum electio; quemadmodum & cæteri Principes ſæculares Imperii, tum Cæſares, qui de Religione bene mereri volebant, ſine Imperii tamen præjudicio cœperunt Epiſcopos & Abbates, ob Religionem tamquam potiora Imperii membra, præ cæteris laicis Principibus honorare, profana ditione & ingentibus opibus honeſtare, Arces, Oppida, Urbes, Marchias, Ducatus, Provincias, Pedagia, telonia, vectigalia, portoria, & multa alia quæ Imperii propria erant, Epiſcopatibus concedere, quæ vel ex ſuis propriis bonis, quæ ad Imperium pertinebant, vel ex alienis feudis erant. Nam laicis Principibus ſine legitimo hærede mortuis, eorum Provincias, quæ beneficiario jure ad Imperium pertinebant, non aliis amplius laicis Regulis ſed Epiſcopis concedebant, atque hac ratione omnes Epiſcopatus & Abbatias Italiæ, Galliarum, & Germaniæ, imo totius orbis Latini, & denique ipſum Pontificem Romanum ex pauperibus ditiſſimos & maximos Principes fecerunt: ex eis ſcilicet opibus, quæ ante Imperii juris erant, in nulla re propterea Imperialia jura minui exiſtimantes, quippe quod certi eſſent eos omnes Prælatos a ſe deſignandos fore, & non niſi juſſu ſuo & voluntate Sacerdotia ipſa obtenturos*. Ottoni II. commentum hoc tribuit Nicolaus Cuſanus (a): *Otto II. unico gaudens filio, & multis regnis, cogitans difficile fore abſque maximo labore tot regna in pace aliquandiu ſervari poſſe, inſequens veſtigia avi ſui Henrici I. & Ottonis Patris, ſuum cogitatum ad res Eccleſiaſticas appulit, conſiderans multa jam religioſis locis per præteritos Reges donata, ſumma pace gaudere, quia verecundum erat DEO dicatis vim inferre, animo ponderavit ordinationem factam in Synodo Romanæ Eccleſiæ, de qua 63. Diſt. in Synodo, per quam perpetua dabatur poteſtas Imperatoribus, & Romanum Pontificem & cunctos ſub Imperio Epiſcopos inveſtiendi, vel ſaltem eorum conſenſum ſemper concurrere debere, celebrata Canonica electione, ut 63. Diſt.* nos Sanctorum: *unde hoc ponderans credidit, perpetuis temporibus, Imperio ſubjectis pacem dari poſse, ſi temporalia dominia, tam Romanæ Eccleſiæ quam aliis adjungerentur, cum certi ſervitii obſervatione, tunc enim cultus Divinus augmentaretur; & Religionem in magnam reverentiam exaltandam credidit, quando Sanctiſſimi magnæ potentiæ aliis Principibus intermiſcerentur, non poſſe tunc quoſque voluntate in peccatis uti. Nulla publica ſperabat unquam peccata captorum & depopulatorum agrorum, & communem Pacem turbantium, incendiariorum, & conſimilium poſse nutriri, Eccleſiaſtica ſacra Poteſtate, potenti & valenti reſiſtente. Etiam prædones & pauperum oppreſsores, qui particulari regimini præeſsent, ſic corrigi poſſe affirmabat; ut ſic abſque tyrannica oppreſſione populus in libertate vivere poſset; Imperio etiam tranquilliſſimo* (2) *non dubitabat hanc ordinationem eſse utiliſſimam, quando per annua ſervitia ac præſtimonias cuilibet Eccleſiæ juxta quantitatem temporalium indictas, ſtatus Imperialis manu teneretur, ac etiam multo major Imperii potentia ex hoc appareret, quod illis omnibus dominiis, ita Eccleſiis traditis, nullus niſi per Imperium*

(1) *Imo poſtquam Imperii Majeſtas nutare cœpit.* (a) *Lib.* 3. *de Concord. Cathol. c.* 27. (2) *Imperium ipſum enervavit.*

rium & abſque ſucceſſione præfici poſſet. Theodoricus vero a Niem ab Othone I. ejus rei jacta fundamenta oſtendit; *Ipſe*, inquit, *magnus Ottho, & de ipſo deſcendentes, ſecundus & tertius ejuſdem nominis Auguſti, ipſam Romanam & alias omnes Eccleſias in Italia & Germania ſæcularibus dominiis ditarunt*.

22. At in Gallia paucisſima ejus rei exempla invenias. Fefellit nonnullos inveſtituræ vocabulum: quod quia hodie de Feudis potiſsimum uſurpatur, ideo omne id, quod de inveſtituris Epiſcoporum dicitur, ad territoria & fundos pertinere putaverunt. Craſſus eſt error: Nam *veſtire* & *inveſtire* vetera ſunt vocabula originis Germanicæ, quæ juris qualiſcunque collationem ſignificant. Ideo apud veteres Auctores officiis omnibus tum civilibus, tum Eccleſiaſticis aptata reperiuntur. Romanus Rothomagi Epiſcopus, Jureto annotante, vixit circa annum IOCXXIII. In ejus vita legimus: *Fit itaque inter Palatinos Proceres de viro ſancto communis aſſenſio, qui omnes unanimiter Regi conſulunt ne grex Chriſti ſuo fraudaretur deſiderio, ſed divina protinus ad effectum ducatur electio: quo Rex gratulatus conſilio, convocatis tam Epiſcopis quam Abbatibus, baculum illi contulit Paſtoralem*. Apparet hinc *inveſtituram* trecentis ferme annis vetuſtiorem Otthonis I. Imperio, quo cœpta ſunt territoria Epiſcopis tribui. Et ſane ſi in *inveſtitura* ſpectata eſſet Juriſdictio civilis, jam ea facta eſſet per *ſceptrum*, *gladium aut vexillum*, ut mos habebat eorum temporum, non per *annulum & baculum*. Quamquam ergo non vindicarunt ſibi Chriſtianisſimi Reges χειρων επιθετιν *manuum impoſitionem*; quæ Presbyteros facit, tamen ſui Juris exiſtimarunt hæc duo, hunc hominem huic Eccleſiæ obſtringere, quod per annulum indicatur, & Juriſdictionem Eccleſiaſticam, hoc eſt, Judicium de ſacris cum quodam publico Imperio conferre, quod *baculi* nomine indicatur: Nam & Regi ipſi, primum cum ſacraretur, una cum Sceptro dari ſolebat baculus. *Et per hoc*, inquit Aimoinus (a), *Eccleſiarum defenſio*, hoc eſt, Imperium ad tuenda ſacra divinitus tradita; ſua nimirum officiis ſigna reſpondebant: ſicut & Canonicus per librum veſtiebatur. Multis demum poſt ſæculis, cum pietas genuiſſet opulentiam, & filia inſidiaretur matri, Imperatores de Jure vetuſtiſsimo pene detruſi, cœperunt indignitatem ejus rei ex hoc quoque oſtendere, quod Epiſcopi ipſorum beneficio prædia & territoria poſsiderent; ſed numquam hoc ſolo jure nixa eſt electio; quippe, ut diximus, iſta Regum liberalitate antiquior. Accedit, quod neque vis ulla poteſt eſſe acceſſorio ut principale ad ſe trahat, & quod nunc quoque prædiorum in vicem ſtipendia e publico ſuccedunt; ita ut hac quidem de cauſa nihilo ſequius ſit, quam olim fuit, jus Summarum Poteſtatum.

23. *Inveſtituræ* ergo nomine in illorum temporum hiſtoriis non inane ſignum intelligendum eſt: neque credendum, tam ſtultos fuiſſe Reges, ut pro nudo ritu tot labores, tot etiam bella ſuſceperint; ſed cum ſigno, aut per ſignum res ſignata, nimirum Eccleſiarum collatio, quam certum eſt factam duplici modo. Nam aut electionem libere & ſine aliorum ſuffragiis Reges per ſe fecerunt, aut jus eligendi aliis conceſſerunt, ſalvo jure approbandi, non imaginario, ſed cum reſcindendi libertate. Conceſsio eligendi dabatur, aut per legem, ſicut Carolus Magnus Epiſcopos

(a) *Lib.* 5. *cap.* 50.

pos *per electionem Cleri* & *Populi* voluit eligi, aut per privilegium, ſicut idem Carolus Magnus Mutinenſibus conceſsit, ut ſuis ſuffragiis Epiſcopum eligerent (*a*): idemque jus jam olim a Francis Regibus obtinuit Eccleſia Atrebatenſis; aut ſpeciali indultu, quæ via Caroli Magni poſteris tutior viſa eſt.

24. In teſtamento Philippi Auguſti Francorum Regis (*) hæc verba extant: *ſi forte contigerit Sedem Epiſcopalem vacare, volumus ut Canonici veniant Eccleſiæ ad Reginam & Archiepiſcopum* (is erat (**) Guilielmus Remenſis Archiepiſcopus, quem Rex Hieroſolyma proficiſcens Regni curatorem conſtituerat) *& liberam ab eis electionem petant*: & Ludovicus Sanctus (***) qui dicitur, in diplomate quo matri mandat Regni curam, regalia enumerans, addit *Poteſtatem conferendi dignitates & beneficia Eccleſiaſtica*, Item *eligendi*, *licentiam dandi capitulis & conventibus*. Senatus Curiæ Pariſienſis in libello, quem Regi Ludovico XI. obtulit, *Lodovicus*, inquit, *Pius* (Caroli Magni ſcilicet filius) *ſemper jus inveſtiturarum retinuit*; *in cujus locum poſtea ſucceſſerunt regalia, & jus illud quo utitur Rex, cum vacante Epiſcopatu eligendi Poteſtatem facit*: hoc ipſum erat, quod in Anglia ſolebat vocari *licentia eligendi*. Cæterum ſæpiſsime Reges Francos & eorum ſucceſſores tum in Galliæ tum in Germaniæ Regno ipſos per ſe exercuiſſe jus eligendi, nullo alienorum ſuffragiorum interventu, & nos multis exemplis oſtendimus, & ante nos indubitatæ fidei auctores prodiderunt. Apud Turonenſem hæc exſtant (*b*): *Dionyſius Epiſcopus per electionem Regis* (Clodovaci, qui Chriſtianorum Regum primus) (1) *ad Epiſcopatum ſucceſſit*. Item, *Ommatius juſſu Clodomari Regis* (is Clodovaci filius) *ordinatus eſt*. Item, *Theodoricus* (is quoque e Clodovaci liberis) *juſsit Sanctum Quintianum conſtitui, & omnem ei Eccleſiæ Poteſtatem tradi*. Clerus Turonenſis (narrante eodem Gregorio lib. 3. c. 17.) Catonem a Clothario electum ita alloquitur: *Non noſtra te voluntate expetivimus, ſed Regis præceptione*. Sic & in Pictonicum Epiſcopatum Paſcentius ſuccedit juſſu Regis Chariberti. Notat Walramus Epiſcopus Naumburgenſis per hæc tempora viros optimos atque ſanctiſsimos ad Epiſcopatus perveniſſe. Sed Onuphrium audiamus, qui in vita Hildebrandi ita ſcribit, ipſe Pontificiæ Poteſtati addictiſsimus; *Erat tum conſuetudo a temporibus Caroli Magni Imperatoris, primum ex auctoritate Romani Pontificis Adriani I. introducta, ut alicujus urbis vel Abbatiæ Epiſcopo aut Abbate mortuis, ſtatim Clerus vel Monachi in unum congregati Legatos ad Imperatorem, qui tunc erat, dirigerent; ad quem defuncti Prælati pedum Pontificale & annulum deferentes, eum pro novo Antiſtite deligendo nomine ſui collegii interpellabant. Qui ſtatim Senatu ſuo congregato ex ipſius ple-*

(a) *Carol. Sigon. de Reg. Ital. l.* 4. (*) *A. D.* 1219. *G.* (*cum cruce ſignatus eſt*) *ſcripto*, *vitam ad A. D.* 1223. *produxit.* (**) *Matris germanus.* (***) *A. D.* 1248. *quo crucem ſumpſit.* (b) *Lib.* 10. *c.* 13. 4. (1) *A. D.* 511. *Licinii Turonenſis* 11. *deceſſit Clodoveus. Licinio A. D.* 513. *denato Theodorus & Proculus jubente Crodielde ſuffecti ſunt. Si præfati Regis, id eſt Clodovei electione ad Epiſcopatum acceſſit vivente Licinio ſedit, pluresque una Epiſcopos habuere Turones: id vero non admittit ipſe Gregorius, qui lib.* 2. *c.* 2. *Licinio* (*poſt Clodoveum*) *defuncto Dionyſium Cathedram Pontificalem aſcendiſſe monet.*

plerumque ſententia unum vel ex ipſis collegiis vel ex amicis & Capellanis ceteriſque domeſticis & familiaribus ſuis juxta loci dignitatem, ut ei libitum erat, pro arbitrio a ſe electum, annulo & virga Paſtorali, Prælati defuncti a ſe tranſmiſſis donabat, cumque de illo Sacerdotio diplomate ſuo Imperiali, ut tum dicebatur, inveſtitum, hoc eſt, illa dignitate donatum, in Epiſcopum vel Abbatem conſecrari mandabat, abſque alia Cleri & Monachorum electione. Hoc autem per Galliam, Germaniam, & Italiam, quæ tunc Latinus orbis dicebatur, uſurpari mos erat. Cujus exemplo ceteri quoque Reges ut Hiſpaniæ, Francorum (1), *Hungariæ & ejuſmodi imitati ſunt. Hanc autem conſuetudinem, cum omnes, ut dixi, Latini orbis Eccleſiæ, tum ſæpe & diu in multis ſuorum Pontificum electionibus ſervavit Romana Eccleſia: & præſertim in Joannis* XIII., *Gregorii* V., *Sylveſtri, Clementis, Damaſi, Victoris, Nicolaique Pontificum electionibus; qui omnes Otthonis* I. & III., *Henrici quoque* III. & IV. *ſententia, Romani Pontifices ſine Cleri Romani ſuffragiis lecti, & ab iiſdem Imperatoribus per annulum & virgam de Papatu Romano inveſtiti fuerant.* Et alio loco: *Imperator non ſolum Epiſcopatus omnes & Abbatias minoraque omnia Sacerdotia, ut Præbendas, Canonicatus, Præpoſituras, & Decanatus, & hujuſmodi conferebat; ſed etiam Romanum ipſum Pontificem deſignabat.* Cui congruit illud pragmatici Ferrarienſis: *Imperatores conferebant omnia beneficia per univerſum orbem* (2). De Trajectina Eccleſia Reſcriptum Conradi Suevi produximus, cujus verba ſunt: *Jus eligendi & inſtituendi Epiſcopum in ipſa Eccleſia ad Reges Romanos, vel Imperatores pertinere dignoſcitur, & ab Anteceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus ad noſtra tempora eſt devolutum & deductum.* Nihil huic Regum juri derogat capitulum Caroli Magni *de Electionibus per Clerum & populum faciendis*, cujus modo meminimus. Certiſſimum enim eſt in omni lege tacite exceptum jus cenſeri atque Imperium Summæ Poteſtatis. Conceditur ergo Clero & Populo electio, niſi Regi ipſi ex uſu videatur ſuo arbitrio electionem peragere. Genebrardus ipſe Juris Regii infeſtiſſimus oppugnator (*a*), Carolum Magnum uſum jure per ſe eligendi Epiſcopos, quamquam rarius, concedit. Et ſane morem hunc Regiæ electionis per Pipinum & Carolum Magnum deducit Lupus Ferrarienſis: & jus eligendi Romanum Pontificem penes Carolum fuiſſe, ipſi Propugnatores Pontificiæ Poteſtatis concedunt, decretumque ut ipſe Archiepiſcopos & Epiſcopos inſtitueret. Ita enim voces *audandi* & *inveſtiendi*, quæ ſunt in Decreto, Sigonius interpretatur (*b*). In Ludovico Rege jus hoc conſtituendi Paſtores agnovit Synodus Aquiſgranenſis: uſoſque Caroli Magni poſteros eodem jure multis exemplis alibi oſtendimus. Utrumque ergo hiſtorici comprehendunt *inveſtituræ* nomine, & *Jus eligendi*, ſi ita ex uſu videatur, & *Jus electionem permittendi*, Regioque judicio aut probandi aut improbandi. Quod jus penes Imperatores manſit aduſque Hildebrandi tempora, qui primus in hoc jus violentum impetum fecit. Onuphrius Panvinus vitam ejus referens, *non ſolum*, inquit, *Imperatorem electione Romani Pontificis, quod & Adrianus tertius*

---

(1) *Quaſi Francorum Reges extra Galliam Latini orbis partem regnaverint.*
(2) *Per orbem ſuum, non ubique.* (a) *De ſacr. elect. Jur. cap.* 1. (b) *De Regn. Ital. lib.* 2.

tius aliquando fecerat , *ſed & omni auctoritate* , *qua reliquos Prælatos* , *Epiſcopos ſcilicet* , *Abbates conſtituebat* , *primus omnium Romanorum Pontificum privare tentavit* . *Inveſtituram* hic conſtituendi nomine recte explicavit . Ut & ipſe Imperator Henricus V. qui , ut apud Abbatem Suvarzahenſem eſt , tam Papæ quam Synodo *Poteſtatem conſtituendorum Epiſcoporum Carolo Imperatori conceſſam notificavit* . Idem Onuphrius alibi : *Inveſtituras ita* , inquit , *collationem appellabant* . A Carolo certe ad Henricum uſque poſſeſsionis regiæ ſeriem continuat & Imperator ipſe , & alii ſpectatæ fidei ſcriptores . Imperator Henricus a Paſchali ſtipulatus eſt , ut regal a ſibi dimitteret , quæ a temporibus Caroli , Ludovici , Otthonis , Henrici , aliorumque prædeceſſorum ad regnum pertinebant . Quæ hæc ſint regalia , in edicto explicat : *Regno jam inde a Carolo quadringentis & amplius annis inveſtituras Epiſcopatuum tenenti auferre volebat* . Hoc ipſum jus Weſtmonaſterienſis vocibus *dandi Epiſcopatus* expreſsit in hiſtoria anni CIↃ CXII. *Hoc anno orta eſt contentio magna inter Papam Paſchalem & Imperatorem* . *Imperator voluit uti privilegio Anteceſſorum ſuorum* , *habito annis trecentis ſub Pontificibus Romanis LX. qui licite dederant Epiſcopatus & Abbatias per baculum Paſtoralem* . Guillelmus quoque Tyriorum Archiepiſcopus eidem mori antiquiſsimo teſtimonium præbet : *Inoluerat*, inquit, *conſuetudo* , *præſertim de Imperio* , *quod decedentibus Eccleſiarum Prælatis*, *annulus & virga Paſtoralis ad dominum Imperatorem dirigebantur* . Ferrarienſis Pragmaticus de illis temporibus agens : *Imperatores* , inquit , *conferebant omnia beneficia Eccleſiaſtica per univerſum orbem* (1) . Duo autem illa , quibus diximus inveſtituras conſtare , eligendi ſcilicet facultatem , & , ſi ab aliis eligeretur Epiſcopus , recuſandi libertatem , optime diſtinxerunt , & in jure Regio conjunxerunt omnes quorum in iſtis rebus excutiendis diligentia probatur. Patet hoc ex laudatis modo Onuphrii locis, quibus iſte ejuſdem Auctoris accedat : *Satis autem conſtat Joannem* XIII. *qui Leoni* VIII. *immediate ſucceſſit* , *Gregorium* V. *& Sylveſtrum* II. *Apoſtolicæ Sedi ſola auctoritate Imperatorum fuiſſe impoſitos* , *nullius Cleri vel populi Romani ſuffragiis expetitos* . *Cæteri vero Romani Pontifices*, *qui inter Joannem* XIII. *& Sylveſtrum* II. *fuerunt* , *etſi eos electos fuiſſe ab Imperatoribus non legatur* , *ſed a Clero* , *Senatu* , *populoque Romano* : *id accidit* , *quod electionis tempore Imperatores urbe abſentes* , *adeo maximis in Germania bellis & alibi impliciti eſſent* , *ut de novo Pontifice Romanæ Sedi providere non poſſent*. *Illud tamen conſtat*, *dum Imperatores* , *tres Otthones loquor* , *in urbe* , *vel prope* , *aut certe in Italia fuerunt* , *& Romanam forte Eccleſiam Paſtore vacare tum contigiſſet* , *eos novum Summum Pontificem dediſſe* : *ſi vero tempore novæ electionis eos ab Italia procul eſſe contigiſſet* , *certum eſt* , *tum Romanos Pontifices a Clero* , *Senatu* , *populoque Romano electos* , *non abſque Imperatorum conſenſu conſecratos fuiſſe* . Vir eruditiſsimus Johannes Tilius in memoriali libertatum Eccleſiæ Gallicanæ : *Epiſcopatibus* , inquit , *vacantibus* , *apparet per hiſtorias Gregorii Turonenſis Archiepiſcopi & Aimonii*, *qui exempla recitant*, *ante Carolum Magnum a Regibus datos* ; *aut ſaltem* , *ſi ex forma ſanctorum Canonum & Patrum decretis facta eſſet electio per Clerum & populum*, *eam nullius fuiſse pretii*, *niſi*

(1) *Suum ſcil.*

niſi a Rege probaretur. Et peritiſsimus Canonum Juretus ad Ivonis Epiſtolam CIV. *Quin etiam, licet aliquando libera eſset Cleri & populi electio, tamen conſulendus erat Rex*: Ubi & reſciſſarum a Rege electionum adfert exempla. Ut appareat veriſsimum eſſe quod dixi, ipſum jus approbandi non fuiſſe imaginarium (quale nunc quidam conantur Summis Poteſtatibus obtrudere) ſed cum improbandi libertate conjunctum, & quidem tali, quæ alieno judicio non ſubjaceret.

25. Magni ſane momenti ad Eccleſiam tuendam & Regni ſtatum jus utrumque, inquam, electionis, & rejectionis: ſed illud tanto majoris, quanto plus eſt beneficii debitorem acquirere, quam inimicum excludere. Paulus Æmilius, ubi id jus Henrico Imperatori extortum narravit: *Ea res*, inquit, *multum virium Imperatoriæ majeſtati detraxit in animis popularium: plus enim quam dimidium ſuæ Juriſdictionis perdidit*. Onuphrius eundem ferme in modum: *Dimidium*, inquit, *Imperii omnino ab imperatore tollebatur*. Item: *Imperii enim vel omnino tollendi, vel in perpetuum ſtabiliendi cauſa tum maxime tractabatur*. Idem alibi de Henrico III. *Præſtantiſſimum*, inquit, *hoc Imperii jus* (ita electionem appellat) *mordicus retinuit*: neque ſane aliter exiſtimarunt Reges, qui ex ruderibus Romani Imperii potentiam ſuam exſtruxere.

26. Præter Francos & Germanos, Hiſpaniæ quoque & Hungariæ Reges audivimus ab Onuphrio nominatos. In Hiſpania mos ille ante Caroli Magni tempora viguit, ut ex Toletano Concilio apparet, ubi Præſulum electio diſertim regali Poteſtati adſcribitur, addito, *ſi Toletanus Epiſcopus dignos eſse probaverit*, quia ad ipſum conſecratio pertinebat. Quem morem ad Reipublicæ ſalutem plurimum pertinere a Covarruvia notatum eſt, & a Vaſquio recte animadverſum, non ex juris Canonici beneficio hoc jus eſſe penes Reges, ſed ipſo regali atque adeo naturali jure; quia ſcilicet regno poſito, ſimul jus Regi conceditur ea omnia procurandi, quæ ipſi lege divina interdicta non ſunt, præſertim quæ eo pertinent, *ut ſubditi vitam & tranquillam & piam degant* (*a*). Hungariæ Reges ad Paſchalis uſque tempora eo Jure uſos Martinus in Chronicis aliique tradiderunt. Nec omittendum illud Theodori a Niem de Sigiſmundo optimo Rege atque Imperatore: *Ipſe Sigiſmundus Cathedrales Eccleſias & Monaſteria, nec non omnia beneficia Eccleſiaſtica in Hungaria dedit, quibus voluit*. His Apuliæ Reges addit in conſiliis Alexander, Scotiæ Reges Epiſcopus Naumburgenſis, qui anno CIↃ CIX. cauſam eandem, quam nunc agimus, egit fortiter contra Hildebrandiſtas. Angliæ Regem ipſum, ſi placet, audiamus: *Henricus id nominis poſt Conqueſtorum primus conceſſit Epiſcopatum Wintonienſem Wilhelmo Gifford; & continuo de poſseſſionibus ad Epiſcopatum pertinentibus contra novi Concilii ſtatuta inveſtivit. Idem Henricus dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſem Rudolpho Londinenſi Epiſcopo, & illum per annulum & baculum inveſtivit* (*). Hic eſt ille idem Henricus, qui narrante Weſtmonaſterienſi per Wilhelmum procuratorem ſuum *conſtanter allegavit quod non ipſe* (ita verba habent) *pro regni amiſſione inveſtituras Eccleſiarum amittere velit, & hoc ipſum verbis minacibus affirmavit*. Faceſſant hiſtoriarum imperiti interpretes. Quis non videt hic inveſti-

(a) 1. *Tim.* II. 2. (*) *A.D.* 1114 *April.* 26. *Fer.* 1.

veſtiturarum vocabulo ipſam Epiſcopatuum collationem intelligi? Statutum Parlamenti ſub Eduardo III. Rege habiti teſtatiſsimum hoc facit. Verba ſunt: *Supremus Dominus noſter Rex, & hæredes ſui habebunt, & pro illo tempore fruentur collationibus ad Archiepiſcopatus & alias dignitates electivas quæ de ejus ſunt advocatione, quas progenitores ejus habuerunt, antequam eſset libera electio conceſsa. Quandoquidem electiones conceſsæ ſunt per progenitores Reges ſub certa quadam forma & conditione, videlicet ut eligendi licentiam a Rege peterent, & poſt factam electionem Regium conſenſum obtinerent, & non alio modo.* En jus Regium *conferendi Epiſcopatus*, Clericorum electione in Anglia antiquius, quod hiſtoriæ quoque teſtantur: quæ ab Ethelredo, & aliis antiquiſsimis Regibus, anni ſunt jam ſeptingenti, narrant collatos Epiſcopatus. Poſtea Clericis conceſſæ (1) electiones ſub duabus conditionibus, quas in Gallia quoque obſervatas oſtendimus, ut *eligendi* impetraretur licentia, & facta electio ad Regium referretur arbitrium. At poſteriori ævo tota electio Regi reddita. Hodie penes capitula imago eſt electionis, vis tota penes Regem. Nam vacante Epiſcopatu Rex (2) cum codicillis, licentiam eligendi continentibus, ſimul tranſmittit nomen ejus quem eligi cupiat. Hunc morem defendens Bochellus ait; *Antiquum jus plebis deſignandi qui conſecrentur, eatenus eſse penes Reges, quatenus ſolemnes Regni cujuſque conſuetudines permittunt.* Bilſonus autem Wintonienſis Epiſcopus operoſiſsime de hac quæſtione diſſerens non ſemel affirmat, quod certiſsimum eſt (3); *Nullam eligendi formam Divino Jure præſcriptam, cumque Principes populi ſint capita, & Divino atque humano Jure omnis externæ atque publicæ adminiſtrationis curam, tam in ſacris quam in civilibus cauſis creditam ſibi habeant; has rationes neceſsario evincere electiones eorum fideicommitti debere; ſaltem ſi onus illud in ſe ſuſcipere voluerint.* Ejuſdem hæc ſunt verba: *Luce clarius apparet alios etiam Principes, præter Romanos Imperatores a prima Chriſtiana fidei profeſſione, non ſolum ſummam Poteſtatem in electionibus Epiſcoporum habuiſse, ſed quos eo honore dignos judicarunt, non expectatis populi aut Cleri ſuffragiis propria auctoritate conſtituiſse.* Non ultra extendam, quod facillimum erat, exemplorum ac teſtimoniorum congeriem. Aut hæc ſatis ſunt, aut nihil eſt ſatis. Quiſquis igitur tot laudatiſsimos Reges, quorum alii primi in regnis ſuis Chriſtianam fidem ſunt profeſsi, alii Romanorum Pontificum ambitioni fortiter reſtiterunt, alii reformationem Eccleſiarum aut inchoarunt aut promoverunt, atque in iis multos ſanctimonia & eruditione celebres, damnare ſacrilegii audet, quaſi in eligendis Epiſcopis aliquid jure Divino vetitum admiſerint; is me tam temerarii judicii approbatorem non habebit.

27. Quod vero quidam in hoc electionis negotio Paſtores alios ab Epiſcopis diſcernunt, nimirum quia ipſi illis in locis vivunt, in quibus nulli ſunt Epiſcopi, fruſtra eſt. Nam Paſtores tales, etſi cum meris Presbyteris id commune habent quod aliis non præſunt; habent tamen illud Epiſcopale, quod nemini Paſtori ſubſunt: atque

(1) *Imo ad eos antequam Reges ulli Chriſto nomen dediſſent pertinebant.*
(2) *Si velit ſcilicet, ſed id rarius.* (3) *Imo falſiſſimum, cum Apoſtolorum praxeos quæ divinum jus noſtrum eſt, exempla ſuperſint.*

adeo dubium eſt, Epiſcopiſne an meris Presbyteris (1) rectius annumerentur. Præterea, cum Epiſcopatui inſit Presbyterium, qui Epiſcopatum conferunt, ſimul iidem conferunt certæ urbis aut loci curam Paſtoralem, & aliquid inſuper amplius: ita ut a majori ad minus, aut potius a toto ad partem recte procedat argumentatio. Veteres ſane Imperatores & Reges adeo se inferiorum munerum Paſtoralium collationi minus immiſcuerunt, quod aut a se, aut juxta leges ſuas electis Epiſcopis totam illam curam minorem recte committi non ſine cauſa exiſtimaverunt. Ideo & in antiquiſsimis Canonibus de Presbyterorum electione vix quicquam invenias; quia tota illa res Epiſcopalis erat (2) arbitrii, ut ſupra oſtendimus. Nec deſunt tamen exempla, quibus appareat officia etiam minora Eccleſiaſtica a Regibus collata. Onuphrium modo produximus teſtantem, non Epiſcopos tantum, ſed minora quoque Sacerdotia ab Imperatoribus ſolita conferri. Exſtat Pelagii Romani Pontificis Epiſtola, quæ ſignificat ſacras clementiſsimi Principis veniſſe literas, quæ certos quoſdam homines Centumcellis Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum fieri præciperent. Ut jam de Abbatiis taceam, quas itidem a Regibus collatas nemo eſt qui ambigat. Quæ de Patriæ noſtræ jure ex actis publicis antehac protulimus, abunde teſtantur Hollandiæ, Zelandiæ & Weſtfriſiæ Principes ab ipſa Principatus origine paſtoralem cujuſque urbis aut pagi curam idoneis hominibus arbitratu ſuo detuliſſe; niſi ſi quibus in locis id jus aliis conceſſum doceri poſſet: eamque conſuetudinem ad proximi belli tempora fuiſſe ſervatam: hæc etſi antiqua non ſunt, illis tamen refellendis ſufficiunt, qui a populo electos Paſtores ad ultima uſque belli tempora publice aſſeverare non ſunt veriti. Addi poſſent, ſi neceſſe eſſet, plurimæ inveſtiturarum tabulæ, quibus Principes nobilibus vaſallis, inter cætera etiam jura, Eccleſiarum collationem largiuntur. Ego vero, quomodo non hodieque id jus duret, (nam an, & ubi expediat, & quatenus, alia eſt quæſtio) intelligere non poſſum: Neque enim commeriti ſunt Ordines reformationi operam dando, ut ſequiore, quam antea, ſit loco. In Palatinatu curæ Paſtorales conferuntur arbitrio Senatus, qui mandato & nomine electoris Eccleſiis præſidet. In ditione Baſileenſi Eccleſiarum extra urbem in paſtore eligendo poteſtas nulla. Quem Magiſtratus urbis ad paſcendum illas mittit, etiamſi docentem numquam audierint, reverenter accipiunt. Initio reformationis multi Paſtores hac ſola vocatione contenti fuere. Denique Muſculi effatum eſt (a): *Paſtorem Chriſtianum de vocatione ſua ſolicitum eſse non debere, neque ambigere quin Chriſtriana ac legitima ſit ſua vocatio ubi ad Evangelium prædicandum a pio Magiſtratu aut Principe vocatus eſt*. Eccleſiarum ergo reformatarum doctrina Poteſtates Divino Jure non ſpoliat. Neque ſane ipſi Ordines unquam aliter exiſtimarunt. Nam cum anno CIϽ IϽ LXXXVI. ſine aſſenſu Ordinum Synodus habita eſſet, Comes Leiceſtrius præfectus harum partium, ut ad probandam Synodum Ordines permoveret, XVI. Novembris teſtatus eſt eam probationem nemini detrimento fore in jure inſtituendorum Paſtorum. Ipſi vero Ordines eodem anno IX. Decembris die acta Synodica admiſerunt additis quibuſdam exce-

(1) *Synonima ſunt ex Apoſtolorum mente*. (2) *Non erat, ſed poſt facta eſt*. (a) *Loc. Com. de Elect.*

exceptionibus, quarum una hæc eſt; *ut Ordines, Nobiles, & urbium Magiſtratus aliique jus & conſuetudinem retinerent inſtituendi & deſtituendi Paſtores & ſcholarum Magiſtros*.

28. Videamus jam cætera, quæ contra Summas Poteſtates hac in parte afferri ſoleant. Ajunt nonnulli Reges quoſdam & Principes abuſos electionibus, aut per ſordes, aut per gratiam. Quod quidem verum eſt; ſed ad hujus controverſiæ definitionem non pertinet. Nam abuſus Juris neminem Jure privat, niſi forte ſubditum intercedente Superioris ſententia. Multo minus abuti poſſe, ad amiſsionem Juris ſatis eſt. Alioqui nemo certus erit cujuſquam Juris. Neque vero minor eſt laudabilium electionum, quas Reges fecerunt, numerus. Et contra ex popularibus electionibus res ſæpe ad ſeditionem, cædes, vulnera, incendia perducta eſt: neque Clerus gratiæ & factionum ſemper expers, ne nunc quidem. Ita ut ſi incommodorum metu everti poſsit electio, nulla ejus ſpecies ſit ſubſtitura. Cum Genebrardus infenſus Juri Regio dixiſſet, Epiſcopos Romanos ab Imperatoribus electos, monſtra hominum fuiſſe, contra a noſtris oſtenſum eſt, aut bonos aut mediocres electos, a Clero vero & populo mera monſtra prodiiſſe (*a*). Accedit, quod Summarum Poteſtatum magnitudo non tam facile, quam privati, largitionibus corrumpitur, neque injuſtis aliorum deſideriis æque obnoxia eſt. Deinde ordinatio, quæ penes Paſtores manet, & jus contradicendi, quod plebi relinquitur, ſi non omnibus, quod vires humanas excedit, certe majoribus malis præcludit aditum.

29. Objiciuntur & Canones, & Patrum dicta quædam. Vetus Canon, qui eſt XXX. in eorum numero qui vocantur Apoſtolici, de Magiſtratibus agit, non de Imperatoribus; & quemadmodum proxime antecedens Canon nundinationibus, ita hic violentis intruſionibus opponitur: quod verba illa indicant, εγκρατης εκκλησιας γινεται, *Eccleſiam nactus fuerit*. Ad eos ergo pertinet Canon, qui non legitime ordinati atque examinati per vim Eccleſias invadunt, Magiſtratuum ipſis faventium auxilio aut fiducia. Sic & Pariſienſis Synodus non electionem Regiam improbat, ſed ordinationem; neque omne Regis Imperium, ſed id quod fit contra Metropolitani & comprovincialium voluntatem, quippe ad quos ordinatio pertinebat. Nam ipſe Rex Charibertus, quo Imperatore hæc Synodus eſt habita, Paſcentium eligit ad Epiſcopatum Pictonicum, quem comprovinciales receperunt, ut recte electum, & ut aliud vellet Canon, nihil tamen ad rem faceret. Nam ſi factus eſt Rege conſentiente, potuit aut ab ipſo, aut ab aliis etiam Regibus, præſertim de optimatium ſententia reſcindi; cum nullæ leges poſitivæ ſint immutabiles: ſin diſſentiente Rege, jam neque Canon ille vim legis habuit, neque eo imminui jus Regium potuit. Certe ex quo Reges eligere Epiſcopos cœperunt, plurimæ in Gallia Synodi ſunt habitæ, quarum nulla Reges eo nomine reprehendit: non una vero Regem monuit, ut quantum par eſſet, ſtudium ac curam conſtituendis Paſtoribus adhiberet: ut ſatis appareat, nihil umquam Galliæ Epiſcopos in iſto eligendi modo deprehendiſſe, quod legibus Divinis eſſet contrarium. Nicenæ Synodi II. per quam imaginum introductus eſt cultus, auctoritatem a noſtris proferri ſatis indignum eſt. Et

(a) *Reinoldus* 187.

Et tamen, ne hujus quidem alia eſt quam illorum, quibus jam reſpondimus, Canonum ſententia. Adfertur & Athanaſii vox acrior in Conſtantium; qui ſi ſummis affectus injuriis aliquid protuliſſet; non tam generaliter verum quam illis temporibus accommodatum, nihil mirandum eſſet; cum aliis quoque Patribus multa exciderint, quæ rigidum examen non ferunt. Et tamen ipſe Athanaſius, utcunque calidus hac in cauſa, nullum obtendit jus Divinum; ſed quærit, *ubi ſit ille Canon, ut ex Palatio mittatur is, qui futurus ſit Epiſcopus?* Oſtendit ergo Canonicum non eſſe, quod fiebat a Conſtantio; & recte: Alius enim eligendi modus eo tempore in uſu erat, Nicenæ Synodi auctoritate, & Conſtantini præceptis firmatus. Quamquam autem juſtis de cauſis conceditur Regibus a Canone recedere, tamen eo animo egredi Canonem, ut Arrianæ parti faventes ad Epiſcopatum promoverentur, minime erat boni Imperatoris officium: ergo juſtius reprehenditur iſta eligendi ratio, ſi etiam omiſſa ordinatione obtruſi ſunt Eccleſiis Epiſcopi; quod factum omnino credibile eſt. Neque enim Orthodoxi ordinaturi erant Arrianos, aut cum Arrianis colludentes. Enimvero obſtare jus Divinum, quo minus Rex Paſtorem eligat, nemo adhuc Patrum repertus eſt qui diceret. Aliter ſenſiſſe apparet ſanctiſſimos Epiſcopos, tum qui Theodoſio eligenti paruerunt, tum qui Valentiniano electionem detulerunt.

30. Et hæc quidem de Summis Poteſtatibus veram religionem amplectentibus dicta ſunto. Jam ad eos Reges quod attinet, qui ſalutari fidei non aſſentiuntur, numquam illos pii cœtus pro electione Paſtorum interpellabunt. Nam qui ſperent defenſionem Eccleſiæ ab hoſtibus Eccleſiæ? Et, ut res feliciſſime ſuccedat, tamen indecorum res Eccleſiæ *κρινεσθαι επι των αδικων, και ουχι επι των ἁγιων, judicari apud iniquos & non apud Sanctos* (a). Quin ipſi Reges a fide alieni ſi tale aliquid ſibi arrogent, procul dubio gravius ſibi judicium accerſunt. Attamen, ſi omnino nolint Reges infideles admittere quemquam Paſtorem aut Epiſcopum niſi a ſe electum, atque interim & Eccleſiæ *την δοκιμασιαν probationem*, & Paſtoribus aliis *την χειροθεσιαν manuum impoſitionem* relinquant, vix putem convenire Chriſtianis, ut homines alioqui idoneos eo ſolo nomine repudient, quod ab infidelibus Regibus commendentur: DEUS enim bonus etiam per malos opus bonum peragit. Non is ſum, qui damnare audeam tot Chriſtianas Eccleſias in Thracia, in Syria, in Ægypto, quæ Patriarchas aut minores Epiſcopos a Turcarum Rege accipiunt; neque novam eſſe hanc Chriſtianorum patientiam docet nos Barlaamus Epiſcopus Cyracenſis, cujus hæc ſunt verba: *Pontificatus quilibet, quomodo Bulgarenſis, dependet a Principe illius Gentis: & Triballenſis ſimiliter a ſuo Principe: Antiocheno vero Patriarchæ Armeniorum Rex dominatur: Hieroſolymitano autem & Alexandrino Ægyptiorum impiiſſimus Princeps. Nullus enim horum Pontificatum recipit, non probante & decernente & conſentiente ſuo ſæculari Principe: Magis autem, & plurimum, & omnibus, ad quos ſpectat electio, voluntate renuentibus, & cum Principe diſcordantibus, neceſſarium eſt finaliter, eum, quem vult Princeps, Pontificem effici.* Nimirum ſatius eſt Paſtorem idoneum, plebis teſtimonio laudatum, ab aliis Paſtoribus ordinatum accipere arbitrio Principis quamquam infidelis, quam Eccleſiarum vaſtitatem pati.

(a) 1. *Cor.* 6. 1.

pati. Certe Eſdras munus reſtituendi cultus divini a pagano Rege Artaxerxe ſibi impoſitum non deſugit.

31. Sed ad noſtras, hoc eſt, Chriſtianas Poteſtates ut redeamus, (iſtud enim obiter dumtaxat adſperſum ſit, ut occaſio aliis detur hoc ſuper negotio amplius cogitandi) monitos lectores volumus, nos tota hac tractatione id unum exquirere, quid liceat, non quid unoquoque tempore expediat. Nam ſive antiqua ſive recentiora reſpicimus tempora, videbimus in *electionis* modo ſæpiſsime variatum. Neque tantum per ſæcula & provincias, ſed per annos quoque & urbes ſingulas. Adeo nihil certum eſt ea in re, quam lex divina incertam reliquit. Et ſane ubi non de jure, ſed de optimo electionis modo quæritur, mirum quam multa ſint quæ in omnem partem probabiliter dici poſsint. Da mihi Cyprianum, & qui eo ævo vixerunt; nihil erit a populari electione metuendum (1). Da Patres Nicenos, libenter Epiſcopis electionem addicam (2). Da Theodoſios, da Valentinianos, da Carolos Magnos, nullum erit a Regia electione periculum. At nos in fæce Eccleſiæ vivimus, & cum omnia recte ſunt circumſpecta, nihil eſt quod incommodo vacet. Itaque nihil hic quidquam perpetuum præſcribi poteſt: Τȣ γαρ αοριςȣ αοριςος ὁ κανων, *indefiniti enim indefinita eſt regula* (a).

32. Si tamen aliquid conſilii hac in parte dandum eſt, non diſpliceat mihi Juſtinianeorum temporum ratio, adhibita hac cautione, ne plebi invitæ Paſtor obtrudatur, & ſimul ſalvo Summis Poteſtatibus jure reſcindendi electiones ſi quid forte in Eccleſiæ aut Reipublicæ perniciem erratum ſit. Quo jure, non Francos tantum Reges, ſed & veteres Romanos Imperatores ſæpiſsime uſos facillimum probatu eſt. Ne teſtimoniorum acervus ſupra modum excreſcat, (plenæ enim ſunt omnes Hiſtoriæ, plenæ Synodi, plena Pontificum decreta) pauca adferam. Poſt Siſennii mortem (*b*) plurium ſuffragiis electus erat Proclus (3) ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum: electio hæc ab Imperatoribus reſciſſa eſt. Geſta ipſa (4) Romanorum Pontificum oſtendunt electum ordinari non potuiſſe; niſi decretum electionis prius tranſmitteretur in regiam urbem, id eſt, Conſtantinopolin, *idque ſecundum antiquam conſuetudinem*. De Francis ſupra quædam attulimus. Non omittendum tamen Pontificis Romani teſtimonium, qui Lothario & Ludovico Imperatoribus fatetur ante conſecrationem Epiſcopi percipi debuiſſe Imperialem licentiam, & Imperatoris Epiſtolam ad Metropolitanum cum his verbis, *ut priſca conſuetudo dictat*: & Platinæ illud; *nihil actum a Clero in eligendo Pontifice, niſi ejus electionem Imperator approbaſset*. Et quod alibi oſtendimus de approbanda aut improbanda electione fuiſſe longas deliberationes, ſic Rex etiam Angliæ Johannes electionem Stephani in Archiepiſcopum Cantuarienſem jure Regio reſcidit. Multum errant, qui arbitrium hoc Summarum Poteſtatum, quo facta electio probatur aut improbatur, confundunt cum eo

(1) *Non ſolus tunc populus elegit.* (2) *Non ſolis Epiſcopis eam Nicæna Synodus addixit. Fuit & ſub Conſtantino qui Antiochiam Arrianis commiſit.*
(a) *Ariſtot. Ethic.* 5. 14. (b) *C. Agath. diſt.* 73. (3) *Concors Procli nulla fuit electio, itaque merito reſciſſa.* (4) *Oſtendunt id poſt A. D.* 500. *fieri ceptum.*

eo conſenſu, quo urbis cujuſque Magiſtratus ſecundum leges aut Canones, juxta Clerum, interdum & cum populo ad electionem concurrunt. Plurimum enim hæc inter ſe diſtant. Nam Summarum Poteſtatum arbitrium ſupra electionem, Magiſtratuum conſenſus pars electionis eſt: Illud Summis Poteſtatibus competit eo ipſo quo Summæ Poteſtates ſunt; hoc Magiſtratibus ex lege poſitiva, nec proprie qua ſunt Magiſtratus, ſed qua honorata pars urbis. Itaque Magiſtratuum electio intra urbis ſuæ fines ſtat; at Imperatores & Reges non tantum jus ſuum in urbibus, quas habitant & quarum Eccleſias frequentant, puta Conſtantinopoli, Pariſiis, Londini, ſed per omnia, ſi ita ex uſu videatur, Imperii ſui loca exercent: ut Imperator Conſtantinopolitanus (1) Romæ, Mediolani: Rex Francorum Rothomagi, Pictavii, Tuſculi, Reati (2), Rex Angliæ (*a*) Cantabrigiæ, Eboraci, & ita deinceps. Deinde Magiſtratus ſuffragiis poteſt vinci, Summa Poteſtas non poteſt. Itaque Calixtus Pontifex Romanus eo ipſo tempore, quo Henricus Imperator coactus de jure inveſtiturarum ceſſerat, permiſit Imperatori adeſſe electioni, & ſuborto diſsidio ſaniori parti conſenſum atque auxilium præſtare. Quo ipſe Imperator de Summo Imperio devolutus, & in Magiſtratuum ordinem redactus eſt (*b*). Certe, ut electionem permittat aliis, jus illud liberæ approbationis a ſe abdicare tuto non poteſt is qui Summo Imperio fungitur.

33. Etiam poſt peractam electionem jus removendi certam perſonam a certi loci miniſterio, etſi penes alios eſſe quoque poſsit, nunquam non eſſe penes Summam Poteſtatem debet. Sic ejecit Salomo Abjatharem, ne eſſet DEI Sacerdos. Epiſcopos Romanos non ſemel Imperatoria Poteſtate depoſitos ipſe Bellarminus confitetur. Cujus rei facilis eſt probatio. Nam ſi Summa Poteſtas jus habet aliquem urbe aut provincia interdicendi, neceſſario etiam jus habet interdicendi miniſterio hujus urbis aut provinciæ: Hoc enim illi ineſt, ac cujus totum eſt in Poteſtate, ejus in Poteſtate pars non eſſe non poteſt. Neque dumtaxat hoc poterit Summa Poteſtas per modum pœnæ, ſed & per modum cautionis, puta ſi quis Paſtor a plebe rapiatur in materiam tumultus, quod forte etiam ſine crimine ipſius accidere poterit: Niſi enim hoc poſſet Summa Poteſtas, Reſpublica ad tuendam ſecuritatem ſuam ſibi non eſſet αυταρκης *ſufficiens*. Errant autem, qui putant neceſſario ejuſdem eſſe eligere & removere. Nam Summa Poteſtas non ſolum interdicere poteſt publicis actibus, ſed & privatis, ad quos ipſas perſonas non eligit, puta negotiatione, conductione; ut ſupra, cum de juriſdictione ageremus, oſtenſum eſt, idemque oſtendunt exempla. Nam octo aut plures Romanos Epiſcopos conſtat ab Imperatoribus depoſitos, modo cum Synodo, modo abſque Synodo, quorum aliquammulti a Clero, populoque Romano electi fuerant.

CAP.

(1) *Nihil Imperatori hodie juris Conſtaninopoli nec Romæ.* (2) *Nihil Francis Tuſculi & Reati juris eſt.* (a) *Malmesb. Lib.* 5. *de Geſt. Angl.* (b) *Urſperg. in Chronic.*

C A P. XI.

DE MUNERIBUS IN ECCLESIA NON OMNINO NECESSARIIS.

S U M M A R I U M.

1. Quanti referat diſtinguere in regimine Eccleſiaſtico inter neceſſaria & non neceſſaria. 2. Epiſcopi vox explicatur & oſtenditur in hac quæſtione ſignificare Paſtorem, qui Paſtoribus præſit jure quodam perpetuo. 3. Epiſcopatum ita ſumptum nulli Juri Divino repugnare. 4. Eſſe ab Eccleſia univerſali receptum. 5. Initium habuiſſe ab Apoſtolicis temporibus. 6. Divino Judicio eſſe approbatum: obiter de Ambroſii loco. 7. Epiſcopos nominatos Angelos, Apoſtolos, προεστῶτας. 8. Exemplum Epiſcopatus potuiſſe ſumi ex lege naturali & Pontificatu Moſaico, credibilius tamen ſumptum ab Archiſynagogis. 9. Magnas in Eccleſiam utilitates ex Epiſcopatu redundaſſe. 10. Epiſcopalem eminentiam non eſſe Divini præcepti. 11. Non plane univerſaliter obſervatum, ut cuivis Civitati unus præeſſet Epiſcopus, & penes quos ſit jus ordinandi. 12. Non leves fuiſſe cauſas, cur his temporibus nonnullis in locis ad tempus certe aliquod Epiſcopatus omitteretur. 13. Ignotos fuiſſe Apoſtolicæ & veteri Eccleſiæ Presbyteros temporarios. 14. Veterem omnem Eccleſiam Presbyterorum vocabulo in Eccleſia non alios quam Paſtores intellexiſſe in Verbo & Sacramentis occupatos: ſimul ambiguitas vocis Seniorum excutitur. 15. Aſſeſſores qui a nonnullis Presbyteri vocantur, non eſſe ex Divino præcepto. Solvitur locus Matth. XVIII. Explicantur Synedria Judæorum tum minora, tum magnum; & oſtenditur apud Judæos eoſdem fuiſſe, qui de ſacris & profanis jus dicebant. Quæ ſint negotia Dei, quæ Regis. 16. Presbyterorum vox quid in N. T. ſignificet, & imprimis quæ ſit ſententia loci 1. Timoth. V. v. XVII. 17. Licite potuiſſe inſtitui Aſſeſſores Paſtorum laicos, aut a ſumma Poteſtate aut ab Eccleſia. 18. Probatur ex ſacris Literis hanc inſtitutionem Deo non diſplicere. 19. Non deeſſe in pia antiquitate exempla, quæ nonnihil ad hunc morem accedant. Qui ἔκδικοι ſive Advocati Eccleſiarum; Qui φροντισταί; Qui πρεσβύτιδες; qui in Anglia Œconomi & adſiſtentes. 20. Utilitatem non ſpernendam ab iis Aſſeſſoribus poſſe haberi. 21. Sub certis tamen cautionibus: ubi de more Genevenſi eligendi iſtos Aſſeſſores.

MUltum refert ad retinendam Eccleſiarum pacem inter ea quæ jure Divino præcepta ſunt, & quæ non ſunt, accurate diſtinguere: Nam etiamſi ritus aut regiminis modus aliquantum differat, nulla inde ſequitur Eccleſiarum divulſio, quamdiu pars neutra ſuo mori Divini præcepti auctoritatem adſcribit. Et hac præcipue de cauſa laboratum a nobis eſt, ut oſtenderemus Jure Divino non eſſe vetitum eligendi modum, quo Reges piique Principes nonnulli hodie utuntur. Non quod eorum exempla aliis imitanda proponamus (poſſunt enim alii electionis

modi, aut per ſe utiliores eſſe, aut certe nationum ingenio & Eccleſiarum quarumdam ſtatui aptiores, aut ob ipſam conſuetudinis vetuſtatem præferendi) ſed ne Reges ſimulque ipſas Eccleſias, in quibus mos ille ſervatur, temeraria damnatione a nobis alienemus. Quod de electione fecimus, idem faciendum eſt nobis de muneribus Eccleſiaſticis, quibus aliæ Eccleſiæ hoc ſeculo Reformatæ utuntur, aliæ non utuntur: Nimirum ut oſtendamus nihil de iis in alteram partem definitum Juris Divini præcepto; quo poſito facile apparebit regiminis diverſitatem non debere obſtare fraternæ unitati. Ad intelligendum jus Summarum Poteſtatum tractatio hæc omnino neceſſaria eſt. In his enim quæ præcepto Divino ſunt definita, executionis neceſsitas Summæ Poteſtati incumbit: In cæteris eſt aliqua eligendi libertas. Accedit quod, ut ſupra diximus, Eccleſiaſticum regimen ferme ſequitur της πολιτειας τυπον, *formam regiminis civilis*, quod a Britanniæ quoque Rege ſapientiſsime obſervatum eſt. Præcipue autem inter Proteſtantes contendi ſolet *de eminentia Epiſcopali*, & de munere eorum, qui cum Paſtores non ſint, id eſt nec prædicent, nec ſacramenta exhibeant, Paſtoribus tamen aſsident, & a quibuſdam *Preſbyteri* appellantur. De utroque videamus, quantum inſtituti permittit ratio. Sunt enim hæ quæſtiones ab aliis tanta argumentorum copia tractatæ, ut vix quicquam ſit quod addi poſsit, præcipue vero doctiſsimus Beza cum Genevenſe regimen tuendum ſuſcepiſſet, tum quæ pro Adſeſſoribus iſtis, tum quæ contra Epiſcopos dici poterant, qua pollebat vi ingenii, latiſsime explicavit; & ex adverſo Anglicanæ Eccleſiæ laudatores Saravia & Wintonienſis Epiſcopus tam pro Epiſcopis, quam contra Adſeſſores iſtos acerrime diſputarunt. Ita ut qui exactam harum rerum cognitionem deſiderant, ad illorum libros ſint remittendi. Nos ergo minuendæ, non diducendæ controverſiæ operam daturi, in paucas definitiones ea contrahemus, quæ aut confeſſa ſunt utrimque, aut ita evidenter probari poſſunt, ut niſi a contumacibus, negari nequeant.

2. Agimus autem primo loco de Epiſcopis, qua voce uti nobis liceat eo ſignificatu, quo Synodi univerſales ac topicæ, ac Patres univerſi perpetuo ea uſi reperiuntur. Quippe Apoſtolicis temporibus certum eſt, etiam diſtinctis functionibus (1), voces haud æque diſtinctas. Nam Apoſtolorum functio & *Preſbyterium* vocatur, & επισκοπη *epiſcopatus*, & διακονια *diaconatus*, nec quicquam uſitatius quam generis nomen uni ſpeciei particulari quodam jure adhæreſcere; ut in *adoptione*, *cognatione* aliiſque Juris vocibus apparet. Ita ergo *Epiſcopi* nomen cum ex natura vocis quemvis *inſpectorem* atque *præpoſitum*, aut (ut Hieronymus tranſtulit) *ſupra attendentem* ſignificet, (nam & ſeptuaginta Hebræorum פקד, quod etiam Magiſtratibus datur, επισκοπον *inſpectorem* tranſtulerunt; & apud Athenienſes prætor peregrinus (*a*), apud Romanos quoque ædiles municipales hoc nomine appellabantur (*b*), & Cicero ſe *Campanæ oræ Epiſcopum* dicit conſtitutum) ab Apoſtolis quoque & Apoſtolicis viris ex uſu Helleniſtarum quibuſvis Eccleſiæ Paſtoribus tributum eſt. Neque tamen eo minus proprio ac peculiari quodam jure iis addici potuit, qui & cum

(1) *Sub Apoſtolis diſtinctæ non fuere functiones Epiſc. & Presbyt.*

(a) *Ariſtoph. avibus.* (b) *L. ult. D. de munerib. & honorib.*

cum cæteris univerſi gregis & præter cæteros ipſorum paſtorum *inſpectores* eſſent conſtituti. Quare ſuo & alieno otio abutuntur, qui cum hanc quæſtionem tractandam ſuſceperint, operoſe probant commune fuiſſe Paſtoribus omnibus Epiſcopi nomen, cum ea vox multo etiam pateat latius. Neque minus illi aerem feriunt, qui magno conatu id agunt, ut probent omnibus omnino Paſtoribus res quaſdam communes, jus ſcilicet prædicandi, ſacramenta exhibendi, & ſi quid his adhæret: Non enim de his in quibus conveniunt, ſed de ea, quæ ipſos diſtinguit, eminentia quæritur. Illud vero aliquanto etiam abſurdius, quod quidam, ut probent nihil diſtare Epiſcopos a meris Presbyteris, Patres adducunt teſtantes, *Epiſcopos omnes paris eſſe meriti*: quaſi dicas *omnes Romanos Senatores pares fuiſſe Conſulibus*, quia utriuſque Conſulis par fuit dignitas, ſed aut ſibi aut lectori iratus eſt, qui talia refutat.

3. De Epiſcopatu ergo, id eſt unius Paſtoris inter cæteros eminentia, primum ſtatuimus eum nulli Juri Divino repugnare. Si quis contra ſentiat, hoc eſt ſi quis totam veterem Eccleſiam condemnet ſtultitiæ, aut etiam impietatis, ei procul dubio incumbit onus probandi, cui implendo nihil adferri video præter illud: *Quicumque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter Miniſter* (*a*); &, *quicumque inter vos voluerit primus eſſe, ſit veſter Miniſter* (*b*). Sed profecto non interdicitur hic Eccleſiæ Paſtoribus eminentia omnis aut Primatus inter Paſtores, ſed monentur omnes Paſtores, ut ſciant injunctum ſibi miniſterium, non autem datum Imperium. Præcedit enim, *Reges gentium dominantur & magnates jus Poteſtatis exercent, vos autem non ſic*. Imo multo rectius hoc loco oſtendas concedi eminentiam & primatum. Quod enim apud Matthæum & Marcum eſt, *Qui voluerit magnus fieri*, & *primus eſſe*, id apud Lucam eſt, qui maximus eſt inter vos, & qui *præeſt* aut *ductor* eſt ὁ ἡγούμενος. Adde quod Chriſtus ſuo ipſos hortatur exemplo; *Filius hominis non venit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret*: non ergo facit miniſtrandi præceptum, quin major ſit aliquis etiam iis quibus miniſtrat. *Vos*, inquit, *mihi dicitis magiſter ac Domine: ac bene dicitis; ſum enim. Itaque ſi ego lavi vobis pedes, veſter Dominus ac præceptor, vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare* (*c*). Et quomodo potuit Chriſtus improbare munerum Eccleſiaſticorum diſparitatem, cum ipſe conſtituiſſet LXX. Evangeliſtas *ſecundi Ordinis & minoris gradus*, ut Hieronymus loquitur (*d*), *dignitate* minores Apoſtolis, ut loquitur Calvinus? Multoque clarius triumphans jam in Cœlo, *dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores* (*e*), non functionibus tantum, ſed & gradibus quibuſdam diſtinctos. *Dedit enim DEUS in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo loco Prophetas, tertio Doctores* (*f*). Ipſum Diaconium ab Apoſtolis inſtitutum ſatis arguit non eſſe a Chriſto imperatam munerum eccleſiaſticorum æqualitatem: Hoc ergo primum & minime dubiæ veritatis ponamus in quo Zanchium, Chemnitium, Hemmingium, Calvinum, Melanchtonem, Bucerum habemus conſentientes; imo & Bezam, hactenus ut dicat, *quod unus quiſpiam cæterorum*

K 2 Judi-

(a) *Matth.* 20. 26. (b) *Marc.* 10. 44. (c) *Joan.* 13. 13. 14.
(d) *Ad Fabiol.* (e) *Epheſ.* 4. 11. (f) 1. *Cor.* 12. 28.

judicio Compreſbyterorum delectus Presbyterio προεστὼς *Præpoſitus eſſet & permaneret*, id reprehendi nec poſſe nec debere.

4. Alterum eſt, Epiſcopatum eum, quem tractamus, ab Univerſali Eccleſia receptum. Apparet hoc ex Conciliis univerſalibus, quorum nunc quoque apud pios ſumma auctoritas. Apparet etiam ex collatione Synodorum aut Nationalium aut Provincialium, quarum nulla fere eſt, quæ non manifeſta Epiſcopalis eminentiæ ſigna præferat. Patres omnes, nemine excepto, idem teſtantur, quorum is, qui minimum Epiſcopatui defert, eſt Hieronymus, ipſe non *Epiſcopus* ſed *Presbyter*. Hujus ergo unius ſufficit teſtimonium (*a*): *In toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus cæteris ſuperponeretur, ad quem omnis cura Eccleſiæ pertineret*. Quin adeo univerſalem conſtat fuiſſe hanc conſuetudinem, ut etiam apud Hæreticos, qui ex Catholica venirent, ſervaretur. Auctor Homiliarum in Matthæum (1): *Quare quia hæc omnia, quæ ſunt propria Chriſti in veritate, habent & hæreſes in ſchiſmate, ſimiliter Eccleſias, ſimiliter Scripturas, ſimiliter Epiſcopos, cæteroſque Clericorum Ordines, ſimiliter Baptiſmum, Euchariſtiam & cætera omnia*. Aerii ſane hic error ab omni Eccleſia (2) damnatus eſt, quod diceret *Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia diſcerni debere*. Ipſe Hieronymus ei, qui ſcripſerat, *nihil intereſt inter Epiſcopum & Presbyterum*, reſpondit, *hoc ſatis imperite, in portu, ut dicitur, naufragium*. Conſenſum hac in re totius Eccleſiæ etiam Zanchius agnoſcit.

5. Tertium hoc ſit, Epiſcopatum initium habuiſſe *Apoſtolicis temporibus* (3). Teſtantur hoc catalogi Epiſcoporum apud Irenæum, Euſebium, Socratem, Theodoretum, atque alios, qui omnes incipiunt ab *Apoſtolica ætate*. Tantis autem auctoribus, atque ita inter ſe conſentientibus, fidem derogare in re hiſtorica, non eſt niſi irreverentis & pertinacis animi. Perinde enim id eſt, quaſi neges verum eſſe quod omnes tradunt Romanorum hiſtoriæ, Conſulatum cœpiſſe ab exactis Tarquiniis. Sed rurſus Hieronymum audiamus; *Alexandria*, inquit (*b*), *a Marco Evangeliſta Presbyteri unum ſemper ex ſe Electum in celſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant*. Obiit Marcus octavo Neronis Anno (*): cui vivente adhuc Johanne Apoſtolo ſucceſsit Anianus, Aniano Abilius, Abilio Cardo; eodem Apoſtolo ſuperſtite poſt mortem Jacobi Simon Epiſcopatum Hieroſolymitanum, poſt mortem Petri Paulique Romanum Linus, Anacletus, Clemens (4): Antiochenum vero Evodius & Ignatius geſſerunt. Hæc certe non eſt ſpernenda antiquitas, cui Ignatius ipſe (5), Apoſtolorum coævus, & qui hunc proxime ſequuntur, Juſtinus Martyr, & Irenæus apertiſsima teſtimonia præbent, quæ tranſcribere nihil eſt opus. Cypria-

---

(a) *Epiſt.* 85. (1) *Recentior fuit cum ſe ab Adſcenſione Dominica* 900. *ſcripſiſſe profiteatur*. (2) *Ab uno Epiphanio primum id damnatum, non ab Eccleſia: Schiſma vero (cujus reus Aerius) ab hæreſi non diſtinxit Epiphanius*.
(3) *Habuit Apoſtolicis temporibus locum Epiſcopatus, ſed alterius generis a vulgata ætate primorum quorum nomina catalogis initio inſerta ſunt*. (b) *Epiſt.* 85.
(*) *A. D.* 62: *April.* 25. *fer.* 2. (4) *Viventibus Apoſtolis Romanam Eccleſiam Linus, Clemens, Cletus, Anacletus rexere*. (5) *Suppoſititiæ cum ſint Epiſt. ei adſcriptæ, fluxa earum fides*.

prianus: *Jam quidem*, inquit, *per omnes Provincias & per urbes ſingulas conſtituti ſunt Epiſcopi*.

6. Quartum eſto Epiſcopum hunc Divino jure approbatum, aut (ut Bucerus loquitur) viſum Spiritui Sancto, ut inter Presbyteros unus curam ſingularem gereret. Irrefragabile argumentum huic aſſertioni præbet Divina Apocalypſis: ipſe enim Christus ſcribi jubet *ſeptem Angelis* Aſiaticarum *Eccleſiarum*. Qui per *Angelos* ipſas Eccleſias intelligunt, manifeſte ſacris literis contradicunt. Nam *Candelabra ſunt Eccleſiæ*, inquit Christus, *ſtellæ autem Angeli ſeptem Eccleſiarum*. Mirum eſt, quo non trahat homines contradicendi libido, quando ea, quæ tam aperte diſtinguit Spiritus Sanctus, audent confundere (1). Non negamus cuilibet Paſtori generali quodam ſignificatu aptari poſſe Angeli nomen: at hic manifeſtum eſt uni in qualibet Eccleſia ſcribi. An ergo unus in unaquaque dumtaxat civitate Paſtor? minime vero. Nam jam a Paulinis temporibus Epheſi plures Presbyteri conſtituti ad paſcendam Eccleſiam DEI (*a*). Cur ergo ad unum in unaquaque Eccleſia mittuntur literæ, ſi nemo unus peculiarem quamdam & eminentem habuit functionem? *Sub Angeli nomine*, inquit Auguſtinus, *laudatur præpoſitus Eccleſiæ* (2). Hieronymus *Angelos Eccleſiis præſidentes* dixit. Si quis recentiores audire mavult, en Bullingerus; *Deſtinatur Epiſtola Cœleſtis Angelo Smyrnenſis Eccleſiæ, id eſt, Paſtori. Teſtantur autem hiſtoriæ Angelum ſive Paſtorem illum Smyrnenſis Eccleſiæ Polycarpum fuiſſe ordinatum ab Apoſtolis, ab ipſo, inquam, Johanne Epiſcopum, ac vixiſſe in miniſterio hujus Eccleſiæ annos LXXXVI*. Verum eſt quod de Polycarpo Bullingerus refert: Ita enim Irenæus (*b*): *Polycarpus non ſolum ab Apoſtolis eruditus, & converſatus cum multis ex iis, qui Dominum noſtrum viderant, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia in ea quæ eſt Smyrnæ Eccleſia conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate*. Et Tertullianus: *Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Joanne collocatum refert*; & alibi: *Habemus Joannis alumnas Eccleſias: Nam etſi Apocalypſin ejus Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Joannem ſtabit auctorem*. Audiamus & Marloratum; *ab Epheſina Eccleſia incepit Joannes ob loci celebritatem, nec populum aggreditur, ſed Principem Cleri, utique Epiſcopum*. Sed major forte Bezæ aut Rainoldi auctoritas. Videamus ergo quantum ab ipſis veritas impetraverit. Beza; *Angelo, id eſt, προεστῶτι Præpoſito, quem nimirum oportuit imprimis de his rebus admoneri, ac per eum cæteros collegas, totamque adeo Eccleſiam*. Rainoldus (c): *In Epheſina Eccleſia, etſi plures eſſent ad ipſam adminiſtrandam Presbyteri & Paſtores, tamen pluribus illis unus præerat, quem Servator Angelum Eccleſiæ appellat, atque ad illum ea ſcribit, quæ ex illo cæteri diſcerent*. Sane, ſi a Dione Pruſæo recte dictum eſt; Reges Regnorum ſuorum eſſe genios; & in ipſis ſacris literis Reges Angelorum nomine appellantur: quis non videt Presbyterorum quoque Principi hoc ipſum nomen jure quodam eximio competere? Christus ergo ſcribens illis Epiſcopis, ut emi-

---

(1) *Veteres ſequuti ſunt quotquot ſeculo noſtro confuderunt.* (a) *Act.* 20. 17. 18. (2) *Hæc Auguſtini verba. Vide Epiſt.* 162. (b) *Lib.* 3. *cap.* 3. (c) *Colloq. cum Harto cap.* 8. *ſect.* 3.

eminentibus in Clero, haud dubie eminentiam hanc Epiſcopalem probavit. Vetuſtiſſimi Græci Codices novi Teſtamenti in fine alterius ad Timotheum hæc verba præferunt, προς Τιμοθεον δευτερα της Εφεσιων εκκλησιας πρωτον επισκοπον χειροτονηθεντα, εγραφη απο ρωμης, οτε εκ δευτερε παρεστη Παυλος τω Καισαρι Νερωνι, *Poſterior Epiſtola ad Timotheum, primum ordinatum Eccleſiæ Epheſiorum Epiſcopum, Romæ ſcripta eſt cum ſcilicet altera vice coram Cæſare Nerone Paulus judicio ſiſtebatur*. Ubi Epiſcopi voce merus Presbyter intelligi non poteſt: non modo, quia ſucceſsiones in Eccleſiis per meros Presbyteros non memorabantur, verum etiam quia ante Timotheum conſtat Epheſi Presbyteros fuiſſe. Sub Epiſtola ad Titum in iiſdem Codicibus hæc leguntur, προς Τιτον των Κρητων εκκλεσιας πρωτον επισκοπον χειροτονηθεντα, εγραφη απο Νικοπολεος της Μακεδονιας, *Epiſtola ad Titum, primum Cretenſium Eccleſiæ ordinatum Epiſcopum, Nicopoli Macedoniæ ſcripta eſt*. Neque ſane de Timotheo aliter exiſtimavit ſcriptor ille, qui vulgo Ambroſius dicitur, cujus hæc ſunt verba: *Timotheum Presbyterum a ſe creatum (Apoſtolus) Epiſcopum vocat, quia primi Presbyteri Epiſcopi appellabantur, ut recedente eo ſequens ei ſuccederet: ſed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad tenendos primatus, immutata eſt ratio proſpiciente Concilio, ut non ordo ſed meritum crearet Epiſcopum multorum Sacerdotum judicio conſtitutum, ne indignus temere uſurparet, & eſſet multorum ſcandalum*. Fatetur Timothei inter Presbyteros Primatum ab Apoſtolo agnoſci. Quod autem quidam viri docti ex his rebus circularem quamdam præſidentiam firmare voluerunt, in eo ipſis, quidquid eſt veterum monumentorum, obſtat; neque Ambroſii verba patrocinantur. *Recedente* enim eſt *moriente* aut *abeunte*. Et quod Sacerdotales εφημεριαι *functiones per vices* huic interpretationi firmandæ afferuntur, nemo non videt quam a re alienum ſit, cum iſta ad προστασιαν *præſidentiam* nihil faciant, quæ ſemper fuit penes Summum Sacerdotem, atque alios ſuarum claſsium Principes. Ætatis autem ordinem, an potius functionis diuturnitatem in conſtituendis Epiſcopis valuiſſe vult ſcriptor, quem diximus. In quo etſi veterum nemo ipſi aſſentitur, tamen, ſi de quibuſdam intelligatur Eccleſiis, quod dicit fide non caret. Nam & Archimandritas Monachiſmi initio electos κατα βαθμον *ſecundum gradum* ex conſtitutionibus Juſtiniani apparet (a). De omnibus autem Eccleſiis credi idem vetat Hieronymi de Alexandrino more teſtimonium (1). De Timotheo idem ille ſcriptor: *Timotheum jam creatum Epiſcopum per Epiſtolam inſtituit, quo modo debeat Eccleſiam ordinare*. Idem de Tito: *Titum Apoſtolus conſecravit Apoſtolum, & ideo commonet eum, ut ſit ſollicitus de Eccleſiæ ordinatione*. Neque aliæ de Tito Timotheoque Epiphanii, Euſebii, Chryſoſtomi, Œcumenii, Theodoreti, Theophylacti, Primaſii ſunt ſententiæ, ut prolatis verbis alii abunde demonſtrarunt. Ipſa Chalcedonenſis Œcumenica Synodus (2) actione XI. ſic ait: *a ſancto Timotheo uſque nunc XXVII. Epiſcopi facti omnes in Epheſo ordinati ſunt*. Neque enim vetuſtas verum id credidit, quod nunc quidam intrepide affirmant, Evan-

(a) *L. ſacris noſtris Cod. de Epiſc. & Cl. Nov.* 123. *cap.* 34.

(1) *Non vetat*. (2) *Non Chalcedonenſis Synodus ſed Leontius Magneſianus quem refellit Philippus Diac. Conſtantinopolitanus*.

Evangeliſtæ qui eſſent, eos fieri non potuiſſe Epiſcopos. Nam quamdiu Provincias obambulabant, Evangeliſtarum fungebantur munere; ubi vero uno in loco uberem meſſem conſpicati, eam diutina præſentia fovendam crederent, ſine dubio Presbyterio præſidentes omnia Epiſcoporum munia implebant. Quam ob cauſam Apoſtolos quoque certarum urbium Epiſcopos vere fuiſſe antiquitas credidit: nempe iis in locis, ubi diutius ſubſiſterunt, aut, ut magis proprie loquar, εκαθισαν *ſederunt*. Qua voce Pauli moram apud Corinthios Lucas admodum εμφατικως *ſignificanter* expreſsit (*a*). Sed præter Timotheum ac Titum alios quoque ab Apoſtolis in Epiſcopale culmen evectos legimus. De Evodio Ignatius (1) ad Antiochenos ita ſcribit: ὀς πρωτος ενεχειρισθη παρα των Αποστολων την ὑμετεραν προστασιαν, *Qui primus vobis ordinatus eſt ab Apoſtolis Antiſtes*: Qualem autem προστασιαν *præſidentiam* intelligat Ignatius, dubium non eſt, cum ubique Epiſcopum a Presbyteris diſtinguat iiſque præponat, ανευ του επισκοπου μηδεν πραττειν ὑμας αλλ' ὑπωτασσεσθε και τῳ πρεσβυτεριῳ, *ſine Epiſcopo nihil agatis, ſed & Presbyteris ſubjecti eſtote*. Et alibi (*b*), το αξιονομαστον πρεσβυτεριον, αξιον ον του Θεου, ουτως συνηρμοσται τῳ επισκοπῳ, ὡς χορδαι κιθαρα, *Memorabile presbyterium, dignum Deo, eſt coaptatum conſentitque Epiſcopo, ut chordæ ipſi citharæ*. Rurſum alibi (*c*): τι γαρ εστιν επισκοπος, αλλ' η πασης αρχης και εξουσιας επεκεινα παντων κρατων, ὡς οιοστε ανθρωπων κρατειν μιμητην γινομενον κατα δυναμιν Χριστου του Θεου; τι δε πρεσβυτεριον αλλ' η συστημα ἱερον συμβουλοι και συνεδρευται του επισκοπου; *Quid enim aliud Epiſcopus, quam is qui omni principatu, & poteſtate, quantum in hominem cadere poteſt, ſuperior eſt, pro viribus imitator Chriſti Dei factus? Quid vero Sacerdotium aliud eſt, quam ſacer cœtus, conſiliarii, & adſeſſores Epiſcopi?* Et in illa ipſa ad Antiochenos: οἱ πρεσβυτεροι ποιμανατε το εν ὑμιν ποιμνιον, εως αναδειξη ὁ Θεος τον μελλοντα αρχειν ὑμων, *Presbyteri paſcite gregem, qui inter vos eſt, donec Deus deſignaverit eum, qui principatum in vobis habiturus eſt*. Hic eſt ille Ignatius (2) *qui Chriſtum in carne vidit, cum Apoſtolis vixit*, & Epiſcopatum in Eccleſia Antiochena poſt Evodium geſsit.

7. Quæri poteſt cum tam antiquum quoque, & ipſi CHRISTO approbatum ſit munus eorum, qui perpetua quadam dignitate Presbyteris præerant, quo nomine is honor appellatus fuerit, antequam illud Epiſcoporum commune nomen huic præſidentiæ peculiariter tribui cœpit? Quod circa Neronis annum octavum contigiſſe putat Hieronymus: Patres veteres hos Presbyterorum Principes putant (3) *Apoſtolos* appellatos. Et ſane apud Cyprianum, alioſque auctores reſtant non pauca obſcura ejus locutionis veſtigia: atque ipſe Paulus cum ſe nihilo minorem *ſummis Apoſtolis* dicit, videtur innuere alios quoſdam eſſe *minores Apoſtolos*: eoque ſenſu interpretatus eſt Theodoretus eum Pauli locum, quo Epaphroditus Philippenſium vocatur *Apoſtolus* (*d*): ſed verius hanc quoque vocem hic ſumptam ex uſu Judæorum Helleniſtarum. Nam qui decimas aut collectas afferebant, Hebræis vocabantur שלוחים, Helleni-

(a) *Act.* 18. 1. (1) *Suppoſititius*. (b) *Epiſt. ad Epheſ.*
(c) *Ad Tract.* (2) *Imo alius*. (3) *Putaſſe unde conſtat?*
(d) *Phil.* 2. 25.

leniſtis *Apoſtoli*. Quæ vox eo ſenſu exſtat in conſtitutione Arcadii & Honorii (*a*), diciturque eorum fuiſſe officium, ut a ſingulis Synagogis exactas ſummas ad Patriarcham portarent: quare & Paulus cum Apoſtoli vocabulo addit λειτȣργον της χρειας μȣ, *miniſtrum neceſſitatis meæ*, oſtendit a Philippenſibus miſſum ad ſe Epaphroditum cum pecuniis, ſicut & alibi miſſos cum Tito fratres *Eccleſiarum* vocat *Apoſtolos* (*b*): *Angeli* nomen antiquitus ei datum, qui poſtea *Epiſcopus* dici cœpit, Apocalypſis evincit. E medio enim uſu ſumptam vocem apparet, cum & Epiſtolæ illæ ſcriptæ ſint populariter & *Stellarum* Myſterium *Angelorum* appellatione plane obvia explicetur: ſed ſimpliciſſima videtur fuiſſe nuncupatio προεστωτος *Præſidis*. Hoc enim nomine *Epiſcopum* appellat Juſtinus Martyr in Apologia II.

8. Eſt & alterum quod quæri poteſt: Quo potiſſimum exemplo Epiſcopatus eminentia in Eccleſias ſit introducta. Apud Gentes gradus fuiſſe Sacerdotum in aperto eſt. Neque novum morem aut Græcis aut ortis e Græcia vetuſtiſſima proprium, nos docet Druidum diſciplina. *Druidibus*, inquit Cæſar, *præeſt unus*, *qui ſummam inter eos habet auctoritatem*. Etiam matricum Urbium eminentia in ſacris quam ſit antiqua, Thucydides nos docet, qui de Corcyreis loquens colonis Corinthiorum, ita inquit: ȣτε γαρ εν πανηγυρεσι ταις κοιναις διδοντες γερατα νομιζομενα ȣτε Κορινθιῳ ανδρι προκαταρχομενοι των ιερων ωσπερ αἱ αλλαι αποικιαι, *Nam neque in publicis ſolemnitatibus uſitatos honores dabant*, *neque in ſacrificiis a viro Corinthiaco auſpicabantur*, *quemadmodum ceteræ coloniæ*; ad quem locum vetus Scholiaſtes, εθος γαρ ην αρχιερεας εκ της μητροπολεως λαμβανειν, *mos enim erat Pontifices ex metropoli aſſumere*: unum Cattorum ἱερεα, *Sacerdotem*, ſummum haud dubie Strabo nominat: Et apud Burgundiones *Sacerdotem Maximum* Marcellinus: hunc morem (1) Deus ipſe in Republica Judaica νομοθεσια *legislatione* probavit cum omnibus Sacerdotibus unum ſumma cum auctoritate præfecit; qui quamquam in actibus nonnullis Christi imaginem præbuit, non tamen tota iſtius Pontificatus inſtitutio ad hunc unum uſum referenda eſt: omnino enim ordini quoque inſervivit hæc Sacerdotis eminentia, non minus quam Regia Poteſtas, quæ & ipſa Christum ſuo modo adumbravit. Quamquam ergo hoc exemplum ſufficere potuit, mihi tamen Eccleſiæ Chriſtianæ conſtitutio non tam ad templi Hieroſolymitani, quam ad Synagogarum exemplar videtur expreſſa. Nam Synagogæ multis in locis ſine Imperio erant, quemadmodum & Eccleſia Christi a ſe non habet (*c*). Accedit quod quocumque venirent Apoſtoli, inveniebant Synagogas ſatis recte conſtitutas jam a Babylonicæ diſperſionis temporibus, quæ ſi fidem Christi ſuſciperent, ſicut ipſis ante cæteros Evangelium prædicabatur, cauſæ nihil erat, cur ab eo regimine diſcederent, quod multorum ſeculorum experientia commendabat, neque Gentibus grave erat in re tali inſtitutionibus ſe Judaicis accommodare. In omni autem Synagoga certum eſt unum fuiſſe, qui Hebræis ראש הקהל *Caput ſynagogæ*, græciſſantibus autem Judæis αρχων της συναγωγης *Princeps ſynagogæ*, aut una voce (*d*) αρχισυνα-

(a) *Leg. ſuperſtit. Cod. Th. de Jud.* (b) 2. *Cor.* 8. 23. (1) *Non abſolute ſed* κατα τι *quatenus Leviticum pontificem Chriſti venturi typum eſſe voluit.* (c) *Beza in Act.* 13. 15. (d) *Luc.* 8. 41.

ϲυναγωγος *Princeps ſynagogæ* diceretur, quod nomen & in Evangelio, & in Actis Apoſtolicis ſæpiuſcule legitur, & ita quidem, ut unum Synagogæ Principem ubique deſignet, præterquam Actor. XIII. ubi voce paulo laxius ſumpta in una Synagoga plures nominantur αρχισυναγωγοι *Principes ſynagogæ*, nimirum tum is, qui Hebræis vocabatur ראש הקהל *Caput Synagogæ*, tum etiam ii, qui, פרנסים dicebantur, quæ vox Syriaca eſt, cui reſpondet Græca ποιμενες *Paſtores*: ita enim nos docent Hebræorum magiſtri fuiſſe in quaque Synagoga unum *Synagogæ Principem*, (is reſpondet Epiſcopo) deinde *Paſtores*, quos dixi (quod officium & nomen in Eccleſia Chriſtiana manet) & אברים *Eleemoſynarios*, qui *Diaconis* reſpondent. Illo uno igitur in loco ita Paſtores juncti Archiſynagogo vocantur αρχισυναγωγοι, *Principes Synagogæ*. Sicut ſæpe in novo Teſtamento ſummus Sacerdos, cum proximis Sacerdotibus, vocantur αρχιερεις *Principes Sacerdotum*, qui apud Jeremiam *ſeniores Sacerdotum* (*a*). In Codicis Theodoſiani legibus non ſemel apparet nomen *Archiſynagogorum*, & ita quidem ut diſtinguantur a *Patribus Synagogarum* (*b*), qui in aliis legibus *Majores* aut etiam *Seniores* vocantur (*c*). Hos ipſos *Archiſynagogos* Juſtinianus in Novella appellat *Archipherekitas*, & a *Presbyteris* Judæorum diſtinguit: Eſt autem *Archipherekita* vox Syrogræca, nam Hebræis lectiones Sacri Codicis vocantur פרקים: περιοχην *periocham* id extuliſſe videtur Lucas Actorum VIII. 32. alludente ad Hebræorum ſonum voce Græca. *Archipherekitæ* ergo ſunt, quos Conſtantius dicit in Synagogis legi præſidere, ſicut & Philo Eſſenorum Antiſtitem προεδρον *Præſidem* vocat. Hi *Archipherekitæ* ſive *Archiſynagogi* alios habebant ſupra ſe, qui *Primates* dicebantur, quales in utraque Paleſtina ſingulos, & in Provinciis aliis alios fuiſſe, apparet ex Imperatorum conſtitutionibus (*d*). Et hæc quidem obiter dicta ſunt ad illuſtrandam *Epiſcoporum* originem.

9. Quintum hoc ponamus, magnas in Eccleſiam utilitates ex Epiſcopatu redundaſſe: Clamat hoc omnium temporum hiſtoria. Sed iterum utar eo teſte, qui ex omni antiquitate Epiſcopis minimum favit, is eſt Hieronymus: *Toto orbe*, inquit (*e*), *decretum eſt ut ad tollenda ſchiſmata & diſſidia unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris*: Idem alibi (*f*): *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis, id eſt Epiſcopi dignitate conſiſtit, cui ſi non exors quædam & ab omnibus* (†) *detur Poteſtas, tot in Eccleſia efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes*: Nec aliud eſt quod toties Cyprianus inculcat: *Unde ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, niſi dum Epiſcopus qui unus eſt & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur*. Et alibi: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti DEI non obtemperetur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice CHRISTI eligatur*. Neque vero ſinguli dumtaxat cœtus per unius præſidentiam contra ſchiſmata muniebantur, ſed, ut ait idem ille Cyprianus, *Univerſa Eccleſia cohærentium ſibi invicem Sacerdotum vinculo* copu-

(a) *Jerem.* 19. 1. (b) *Leg. Hebræos. l. ſuperſtitionis. Cod. Theod. de Judæis.* (c) *dd. ll. Cod. Th. & leg. Jud. & l. ſi qua inter. Cod. de Jud.*
(d) *L. ult. Cod. Theod. de Judæis.* (e) *Ad Tit. c.* 1. (f) *Adverſ. Lucif.*
(†) *Danilſonus ipſe legit hominibus.*

copulabatur . Per Epiſcopos enim *formatarum* commercio retinebatur totius orbis concordia : & iſta quidem pro Epiſcopali eminentia .

10. Rurſum pro Paſtorum æqualitate hæc prioribus illis minime pugnantia afferimus ; Primum epiſcopalem eminentiam non eſſe Divini præcepti . Probatur hoc ſatis quia non probatur contrarium : nuſquam enim Chriſtus hoc præcepiſſe legitur ; probavit ſane in Apocalypſi , ſed non ſtatim hoc præcipitur, quod probatur. Apoſtolicæ inſtitutionis eſt Epiſcopatus, quia apparet (1) in nonnullis Eccleſiis ab Apoſtolis ordinatos Epiſcopos aut approbatos , ſed ut in quaque Eccleſia eſſent tales Epiſcopi , nuſquam Apoſtoli præceperunt . Qua diſtinctione cauſam Hieronymi a cauſa Aerii ſeparamus . Hieronymus *Epiſcopos* ait (*a*) *evaſiſſe majores Presbyteris* , *magis conſuetudine quam diſpoſitionis Dominicæ veritate* , ut & Auguſtinus *Epiſcopatum majorem Presbyterio ſecundum honorum vocabula* , *quæ Eccleſiæ uſus obtinuit* . Conſuetudinem cum dicunt Patres , non excludunt Apoſtolicam inſtitutionem , imo , ut Auguſtinus ait : *Quod univerſa tenet Eccleſia* , *nec conciliis inſtitutum* , *ſed ſemper retentum eſt* , *non niſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur* : Sed ut alibi diximus , non utique præcepti eſt Divini , quidquid ab Apoſtolis inſtitutum eſt : multa enim inſtituuntur ſalva mutandi libertate : ut populus clara voce *Amen* reſponderet , ut qui docet, adaperto capite eſſet, in Apoſtolica Eccleſia conſtitutum videmus , hodie multis in locis non obſervatur . Adde jam quod Epiſcopos ita inſtituerunt Apoſtoli , ut quaſdam Eccleſias relinquerent ſine Epiſcopis : Fatetur hoc Epiphanius : *Presbyteris opus erat & Diaconis* , *per hos enim duos Eccleſiaſtica compleri poſſunt* ; *ubi vero non inventus eſt quis dignus Epiſcopatu* , *permanſit locus ſine Epiſcopo* , *ubi vero opus fuit & erant digni Epiſcopatu*, *conſtituti ſunt Epiſcopi* (2) . Illæ igitur Eccleſiæ ut Hieronymus loquitur, *Communi Presbyterorum conſilio gubernabantur*.

11. Secundum hoc addemus , non plane univerſaliter obſervatum , ut cuique civitati unus Epiſcopus præeſſet ; de temporibus Apoſtolicis id jam probatum arbitramur , poſtea quoque ſæpe plures in una urbe Epiſcopi imitatione Judæorum , qui quot habebant Synagogas , totidem *Archiſynagogos*; Multæ autem in una ſæpe urbe Synagogæ , aut (ut Philo etiam appellat) προσευχαι *proſeuchæ* : Unde illud in Satyra , *in qua te quæro proſeucha* . Ita Hieroſolymis *Synagoga Libertinorum* , alia *Cyrenenſium* , alia *Alexandrinorum* (*b*) . Et Corinthi circa idem tempus nominabantur duo Archiſynagogi Criſpus & Soſthenes (*c*) : Epiphanius quoque primum Alexandriæ oſtendit (3) id inſtitutum , ut in tota civitate unus eſſet Epiſcopus, ου γαρ ποτ' Αλεχανδρεια δυο επισκοπους ειχεν ὡς αι αλλαι πολεις , *non enim unquam ceterarum ad inſtar urbium duos Alexandria habuit Epiſcopos* . Nicæno demum Canone VIII. definitum videmus ινα μη εν τη πολει δυο επισκοποι ωσιν , *ne in Civitate duo*

(1) *Non apparet ex antiquorum teſtimonio*. (a) *Ep.* 19. (2) *Hoc boni Patris ſomnium fuit*. (b) *Act.* 6. 9. (c) 18. 8. & 17. (3) *Non oſtendit*, *ſed Eccleſiam Alexandrinam nunquam in partes ſciſſam*, *quarum ſingulæ Epiſcopum ſuum habebant*.

duo ſint Epiſcopi : ita tamen ut ſimul appareat *κατ' οικονομιαν* , *cum ex uſu videretur*, interdum a Canone receſſum. Permittit enim id Canon ut a Catharorum ſecta ad Catholicam Eccleſiam redeuntes Epiſcopi juxta Catholicum Epiſcopum honorem retinere poſſent Epiſcopalem . Sic & Epheſina Synodus poſt electionem Theodori Euſtachio concedit Epiſcopatus honorem obtinere , ut ex epiſtola ad Pamphiliæ Synodum apparet : Et in collatione coram Marcellino Catholici Donatiſtis , ſi ad communionem redeant , idem offerunt . Poteſt inquit *unuſquiſque noſtrum honoris ſibi ſocio copulate viciſſim ſedere eminentius* , *ſicut peregrino Epiſcopo juxta conſidente collega* : Valerius quoque Coepiſcopum ſibi in Hipponenſi Eccleſia adſcivit Auguſtinum , quod quamquam Auguſtinus factum ait per Canonum ignorantiam , ſatis tamen apparet non fuiſſe inauditum , multo minus creditum id pugnare cum Divinis præceptis : Jam vero etiam Cathedræ Epiſcopales multis in urbibus ſæpe non menſes tantum aliquot ſed & per annos etiam multos vacavere , quo omni tempore *Eccleſiæ* , ut cum Hieronymo etiam loquar , *communi Presbyterorum conſilio gubernabantur*, aut ut Ignatium loquentem audivimus *οἱ πρεσβυτεροι εποιμηναν το ποιμνιον Presbyteri paverunt gregem* ; videmus ad Clerum Romanum multas eſſe ſcriptas Cypriani literas , & a Clero ipſi reſponſum , de quibuſcumque rebus ad Eccleſiæ ſtatum pertinentibus . Deinde fatentur veteres omnes nullum eſſe actum ita Epiſcopi proprium , ut non a Presbytero quoque exerceretur , niſi quod jus ordinandi excipiant . Chryſoſtomus de utroque hoc gradu , *ε πολυ το μεσον και γαρ οἱ αυτοι (πρεσβυτεροι) διδασκαλιαν εισιν αναδεδεγμενοι και προςασιαν της εκκλησιας*, *την γαρ χειροτονιαν μονην αυτων αναβεβηκασι (οἱ επισκοποι) και τετο μονον δοκεσι πλεονεκτειν τες πρεσβυτερες* , *non multum intereſt , doctrinam enim & Eccleſiæ gubernationem acceperunt Presbyteri , ſola autem ordinatione ipſos Epiſcopi ſuperarunt , atque hoc ſolo videntur Presbyteris ſuperiores* . Nec aliter Hieronymus : *Quid facit excepta ordinatione Epiſcopus*, *quod Presbyter non facit* ? Quamquam autem ex horum Patrum ſententia Presbyteris adimitur ordinandi jus , quod ipſum multis in Synodis partim univerſalibus partim topicis conſtitutum videre eſt , quid tamen obſtat , quo minus id ita interpretemur , ut *Presbyteri neminem potuerint ordinare* contempto Epiſcopo ? Una cum Epiſcopo concurriſſe aliquatenus Presbyteros ad ordinationem docere videtur Synodus IV. Carthaginenſis (*) : *Presbyter* , inquit , *cum ordinatur (Epiſcopo eum benedicente) & manum ſupra caput ejus tenente , etiam omnes Presbyteri , qui præſentes ſunt , manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſupra caput illius teneant* . Non audeo ad hujus rei confirmationem adferre Paulinum illud de *impoſitione manuum Presbyterii* , quia video Hieronymum , Ambroſium , alioſque veteres & recentiorum omnium facile Principem Calvinum , Presbyterium eo loco non *conſeſſum* , ſed *munus* ad quod promotus eſt Timotheus , interpretari : & ſane qui in Conciliis & Patrum ſcriptis ſit exercitatus , ignorare non poteſt Presbyterium , ut *Epiſcopatum* & *Diaconatum* nomina eſſe officiorum . Adde quod cum a Paulo *manus* Timotheo *impoſitas* conſtet , neque neceſſe videtur , neque decorum ſatis , ut ad Actum Apoſtolicum & collationem donorum admirabilium ſocia alio-

 rum

(*) *Et Pontificale Rom.*

rum opera acceſserit. Illud interea non video quomodo refelli poſsit, ubi Epiſcopi non ſunt, etiam a Presbytero recte fieri ordinationem, cum hoc ipſum inter *Scholaſticos* Antiſiodorenſis jam pridem conceſſerit. Nimirum ea quæ *ευταξιας recti ordinis* cauſa obſervantur, exceptiones ſuas habent. Quomodo in veteri Concilio Carthaginenſi in cauſa neceſsitatis Presbyteris conceditur *reconciliare pœnitentes*: & alibi, *manus imponere Baptizatis*. Deinde ut ſupra diximus, dubium an Epiſcopis an Presbyteris meris propiores ſint Presbyteri, qui nec ſub se Presbyteros, nec ſupra se Epiſcopum habent. Nam & de Timotheo ita argumentatur Ambroſius, *qui ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat*. Nimirum (ut e Republica ſumamus exemplum) multa licent Senatui Regem non habenti, quæ Senatui ſub Rege conſtituto non licent. Quia Senatus ſine Rege quaſi eſt Rex.

12. Tertium hoc aſſeramus, non leves fuiſſe cauſas, cur hoc ſæculo nonnullis in locis Epiſcopatus certe ad tempus aliquod omitteretur. Temporarias enim eſſe cauſas ipſe Beza videtur agnoſcere, cum non eum se eſſe dicit, qui veterem ordinem non reſtituendum exiſtimaret, *ſi ruinæ Eccleſiæ reſtitutæ eſſent*. Inter has cauſas prima potuit eſſe penuria virorum, qui tam gravi muneri ſufficerent; nam ſi ea ſatis juſta cauſa fuit naſcente primum Eccleſia omittendi multis in locis Epiſcopalem eminentiam, ut Epiphanium dicentem audivimus (1), quidni ex denſiſsimis tenebris primum emergente Eccleſia eadem cauſa valere potuit, illis præſertim in locis, ubi reperiretur nemo Epiſcoporum veterum, qui monſtratæ veritati manus daret? Altera cauſa hujus conſilii eſſe potuit longa atque inveterata jam plane Epiſcopalis officii depravatio. Conqueritur jam olim Socrates, Epiſcopatus quoſdam ſuis temporibus extra Sacerdotii fines egreſſos & *επι δυναστειαν in dominatum* eſſe delapſos; Conqueritur apud Peluſiotam Hierax lenitatis & manſuetudinis dignitatem in tyrannydem tranſiiſſe; Conqueritur de Epiſcoporum ambitione Nazianzenus, & propterea, ſi non Epiſcopatum, certe civitatum jus perpetuum in retinenda Epiſcopali dignitate mutatum vellet. Utinam, *μηδε προεδρια, μηδε τις τοπου προτιμησις και τυραννικη προνομια, ινα εξ αρετης μονης εγινωσκομεθα, nec præſidentia, nec aliqua loci dignitas vel regia exſtaret præcellentia, ut ſcilicet ſola virtute cognoſceremur*. Epheſinæ Synodi Patres jam olim metuere se profitentur, *μη ιερουργιας προσχηματι εξουσιας κοσμικης τυφος παρεισδυηται, ne mundani Imperii faſtus forma Sacerdotali induatur*. Et ſimilia eſt in Africanis conciliis invenire. At profecto numquam tantos ab Apoſtolorum ævo ad illa tempora proceſſus ambitio Eccleſiaſtica fecerat, quantum ab iſtis ſæculis ad Patrum noſtrorum memoriam, ut jam, niſi abſciſſa parte cauſaria, morbus vix ſanari poſſe videretur: Non debent quidem res bonæ damnari, quia ſunt qui iis abutuntur; ſed verſo in morem abuſu intermitti res ipſas non eſt infrequens: Poterat ſerpens Moſaicus manere ſine ſuperſtitione, ſi res ipſa ſpectaretur, ſed adultum populi vitium reſpiciens Ezechias, ut ſuperſtitionem tolleret, ſerpentem ſuſtulit. Quid, quod & nomen, & eminentia Epiſcopalis, eorum culpa quibus obtigerat, omnem ſui reverentiam perdiderat, & in odium venerat plebis, cui etiam erranti interdum mos eſt gerendus? Romani a Tarquiniis male habiti jura-

(1) *Audivimus ſomniantem*.

jurarunt, ſe neminem Romæ paſſuros regnare. Tertia cauſa addi poteſt, quod infeſtiſsimis temporibus magiſtri veritatis (eo nomine inviſi) non culpam tantum ambitionis ſed & ſuſpicionem omnem amoliri debuerant, quod cum ſublata Epiſcopali dignitate ſollicite curaverint, ne ſic quidem tamen calumniam effugerunt: Quid non audituri, ſi doctrinæ mutatio conjuncta fuiſſet cum majoris gradus adeptione? Adjiciam unam inſuper cauſam cur initio repurgationis non admodum neceſſarius fuit Epiſcopatus. Excitarat DEUS præſtantes viros, ſummo ingenio, ſumma eruditione, nec minore tam apud ſuos, quam apud vicinos auctoritate pollentes, paucos quidem numero, ſed qui plurimis negotiis ſuſtinendis pares eſſent: horum ſumma apud omnes exiſtimatio facile ſupplevit quod ab Epiſcopatu deerat. Et (ſi cum Zanchio verum volumus agnoſcere) re ipſa nulli magis Epiſcopi fuere quam illi ipſi quorum (quamvis hoc non agentium) auctoritas ad oppugnandum uſque Epiſcopatum valuit. Nec illud hic omittendum eſt, quod aliquoties jam diximus, Eccleſiaſticum regimen plerumque aliquid trahere e forma civili. In Romano Imperio, Ducibus Epiſcopi, Præſidibus Metropolitani, Vicariis Ἔξαρχοι, Patriarchæ ſive Primates reſpondebant. Quid ergo mirum, ſi populi magis ſueti Optimatium quam unius Imperio, Eccleſiæ quoque res Clero libentius, quam Epiſcopo committant? Et has quidem ob cauſas excuſari mihi poſſe videntur Eccleſiæ, quæ nullos Epiſcopos habent, dum tamen abſtineant a ſanctiſsimi moris improbatione, ſimulque illud retineant quod nullo modo omitti Beza cenſuit his verbis (a): *eſſentiale fuit, quod ex DEI ordinatione perpetua, neceſſe fuit, eſt, & erit, ut in Presbyterio quiſpiam & loco & dignitate Primus actioni gubernandæ præſit cum eo, quod ipſi divinitus attributum eſt, jure.*

13. Veniamus ad adſeſſores illos, quos multis in locis Paſtoribus adjunctos e populo videmus, annuo & biennali munere *Presbyteros* vocant, cum neque Evangelium populo prædicent, neque Sacramenta exhibeant. De his ita exiſtimamus; Primum ignotos fuiſſe Apoſtolicæ & veteri Eccleſiæ (1) *temporarios Presbyteros*: nondum vidi qui notos fuiſſe adſeveret, qui probaret multo minus. Tertullianus adverſus hæreticos præſcribens inter alia oſtendit, *quantum ipſorum ordinationes temerariæ & inconſtantes & leves* a veteris Eccleſiæ jure diſcrepent: *hodie*, inquit, *Presbyter, qui cras laicus* (2): nihil potuit clarius dici, quo appareret ignotos fuiſſe Eccleſiæ Catholicæ per ea tempora *Presbyteros* temporarios. Sunt qui dicunt, ad muneris naturam nihil pertinere, ad tempus an perpetuo ſuſcipiatur. Quod ſi verum eſt, mirari convenit quod non Paſtores etiam verbo & ſacris operantes annales uſquam gentium fiant. Id autem ſi abſurdum eſt, unde quæſo, niſi ut *DEI dona ſunt* ἀμεταμέλητα, *quorum non pænitet*, ita & officia a Deo in perpetuos Eccleſiæ uſus inſtituta? *Qui manu aratro admota ea quæ a tergo ſunt reſpicit, regno DEI*, hoc eſt Eccleſiæ Miniſterio *aptus non eſt*: ipſa igitur illa adſeſſorum mutatio grande argumentum eſt humanæ eſſe providentiæ hoc repertum, non legis Divinæ conſtitutum.

14.

(a) *Beza de Miniſtr. Evangel. Gradib. cap.* 23. (1) *Ignoti non fuerunt Seniores plebis.* (2) *De iis Presbyteris loquitur qui Clero deſcripti erant & veri nominis Paſtores.*

14. Secundum ſit, veterem omnem Eccleſiam Presbyterorum vocabulo non alios quam Paſtores intellexiſſe, in verbo ac Sacramentis occupatos (1): Non ago de voce *Senum* aut *Seniorum*, qua certum eſt interdum ætatem, nonnunquam & Magiſtratum ſignificari, ſed de voce Græca, quæ in latino ſermone dignitatem, ac munus paſtorale ſemper ſignificat: idemque de Græcis auctoribus dictum volumus, ubicumque *πρεσβυτερυ Presbyteri* vox aliud quam ætatem aut Magiſtratum notat. De loco Paulino nondum agimus, qui ad Juris Divini quæſtionem magis pertinet: De veteris quoque teſtamenti *Senioribus* erit infra agendi locus. Ex tanto patrum numero, tot librorum voluminibus, tamdiu tractata hac controverſia, ne unus quidem locus adferri potuit, in quo Presbyteralis dignitas, aliis quam Paſtoribus tribueretur, cum tamen ſi duplex fuiſſet Presbyterorum genus, non ſæpe, ſed centies, imo millies eorum fieri mentio debuiſſet, præſertim in Canonibus, qui totum Eccleſiæ regimen nobis depingunt, ſaltem modus eligendi iſtos non Paſtores *Presbyteros* alicubi appareret. Etſi autem neganti non incumbit probatio, facile tamen eſt infinitos Patrum locos producere, qui *Presbyteris* omnibus tribuunt jus *paſcendi gregem*, *Baptizandi*, & *Corpus Dominicum exhibendi*, atque eatenus omnes *Presbyteros* Epiſcopis adæquant, & *Apoſtolorum* vocant *ſucceſſores*, qui pœnam oſtendunt fuiſſe *Presbyterorum* Presbyterio dimoveri, aut ad tempus ad ſolam Laicorum communionem admitti, qui *ſportulas* ſingulis oſtendunt datas, diſciplinam præſcriptam multo quam cæteris ſeveriorem. Exſtant & leges de *Presbyterorum immunitate* a foro atque oneribus, multaque alia quæ *Presbyteros* vetant ullos extra Paſtores agnoſci. Ignatius (2), qui Patrum primus Presbyterii meminit, *Presbyteros* ubique & Diaconis præponit, & a laicis ſeparat. Imo Presbyterium vocat *συνδεσμον Αποστολων Χριστου*, *colligationem Apoſtolorum Chriſti*, quia ſcilicet *Presbyteri* in prædicatione & diſpenſatione Myſteriorum uſuque clavium Apoſtolis ſuccedant: Et hos ipſos vocat *συμβυλυς* & *συνεδρευτας* *conſiliarios & adſeſſores* Epiſcopi. Ita ut mirum ſit hunc quoque locum a nonnullis in contrarias partes rapi; ſed ſuperavit horum confidentiam is, qui *nuper* in Nicæno Concilio ſperavit ſe reperturum *Presbyteros* non Paſtores; Citat Can. XVII., qui ſic habet: *ηλθεν εις την αγιαν, και μεγαλην συνοδον, οτι εν τισι τοποις και πολεσι τοις πρεσβυτεροις την ευχαριστιαν διακονοι διδοασιν ωσπερ υτε ὁ κανων, υτε ἡ συνηθεια παρεδωκεν τυτυ εξυσιαν, μη εχοντας προσφερειν τοις προσφερυσι διδοναι το σωμα τυ Χριστου*, *Pervenit ad ſanctum & magnum Concilium, quod in ejuſmodi locis & urbibus ſacram cœnam Presbyteris exhibent Eccleſiarum miniſtri, quemadmodum nec canon aliquis vel conſuetudo hanc invexit poteſtatem, ut Laici Clericis exhibeant corpus Chriſti*. Hæc qui legit & intelligit, poteſtne ei in mentem venire umquam, Nicænos Patres quidquam de *Presbyteris* non Paſtoribus cogitaſſe, præſertim cum idem ille Canon tam ſollicite caveat, *ne Diaconus inter Presbyteros ſedeat*? Hieronymus idem quod ille Canon improbans, *Audio quemdam*, inquit (*a*), *in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferret, quid patitur*

(1) *Habuit ſeniores plebis a clero diſtinctos.* (2) *Suppoſititius.*

(a) *Epiſt.* 85.

tur menſarum & viduarum Miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces CHRISTI Corpus & ſanguis conficitur? Adferunt alii hiſtoriam de Presbytero Pœnitentiario, & abrogationem ejus acriter reprehendunt, quam tamen alias ſolent laudare, cum Pontificia confeſsio oppugnatur. Sed quis umquam audivit *Presbyterum pœnitentiarium* non fuiſſe Paſtorem? Aut quando umquam crediderunt veteres, uſum clavium a verbo & ſacramentorum Miniſterio poſſe ſegregari? Certe Christus iiſdem Claves exercendas dedit, quibus Evangelizandi & Baptizandi fecit Poteſtatem. *Quod DEUS conjunxit, homo ne ſeparet.* Ambroſius (*a*) de ſolvendi & ligandi Jure: *Jus hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus.* Et alibi (1): *Claves illas Regni Cœlorum in Beato Petro Apoſtolo cuncti ſuſcepimus Sacerdotes*: Hieronymus de his qui Apoſtolico gradui ſuccedunt: *qui*, inquit, *Clavem habentes ante diem Judicii judicant*: & ibidem: *Non facile ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri.* Chryſoſtomus, *Hoc vinculum Sacerdotum animam ipſam perſtringit.* Notiſsimum eſt a Patribus *Sacerdotes* dici Paſtores, quibus verbum & ſacramenta ſunt credita: extra uſum quidem novi Teſtamenti, non tamen extra Divini verbi auctoritatem. Nam apud Eſaiam DEUS vocationem Gentium per Evangelium prædicens; *Ex iſtis*, inquit (*b*), (Gentibus converſis) *aſſumam mihi quoſdam in Sacerdotes & Levitas.* Exercitium ergo Clavium, & Jus abſolvendi Pœnitentes ex omnium Patrum ſententia ſolis competunt *Sacerdotibus*, hoc eſt *Presbyteris*, verbi & Sacramentorum depoſitariis: ergo & hi *Presbyteri*, qui ſpecialiter vacarunt abſolvendis Pœnitentibus, non alii ſunt credendi *a Sacerdotibus*, quos novi Teſtamenti pagina *Paſtores* vocat. Sicut autem *Presbyteri* vox, cum functionem Eccleſiaſticam ſignificat, numquam reperitur apud Patres aliis quam Paſtoribus aptari, ita nec latina vox *Seniorum*. Tertullianus de Clavium uſu agens (*c*), *Judicatur magno cum pondere, ut apud certos de DEI conſpectu, ſummumque futuri Judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur, præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti, neque enim pretio ulla res DEI conſtat.* *Presbyteria* iſtis ſeculis ex ſolis (2) conſtitiſſe Paſtoribus ipſe Calvinus agnoſcit. Hos ergo, quibus exercendæ *Claves Regni cœlorum* obtigerunt, *Seniores* appellat Tertullianus, voce Græca latine reddita. Nam Græce Presbyteri vocantur, quæ vox ætatem cum primum ſignificaſſet, poſtea ad dignitates Civiles, & poſtremo ad Eccleſiaſticas cœpit transferri. Eadem origo vocis Romanæ *Senatus* & Græcæ γερουσίας: Firmilianus Cæſareæ Epiſcopus in Epiſtola ad Cyprianum Synodos Diœceſanas deſcribens, quæ ex Epiſcopis, & Paſtoribus aliis conſtabant, *Qua ex cauſa neceſſario apud nos fit, ut per annos ſingulos Seniores & præpoſiti in unum conveniamus, ad diſponenda ea, quæ curæ noſtræ commiſſa ſunt.* Ambroſius (3) quoque *Seniores* duplicis facit gradus, *Epiſcopum* & *Presbyteros*, eoſque ſecularibus opponit. Verba ſic habent, *Viduarum ac virginum domos*

(a) *Ambroſ. de Pœnit. lib. 1. cap. 2.* (1) *Auctor libri de Sacerdotali dignitate apud Ambroſium.* (b) *Eſaias 66. 21.* (c) *Apol.* (2) *Presbyteris plebem ſane tum conſiliorum participem fuiſſe conſtat.* (3) *Is ſeniorum plebis meminit, eorumque functionem deſiiſſe queritur.*

domos niſi viſitandi gratia Juniores adire non eſt opus, *& hoc cum Senioribus*, *hoc eſt cum Epiſcopo vel* (*ſi gravior eſt cauſa*) *cum Presbyteris* . Quid neceſſe eſt ut demus obtrectandi locum ſecularibus ? legantur omnium quæ umquam fuerunt Synodorum acta , nulla ibi nomina reperiuntur *Seniorum* , qui Paſtores non fuerunt : Quid & quod vox *major natu* quæ omnino propria ætati videtur , *Paſtoribus* cœpit aptari , imitatione Græci vocabuli ? Idem Firmilianus (1) , *Præſident* (in Eccleſia) *majores natu* , *qui & Baptizandi & manum imponendi & ordinandi poſſident poteſtatem* , ſatis cavit , ne alii , quam Paſtores intelligerentur : Voces igitur iſtæ πρεσβυτεροι *Presbyteri* , *Senior* , *Major* , tria ſignificant , primum *ætatem* , deinde *Magiſtratum* , tertium *Sacerdotium* . Majores Childeberti Regis apud Turonenſem ſunt præfecti Regii , *Seniores Urbium* in Novella Leonis & Majoriani ſunt οἱ πρωτοι της πολεως *principales decurionum principes* : Iidem in Marcellini ſententia *Seniores locorum* , qui jubentur conventicula prohibere : Et in feudis , qui *Vaſallum* habet , *Senior* vocatur , unde origo vocis , quæ apud Italos , Hiſpanos , Gallos *Herum* ſignificat . Neque tantum *Seniorum* nomen Magiſtratibus & Paſtoribus commune ; ſed & ipſum quoque *cœtum Presbyterorum* , το πρεσβυτεριον , quod Ignatius (2) vocat ἱερον συςημα *ſacrum cœtum* , *Senatum* tranſtulit Hieronymus . *Eccleſia habet Senatum* , *cœtum Presbyterorum* : Eorum ſcilicet *Presbyterorum* , quos initio *Epiſcopis* dicit fuiſſe æquales , & quorum *Conſilio* Eccleſiam ait adminiſtratam : Tertullianus ſimili translatione *Clerum* vocat *Ordinem* . *Differentiam* , inquit , *inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas* . Notandum etiam Eccleſiaſticis Scriptoribus ſæpe *Seniorum* voce non dignitatem ſed ætatem intelligi . Certum eſt olim Epiſcopos vix quidquam rerum majorum conſtituiſſe niſi *conſulta Eccleſia* , quod ſemper utile , perſecutionum temporibus aut imminente ſchiſmatis metu prope neceſſarium erat . Hac de cauſa ad ſedandum γογγυσμον *rumorem* illum , qui ortus erat ob την διακονιαν την καθημερινην *miniſterium quotidianum* , convocata eſt *Diſcipulorum multitudo* (*a*) . Sic poſtquam Paulus advenerat Hieroſolyma , cum ſparſus de eo eſſet rumor , quod defectionem doceret a lege Moſis , quamquam Presbyteri jam advenerant , (& quidem omnes) omnino ex uſu viſum eſt *multitudinem convocari* (*b*) . Cyprianus; *Solus reſcribere nihil potui* , *cum a primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim* (hæc vox rem (3) arbitrariam ſignificat) *nihil ſine conſilio veſtro* (Cleri) *& ſine conſenſu plebis mea privatim ſententia gerere* . Nempe , ut in *ordinatione Clericorum* , in *lapſis* etiam *ſeparandis* & *recipiendis* conſuli plebs ſolebat . Non ſemper autem plebs tota conſulta eſt , in qua mulieres & adoleſcentes , ſed Patresfamiliarum , iique non omnes , ſed ætate provectiores , & proinde Judicii maturioris , qui forte ſunt οἱ πλειονες *plures* apud Paulum (c) . Hi ergo ſæpe conſulti plebis vice . In actis (4) purgationis Cæciliani & Felicis , *Epiſcopi* , *Presbyteri* , *Diaconi*, *Se-*

(1) *Firmilianus cum Græce ſcripſerit Majorum natu titulus interpreti adſcribendus fuit* , *qui vocem πρεσβυτερων Latine reddidit.* (2) *Suppoſititius* .

(a) *Act.* 6. 5. (b) *Act.* 21. (3) *Non ſemper.* (c) 2. *Cor.* 11. 16.

(4) *Imo in Actis Nunditarii Cirtenſis Diaconi Donatiſtæ A. D.* 320. *Decemb.* 13. *annis* 6. *menſ.* 3. *dieb.* 24. *poſt purgatum A. D.* 314. *Aug.* 30. *Felicem* .

Seniores , & poſt : *adhibete Conclericos & Seniores plebis* . Aliqui ergo *Seniores* , non *Clerici* , ac proinde Laici . Semper enim apud Patres hæc opponuntur . Ut perverſe faciant , qui eam vocem ſiniſtrorſum rapiunt , cum nihil in ſe ignominiæ habeat , ſed omnino neceſſario uſurpetur ad diſtinguendos *Seniores* , qui in Clero ſunt ; ab aliis *Senioribus* . Neque Patres tantum ita locuti , quorum tamen auctoritas ſaltem ad voces retinendas ſufficere debuit , ſed ipſi Prophetæ , apud quos *αντιδιαιρουνται opponuntur Sacerdotes* & *Populus* . Recte ergo Laici vocantur quicunque Sacerdotes , hoc eſt , *Myſteriorum Divinorum diſpenſatores* non ſunt . Scribit Auguſtinus , *Clero & Senioribus Eccleſiæ Hipponenſis* . Et apud Turonenſem eſt : *Coram Pontifice , Clero & Senioribus* . Quamquam diſtricte nolim negare his in locis Seniorum voce Magiſtratus intelligi poſſe , quos eo nomine appellatos jam diximus . Nam & in Gregorii epiſtolis una inſcribitur (*a*) : *Clero* , *Ordini* , & *Plebi Ravennæ* . Ubi *Ordo* , ut norunt mediocriter eruditi , eſt *conſeſſus Seniorum* .. Ut & in Leonis epiſtola , ubi diſtinguit *ſubſcriptionem Clericorum* , & *conſenſum Ordinis atque Plebis* . Idemque Leo alibi epiſtolam inſcribit , *Clero* , *Honoratis* , & *Plebi* . Sicut autem nonnullis in locis ambigi poteſt , *Seniorum* voce rectius *Magiſtratus* , an ætate provectos intelligas ; ita alibi dubium eſt , eodem vocabulo *Sacerdotes* , an ætate provecti indicentur . Ut cum Gregorius jubet : *Si quis Clericorum accuſetur , præſentibus Eccleſiæ Senioribus inquiri veritatem* . Et cum Auguſtinus eorum meminit , qui ob ebrietatem , furta , erroreſque alios a *Senioribus* arguuntur . Et cum Optatus (*b*) narrat ornamenta Eccleſiæ *fidelibus Senioribus* commendata . Nam quæ hic narrantur omnia , poſſunt & *Sacerdotibus* & Laicis convenire . Sed digniſsimus eſt conſideratu locus incerti auctoris e commentariis ad Paulinas epiſtolas (*c*) , quem vulgus putat eſſe Ambroſii ; is locus ſic habet : *Apud omnes Gentes utique eſt honorabilis ſenectus . Unde & Synagoga , & poſtea Eccleſia Seniores habuit , quorum ſine conſilio nihil agebatur in Eccleſia . Quod qua negligentia obſoluerit , neſcio , niſi forte Doctorum diſſidio aut magis ſuperbia , dum ſoli volunt aliquid videri* . Ut ſcriptoris ſententiam intelligamus , par eſt nos videre , quos in Synagoga *Seniores* vocet . An Magiſtratus , quos *Seniores* vocatos ſatis conſtat , ut Synagoga ſit conſeſſus Judicum , ut apud Matthæum (*d*) , εν ταις συναγωγαις αυτων μαστιγωσουσιν υμας , *In Synagogis eorum flagellabunt vos*? Vix arbitror, quamquam multa (ut mox dicemus) quæ Magiſtratuum Judæorum fuerunt , Presbyteris Chriſtianorum per ſimilitudinem quandam aptari ſolent . Audiamus eumdem auctorem alibi narrantem ; *Traditionem eſſe Synagogæ , ut ſedentes diſputarent Seniores (dignitate) in Cathedris, ſubſequentes in ſubſelliis , noviſſimi in pavimento ſuper Mattas* . Unde multum metuo ne vocula *dignitate* ex gloſſemate in textum irrepſerit . Nam Philo morem eumdem deſcribit ita : εις ιερους αφικνουμενοι τοπους καθ' ηλικιας εν ταξεσιν υπο πρεσβυτεροις νεοι καθιζονται , *Quando ad loca ſacra perveniunt , ſecundum ætates ordine ſedent ſub ſenibus juniores* . Seniores ergo ætate primi ſedebant . Neque dubie ſimilis quidam ordo ſedendi in Eccleſia vetere Chriſtiana obſervatus fuit : quem negligi Jaco-

(a) *Epiſt.* 89. (b) *Serm.* 19. *de Verb. Domini.* (c) 1. *Tim.* 5.
(d) *Cap.* 20. 17.

bus non fert, cum eos reprehendit, qui ſolis divitibus honorem deferunt ſublimius ſedendi, pauperibus in inferiora detruſis, aut ſtare etiam juſsis. Sequitur apud Philonem: ετερος των εμπειροτατων οσα μη γνωριμα (των αγιων βιβλιων) παρελθων αναγνωριζει, *quæ in Sacris Literis obſcura ſunt, eruditiſſimorum unus in medium progreſſus explicat*. Notandum in Synagogis Judaicis unicuique exercitato in Sacris Literis (erant autem ferme omnes, exceptis τοις βαναυσοις *mechanicis*, qui mos hodie apud nos viget) conceſſum fuiſſe Sacras Literas interpretari. Hac communi libertate Christus uſus in Synagogis docuit, & poſt eum Apoſtoli. Inſignes imprimis ſunt loci Lucæ IV. & Actor. XIII. Ibi Christo liber porrigitur; hic Paulus & Barnabas, quamquam ignoti, rogantur ad populum loqui, *Si quem habeant* λογον παρακλησεως *ſermonem exhortationis*. Si nemo exterus aut ex plebe se offerret, tum delecti ex Senioribus (quos פרנסים *Paſtores*, *Patres Synagogarum*, *majores*, & κατ' εξοχην *ſecundum excellentiam Seniores* dictos notavimus) legem interpretabantur. His quoque minus paratis, erat id Archiſynagogi officium. Simile aliquid & in prima Eccleſia Chriſtiana videmus: Nam his, qui προφητειας *prophetiæ* habent donum, permittit Apoſtolus affari populum, binos aut ternos, quoque conventu, cæteros expendere an recte se habeant quæ dicuntur. Ceſſante autem illo mirabili dono vix extra Paſtores cuiquam apud Chriſtianos docere licuit: niſi quod in Eccleſia Origenem paucoſque alios non *Presbyteros* docuiſſe legimus, ſed minus frequenter, neque unquam niſi peculiari Epiſcoporum indultu. Nam Cæſareæ Epiſcopus reprehenſus (1), quod Origenem docere permitteret, tria attulit ſimilis conceſsionis exempla, addito credibile eſſe, quamvis obſcurum & minime cognitum, idem aliis in locis fieri. Videmus hic jam aliquod diſcrimen inter interpretes legis in Synagoga, & interpretes Evangelii in Eccleſia. In Synagoga docebant quotquot λογον *ſermonem habebant* παρακλησεως *exhortationis*. In Eccleſia, *probati quique & honorem teſtimonio adepti*, ut Tertullianus loquitur, hoc eſt, χειροτονουμενοι *ordinati*. Summi Synedrii Judices ſolebant χειροτονεισθαι *ordinari*: at de explicatoribus legis, quos פרנסים *Paſtores* diximus vocatos, idem non apparet. Cauſa diſcriminis afferri poteſt, non tantum quod Evangelii prædicatio majoris ſit momenti quam legis expoſitio; verum etiam quod in Eccleſia Chriſtiana præcones verbi ſimul *Myſteriorum* ſunt *diſpenſatores*: Synagogæ autem Magiſtri nulla exhibebant Sacramenta. Nam ſacrificia omnia in uno Templo fiebant extra Paſcha, quod ipſum quoque non in Synagogis, ſed in domo unaquaque præeunte Patrefamilias celebrabatur: Neque, ut circumciſio in Synagogis fieret, aut per certos Miniſtros, uſque imperatum. Dubitari ergo poteſt, quos *Seniores* Eccleſiæ intelligat Pſeudambroſius: eoſne, qui reſpondent εμπειροτατοις *peritiſſimis* Synagogæ, qui & ipſi vix alii quam ſenes (quomodo & Monachorum principes, *Seniores* appellantur in Juſtiniani novella conſtitutione CXXXIII. (*a*)) an eos, qui reſpondent τοις πρεσβυτεροις καθ' ηλικιαν *ſenioribus ſecundum ætatem*, ut cum Philone loquamur. Si prius, idem dicit Pſeudambroſius, quod Hieronymus. Pſeudambroſius, *Sine Seniorum conſilio*

(1) *Reprehenſus ab Origenis adverſario Demetrio factum ſuum tutatus eſt.*

(a) *Cap.* 2.

ſilio nihil agebatur in Eccleſia . Hieronymus , *Communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ regebantur* . Agit autem Hieronymus de iis Presbyteris , quos *Epiſcopos* primitus vocatos , & ex quibus poſtea *Epiſcopos* ait electos . Sin poſterius magis placeat , (& ſane ſermo ætatis , non muneris habebat mentionem) ea erit ſententia quam & nos modo expreſsimus , pro univerſa plebe *Senes* ſolitos conſuli in rebus gravioribus , puta *in ordinandis Clericis* , *in impartienda lapſis venia* , & ſi quid ſimile . Et ſane credibilius eſt , olim obſoleviſſe morem plebem aut plebis potiſſimos conſulendi , quam Epiſcopos pleraque egiſſe Clero inconſulto , quod tamen ipſum quoque paulatim contra morem priſcum invaluit . His igitur intellectis , nemini dubium erit amplius apud omnes Eccleſiaſticos Scriptores *Presbyterorum* aut *Seniorum* vocem , aut ad *ætate provectos* , quotquot in Eccleſia , aut ad *Magiſtratus* , qui & ipſi pars ſunt Eccleſiæ , aut ad *Paſtores* pertinere . Quod ipſum movere nos debet , ne temere & ſine validis argumentis loca Sacræ Scripturæ de *Presbyteris* agentia aliter capiamus , quam ea ceperunt hi , qui propiores Apoſtolicis temporibus fuerunt , & ad quos proinde priſci cognominis certior intellectus manavit .

15. Sed ad ipſa ſacrarum literarum oracula veniamus : Et ſit hæc proinde tertia aſſertio : *Delectos illos Paſtorum Aſſeſſores , de quibus diſputamus , non eſſe ex Divino præcepto* (1) . Contrarium qui aſſerat , is ſane Eccleſiam tot ſeculorum damnet quaſi Divini mandati contemptricem ; a qua temeritate abſtinendum nobis putamus . Neque ſane ullum habent pondus argumenta eorum , qui id affirmant quod a nobis negatur , & quibus proinde incumbit probandi neceſsitas : Satis quidem antehac reſponſum illis eſt a viris eruditiſsimis : ſed ne quid deſideretur , quod ad inſtitutum noſtrum pertineat , operæ pretium erit etiam bene dicta iterum dicere , & quædam addere , quæ lucem afferant quæſtioni . Solet agmen ducere id quod apud Matthæum (*a*) CHRISTUS præcipit ; *Dic Eccleſiæ* , & quæ ſequuntur . Quo loco ſunt qui arbitrentur a CHRISTO Eccleſiæ præcipi Synedrii cujuſdam inſtitutionem , quod de rebus eccleſiaſticis jus diceret , & tum ex Sacerdotibus tum ex civibus aliis conſtaret . Talia enim volunt fuiſſe Synedria Eccleſiaſtica . Ad CHRISTI verba quod attinet , ſunt ea & a veteribus & a recentioribus non uno modo explicata . Omnium ſententias referre longum eſſet . Mihi ſimpliciſsima interpretatio , & quæ cæteras omnes ferme ambitu ſuo comprehendat , hæc eſſe videtur : non facile hominem , qui nobis nocuerit , habendum pro deplorato & inſanabili ; ſervandos monendi gradus , ut primum ſolus adeatur , quo , ſi fieri poteſt , nullo conſcio reſipiſcat . Si id non prodeſt , adſumendum amicum , unum , alterum atque tertium , ſi forte eorum auctoritati cedat . Et hactenus nihil dixit CHRISTUS , quod non ſit prope totidem verbis traditum in ſcriptis Judæorum . In libro enim Muſar hoc exſtat : *Si* (inquiunt) *nec tunc velit reconciliari* , (adhibitis amicis , duobus aut tribus) *abeat, & relinquat illum ſibi : talis enim implacabilis eſt , & vocatur* חטא ἁμαρτωλος , *peccator* . Sed idem liber alio loco unum adjicit gradum : Sic enim ait : *ſi nec hoc modo quicquam profecerit* (adhibitis amicis) *debet eum pudefacere coram multis* .

(1) *Sunt ex Apoſtolica & veteris Eccleſia praxi* . (a) *Cap.* 18.

tis . Quod Christus non improbans pro ſumma ſua lenitate , cujus nos vult eſſe imitatores , prius nos omnia vult experiri , quam hominem pro deplorato habeamus . Id enim valet, εςω σοι ωσπερ ὁ εθνικος και ὁ τελωνης, *ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus* ; hoc eſt , ſit tibi חטא *peccator*. Sic enim in Evangelio paſſim junguntur τελωναι και ἁμαρτωλοι *publicani & peccatores* (*a*) ; & gentes vocantur ἁμαρτωλοι *peccatores* , ut cum Christus ſe a Judæis ait *traditum* iri εις χειρας των ἁμαρτωλων *in manus peccatorum* , & apud Paulum , ουκ εξ εθνων ἁμαρτωλοι *non ex gentibus peccatores* . Christus ergo , antequam omnem ſpem abjiciamus , poſt adhibitos paucos teſtes vult adhiberi cœtum qualemcumque piorum hominum ; ut ille , qui noxam nocuit, ſaltem numero atque conſenſu virorum gravium ad frugem revocetur , δια την επιθυμιαν των πλειονων *per objurgationem quæ ſit a pluribus* , ut Paulus loquitur . Idem ergo ſunt , in *Muſar multi* , Paulo πλειονες *plures* , Chriſto *Eccleſia.* Certe Εκκλησιας *Eccleſiæ* nomine cœtum etiam non grandem comprehendi , tum LXX. nos docent , tum Paulus etiam , qui familiam unam piorum hominum Εκκλησιας *Eccleſiæ* vocabulo indigitaverit . Hoc loco ſufficit , ut intelligatur Matthæi locum ad hanc rem nihil facere . Poteſt enim cœtus & Paſtorum , & non Paſtorum eſſe ſine illis aſſeſſoribus , de quibus nunc agitur . Quod autem adjungunt de Judæorum Senatibus , re diu perpenſa , concedere non poſſum . Longe aliæ fuerunt Judæorum *Synagogæ* , *Proſeuchæ*, φροντιςηρια *Scholæ* , ut Philo appellat , alia vero τα κριτηρια *Prætoria*. In *Proſeuchis* lectæ Sacræ Literæ , atque expoſitæ , inſtituti ſinguli (utar Philonis iterum verbis) προς το φιλοθεον το φιλαρετον και το φιλανθρωπον *ad pietatem* , *virtutem & humanitatem* , quibus tribus tria illa Paulina reſpondent , ευσεβως, σωφρονως , δικαιως *pie* , *temperanter* . *& juſte*. Nulla hic Judicia in quemquam exercita ; ſed factum id εν τοις κριτηριοις *in Prætoriis* , ubi Judices cognovere de ſacris pariter profaniſque rebus , iidem Judices ex eadem lege : numquam enim in populo Hebraico hæc disjuncta fuerunt . Hi Judices partim in Urbibus erant ſingulis, partim in capite Urbium. Illa Synedria minora Helleniſtis ; hoc magnum , & κατ' εξοχην το συνεδριον *per excellentiam Synedrium* . Unde & Hebræi Helleniſtas ſecuti סנהדרין *Sanhedrin* fecere . Minorum Synedriorum Judices ſunt , quorum inſtitutio reperitur Exodi XVIII. 21. & Deut. I. 13. Iidem Judices *Seniores* , hoc eſt , *Senatores* vocantur . Hi jubentur *capere homicidam* , Deut. XIX. 12. *De clam commiſſo homicidio diligenter inquirere* , Deut. XXI. 6. *Judicium facere in rebellem Filium*, Deut. XXI. 19. Ασυλιαν *aſylum* concedere his , qui errore homicidium perpetraverint , Joſue XX. 7. Quæ omnia cum manifeſte ſint αναγκαςικης δυναμεως *poteſtatis coactivæ* Judicia , mirum eſt a viro erudito hæc ipſa afferri , ut oſtendat eumdem ordinem ab Apoſtolica Eccleſia retentum , cum certum ſit neque Apoſtolis, neque Eccleſiæ conceſſum το αναγκαςικον *jus coactivum* . Hi ipſi ſunt Seniores , quorum ſententiis *flagellatum iri* Diſcipulos ſuos Chriſtus præmonuit (*b*) . In Civitatibus ergo Eccleſiaſtici Synedrii nec vola nec veſtigium apparet. Conſtat tamen ſingulis Judicum conſeſſibus adfuiſſe *Sacerdotes* aut *Levitas* , ſed Juris maxime peritos : quod & Joſephus notat , & Deuter.

(a) *Matth.* 11. 19. *Marc.* 11. 15. (b) *Matth.* 10. 17. 28. 34.

ter. XX. diſcere eſt; *Iuxta os eorum* (Sacerdotum) *erit lis omnis & plaga omnis*: hoc eſt, nulla lis judicabitur niſi præſentibus Sacerdotibus. Unde de Levitis in ſupremo vaticinio Moſes (*a*); *Docent Judicia tua Jacobum, & legem tuam Iſraelem*. Quare, & ubi Joſaphatus Civitatum Judicia reſtituit, non niſi unius generis Judicum fit mentio. Ad magnum Synedrium veniamus: quod quidam duplex conſtituunt, alterum civile, alterum Eccleſiaſticum; & habent auctores ſuæ ſententiæ magnos, ſed recentes; argumenta autem, ni fallimur, perquam invalida. Primum omnium, quibus magis par eſt credi in re hiſtorica ad Rempublicam Judaicam pertinente, quam Judæis ipſis, plane ut in hiſtoria Græca Græcis, in Romana Romanis? Joſephus & Deuteronomii locum, qui eſt capite XVII. & alterum Paralipomenωn XIX. quibus duobus nituntur, qui tribunalia duo conſtituunt, ſtudioſe παραφραζει *pluribus verbis explicat*. Deuteronomii locum hoc modo: *ſi Judices non intelligant de rebus ſibi creditis judicare, quando multa talia ſolent hominibus provenire, integram cauſam in ſacram Urbem remittant, & convenientes Pontifex & Prophetæ* και ἡ γερουσια *& ſenatus, quæ videntur juſta, pronuncient*. Citavimus ſupra ſimilem Philonis locum, qui Moſis Judicium de re capitali deſcribens, συνεδρευον, inquit, οἱ ἱερεις *conſidebant Sacerdotes*. De Paralipomenωn Hiſtoria idem Joſephus: *Conſtituit etiam Joſaphatus Judices e Sacerdotibus, Levitis, & Primatibus monens ut diligenter & juſte Judicia diſponerent: ſi autem de rebus majoribus quidam contribulium ex aliis Civitatibus (minorum enim conſtitutio præceſſerat) eos conſulerent, cum maximo ſtudio eis & juſtiſſime reſponderent: quandoquidem rectum deberet eſſe Iudicium in Civitate conſtitutum, ubi Templum DEI erat & habitaculum Imperatoris. Horum autem Principes* (αρχοντας) *conſtituit Amaziam Sacerdotem, & Sabadiam qui erat de tribu Juda*, ἑταιρους, *hoc eſt, collegas*. Non potuit verbis clarioribus deſcribi collegium unum, quod & Judicia obiret, & ad aliorum Judicum relationes reſponderet, & in quo tum Sacerdos ſummus aliique Sacerdotes, tum Princeps quidam e populo munus ſuum obirent. Idem alibi Joſephus Sacerdotes *omnium inſpectores* & *controverſiarum Iudices* dixit, non ergo *rerum ſacrarum* tantum. Hebræi Magiſtri non ſpernendi in his talibus auctores ajunt Synedrium hoc magnum de omnibus quidem cauſis ad se relatis reſpondiſſe, ſed eximio ac ſpeciali Jure cognoviſſe de cauſis quibuſdam ipſorum cognitioni antiquitus reſervatis: ut de pace ac bello, de tribus, aut urbis defectione ad falſos cultus, de Summo Sacerdote, de Sacerdotum morbis vitiiſque, de Pſeudoprophetis: quo illud fortaſſe alludit quod dixit Chriſtus: *Non poſſe Prophetam alibi quam Hieroſolymis perire*. Addunt Hebræi ab his *Senatoribus*, quos, præter ipſius *Senatus* Principem, conſtat fuiſſe numero LXX. per χειρων επιθεσιν *manuum impoſitionem* conſecratos, tum qui in eumdem Senatum cooptabantur, tum Civitatum Judices. Neque de aliis intelligendum, tum quod Numerorum XI. tum quod Deuteronomii XVII. legitur. Addit Maimonides ex vetuſtioribus Thalmudicis, *Senatum* hunc magnam in partem ex Sacerdotibus & Levitis conſtitiſſe: quia in eo hominum genere peritiſſimos Divinæ Legis erat reperire: quippe cum ei uni ſtudio vacarent. Adſcitum eſſe in eum-

(a) *Deuter.* 33. 10.

eumdem *Senatum* Pontificem quoque maximum, ni capiendis conſiliis impar videretur. His teſtibus accedat ſequentium manifeſta temporum conſuetudo; ex quibus retro quoque conjecturam fieri oportet, ni liquido contrarium appareat, præſertim cum Judæi veterum inſtitutorum ab omni ævo & in hunc uſque diem ſint retinentiſsimi. Eſdras (*a*) cum hoc Synedrio contumacibus & facultatum jacturam & ſimul την αποσυναγωγιαν, hoc eſt, *relegationem a cœtu*, minatur. Hoc idem Synedrium Chriſti Diſcipulis eamdem minatur αποσυναγωγιαν *relegationem a cœtu* (*b*), Chriſto vincula injicit, cædi eum imperat; Apoſtolos flagris proſcindit; Paulo poteſtatem vinciendi, in carcerem compingendi, verberandi concedit. Nec dubium ex quibus conſtiterit: nominantur iidem, qui in Sacris Literis, apud Joſephum, Thalmudiſtas, *Sacerdotum præcipui* & *Seniores populi*, addito ſæpe nomine συνεδριυ *Synedrii*, & iidem ſunt qui de religione in Chriſtum & Apoſtolos inquirunt. Plane ut appareat & cognitionem de ſacris & το αναγκαστικον *vim coactivam* penes eoſdem fuiſſe. Serius id obtinuiſſe, & a primario more abſceſſum, facile affirmatur; ſed, ut dixi, niſi clare probantibus temere creditur. Videamus ergo an Sacræ Literæ a Judæis omnibus & ab illa apertiſsima conſuetudine diſſentiant. זקנים hoc eſt *Senes* ſive πρεσβυτερυς Hebræis communiter vocari viros ætate ac moribus ſpectabiles, nemini ignotum eſſe poteſt. Talibus viris nunquam caruit populus Iſraeliticus, ne tum quidem, cum ſerviliter haberetur. Itaque in Ægypto Moſes & Aaron juſſi divinitus convocant omnes *Senes*; ubi & in Hiſtoria, כל־זקני *omnes ſenes*, non כל הזקני *omnes ſeniores* (*c*), quia non certum aliquod collegium, ſed ſola qualitas denotatur. Quare hi ipſi *Senes* populus vocantur (*d*). Socero auctore Moſes, non LXX. toti populo, ſed alios Magiſtratus partibus populi impoſuerat, Chiliarchas, Hecatontarchas, atque ita deinceps; rerum omnium difficiliorum cognitione ac procuratione ſibi reſervata. In montem adſcenſurus poſtea Moſes jubetur aſſumere Aaronem, Nadab, Abihu, & LXX. e *Senibus* (*e*). Ne hic quidem collegium inſtituitur. Non enim vocantur LXX. *Senes* κυριως και αυτονομαστικως *proprie & denominative*, ſed e Senibus Septuaginta, ad temporarium duntaxat officium lecti, ut honoris cauſa Moſem comitarentur. Venerandus autem ſemper apud Hebræos fuit numerus LXX. quia tot animas in Ægyptum Patriarcha Jacobus adduxerat (*f*). Non fuiſſe Judices conſtitutos ita perſpicue oſtendit Scriptura, ut dubitationi non relinquat locum. Abiturus enim Moſes ita eos affatur (*g*): *Manete hic, donec revertamur; & ecce Aaron & Hur vobiſcum; qui controverſias habet, ad eos accedet. Ad eos*, inquit, non *ad vos*. In judicandis partibus Vicarios ſibi ſubſtituens Aaronem & Hurem, non LXX. *Senes*. Poſtea vero cum judicandi onere Moſes gravaretur, ita eum DEUS alloquitur: *Congrega mihi e Senibus Iſraelis LXX. quos noſti eſſe Senes populi, & moderatores ejus*. Ex *Senibus* ergo communiter appellatis eliguntur LXX. qui deinde αυτονομαστικως vocantur הזקנים οἱ πρεσβυτεροι *ſeniores*, inſtituto jam ſcilicet collegio. Hujus collegii pars quin fuerit Aaron Pontifex

(a) *Eſdr.* 10. 8. (b) *Joan.* 9. 22. 12. 42. 16. 2. (c) *Exod.* 3. 16. 4. 29. (d) *Exod.* 4. 31. 18. 21. (e) *Exod.* 24. 1. (f) *Gen.* 46. 27. (g) *Exod.* 24. 14.

tifex Maximus , & cum ipſo Sacerdotes & Leviticæ tribus alii , cur dubitemus , nihil eſt cauſæ . Hi jubentur cum Moſe *portare onus populi*, hoc eſt, ſummæ Reipublicæ præſidere : quos ipſos judicare Deuteronomii XVII. ex eo quoque apparet , quod relationes cauſarum niſi ad Regem aut Summum Conſiſtorium fieri nuſquam ſoleant . Urgent quidam , ut duo Synedria faciant , in Deuteronomio disjunctivum illud : *Qui non auſcultaverit Sacerdoti vel Judici* : ſed mirum eſt apud hos plus valere hoc disjunctivum , quam conjunctivum quod præceſſerat ; *Venies ad Sacerdotes & Levitas , & ad Judicem qui erit in diebus illis* . Et qua tandem de re ? *de ſanguine & ſanguine , de cauſa & cauſa , de plaga & plaga , verbis contentionum* , hoc eſt , controverſiis quibuslibet gravioribus . De his ergo omnibus relatio facta eſt ad Sacerdotes , Levitas , Judicem ; non de aliis ad Sacerdotes & Levitas , & de aliis ad Judicem . Et alibi ex Ezechiele citavimus : *In lite ſtabunt ipſi* (Sacerdotes) *ut judicent ſecundum Judicia mea* . Qui Sacerdotes dicunt de jure , Judices de facto judicaſſe , (præterquam quod nodum non ſolvunt , nam ſic quoque manet unum Synedrium) nihil dicunt . Debet enim quiſquis judicat , de utroque judicare . Formula enim pronuntiandi in Synedrio hæc fuit ſolemnis in Judiciis capitalibus : *Reus eſt mortis* (*a*), vel , *non eſt reus mortis* (*b*) . Hoc dici non potuit niſi ab eo, qui & de legis ſententia certus eſſet , & rei veritatem e teſtibus didiciſſet . Facit enim lex propoſitionem , aſſumptionem teſtimonia , ex quibus junctis concludit Judex . Aliter judicare non eſt judicem agere , ſed alieni arbitrii Miniſtrum . Ut ergo disjunctionem illam explicemus , notandum eſt , Magiſtratus , qui ſimul ſunt pars ejuſdem Senatus , ſeorſim tamen Imperium habere . Erant in Romano Senatu Pontifices , erant Conſules : Pontifices jus habebant vocandi ad ſe Flamines , iiſque præcipiendi de ſacris : Conſules jus habebant vocandi prehendendique cives , & quod opus eſſet imperandi . Ita tamen , ut uterque in poteſtate eſſet ejuſdem Senatus . Nec Senatus ſolebat imperare civibus niſi per Conſules alioſque Magiſtratus . Quamquam ergo Senatus Hebræorum ſacris profaniſque rebus præerat ; erat tamen ſacrorum procurator , & de ſacris Imperium penes Pontificem . Neque minus penes Judicem Imperium erat rerum cæterarum : & tum huic , tum illi parendum ; huic in templo , illi in caſtris atque alibi . Merito ergo pœna conſtituta in eum , qui alteri e duobus eximiis Magiſtratibus , & per quos res maximæ , tum in Senatu decretæ , tum arbitrariæ quotidie imperabantur , dicto audiens non fuiſſet . Neque ideo tamen duo Senatus . In Joſaphati Hiſtoria poſt conſtitutos in civitatibus Judices hæc ſequuntur : *Etiam Hieroſolymis conſtituit Joſaphat e Levitis & Sacerdotibus & Principibus familiarum Iſrael ad Judicium Domini & ad litem* , (nota ad eadem conſtitui Levitas , Sacerdotes , & Principes familiarum , qui in Evangelio αρχιερεις & πρεσβυτεροι τȣ λαȣ *Principes Sacerdotum & ſeniores populi*) *& reverſi ſunt Hieroſolyma , & præcepit eis dicendo ; ſic agetis in timore Domini , in fide , & perfecto corde ; & omnem litem , quæ venerit ſuper vos* (nota iterum nullam litem eximi & conjungi judices) *de veſtris fratribus habitantibus in urbibus ſuis , inter ſanguinem & ſanguinem , inter legem & præceptum , ſtatuta , & Judicia* (vides & hic

(a) *Matth.* 26. 66. (b) *Jerem.* 26. 16.

hic nullum genus controverſiæ ſeparari) *præmonebitis eos , ne delinquant in Dominum , & ira ſit ſuper vos fratreſque veſtros . Sic facietis & non delinquetis .* Hactenus omnia ita clare unum conſeſſum exprimunt , ut non poſsim , quod ſentio , clarius quam illis verbis exprimere . Videamus , an hanc planiſsimam interpretationem evertat quod ſequitur : *& Amazias Sacerdos veſter in re Domini , & Zabadias , Iſmaelis filius , Dux domus Judæ in omni re Regia , & præpoſiti Levitæ coram vobis . Confortamini vos , & facite , & DEUS bono aderit .* Hinc quidam duo Synedria efficiunt : cum multo rectius ſic argumentarentur . Quibus jubetur Amazias præire *in Rebus Domini* , quibus Zabadias *in rebus Regis* , quibus nullo diſcrimine Levitæ jubentur inſervire , & mandata ipſorum exequi (conſtat enim multis ex locis id quoque Levitarum fuiſſe officium) hi unum faciunt Synedrium . Ut res rectius intelligatur , I. Paralipomenωn XXVI. bis apparet ſimile loquendi genus . Regioni , quæ ad occaſum Jordanis , imponitur Asbias cum conſanguineis ſuis *ad omne opus Domini* & *ad ſervitium Regis* ; & Jerias Rubenitis , Gaditis , & parti Manaſsitarum imponitur cum conſanguineis ſuis *ad omnem rem DEI* & *ad omnem rem Regis* . Videmus ab iiſdem in parte curatas *res DEI* & *res Regias* . Quidni ipſo regni corpore idem Senatus utrique rerum generi præfuerit ? Quin per res DEI ſacra intelligantur , per res Regis cætera negotia , non repugno . Tamen Scripturis congruentius arbitror per DEI res intelligere omnia ea , quæ lege DEI definita ſunt , & de quibus ex lege judicandum eſt . *Judicium DEI eſt*, inquit Moſes (*a*), judicibus : & Rex Joſaphatus civitatum judicibus , *pro DEO eſtis judicaturi* (*b*) . Venit ad me populus ad conſulendum DEUM , inquit alibi Moſes (*c*) , id eſt , judicii ergo ; & alibi : *ſiſtent ſe* (teſtis & reus) *duo illi coram DEO* , interpretatur ipſe Moſes (*d*), coram Sacerdotibus & Judicibus (ita habet veritas ; non *aut* ut quidam tranſtulerunt) qui erunt in diebus illis . Hæc ergo *DEI* cum ſint negotia , reſtat Regis *negotia* ſint ea , quæ lege DEI non definita ſub Regis ſunt arbitrio, cujus generis ſunt deliberationes de eo quod fieri expediat, aut non expediat. Quare cum in jure verſatiſsimus fuerit Sacerdos , in civili autem prudentia ipſo uſu Dux exercitatior , potuit , imo & debuit , in eo Senatu qui Judiciis conſiliiſque præerat , in Jure explicando Amariæ , in deliberationibus vero dirigendis Zabadiæ auctoritas eſſe præcipua , & jus ſuffragii prærogativum . Ac proinde recte eos Joſephus *collegas* appellat . Neque omittendum hic quod in Eſdræ eſt hiſtoria . Is enim a Perſarum Rege miſſus ad reddendam Judæis αυτονομιαν *libertatem ſuis utendi legibus* ; inter cætera mandatum accepit *conſtituendi Judices* ex his qui legis Divinæ eſſent peritiſsimi , qui totius populi cauſas cognoſcerent , & in legis tum Divinæ tum Regiæ violatores morte , exilio , mulctis animadverterent . Qui ipſe locus nos admonet , ita diſtingui legem DEI & Regis , ut utramque legem iidem Judices exercerent . Neque aliter hic diſcreta *lex DEI & lex Regis* , quam alibi *DEI Regiſque negotia* . Quod autem alii præterea afferunt , ut oſtendant Sacerdotes in Synedrio non judicaſſe , hiſtoriam Jeremiæ , cujus cauſa ſit cognita a Principibus & *Senioribus*

(a) *Deuter.* 1. 17. (b) 2. *Chron.* 19. (c) *Exod.* 18. 15.
(d) *Deut.* 19. 17.

ribus populi, minime movere quemquam debet. Sacerdotes enim accuſatores cum ſe conſtituiſſent, in eodem negotio judices eſſe non potuerunt; ut omittam, multos fuiſſe Sacerdotes extra Senatum. Et hæc quidem de Synedrio Judaico ſatis.

16. Venio ad *Presbyterorum* vocem, quam multi aſſeſſoribus Paſtorum tributam volunt in novo Teſtamento, de quo mihi non liquet. Tres hujus vocis ſignificationes video in novo fœdere: eaſdem ſcilicet, quas in Patribus. Unam, quæ ad *ætatem* pertineat; ut cum πρεσβυτεροι *ſeniores* opponuntur νεωτεροις *junioribus*, ut 1. Timoth. 5. verſ. 1. Alteram, quæ ad *Poteſtatem* atque *Imperium*; ut cum de his ſermo eſt, qui aut in magno Synedrio aut in minoribus Synedriis conſidebant: Tertiam, quæ Evangelii Præconibus convenit. Quartam non reperio. Apoſtoli Paſtores à ſe conſtitutos cur *Presbyteros* appellaverint quæri poteſt: an quod vix alii quam *Senes* ei muneri adhiberentur? an quod in Synagoga quoque Magiſtri κατ' ἐξοχην *per excellentiam* eo nomine appellarentur? an (quod mihi non minus probatur) a Magiſtratibus Judæis ſumpta ſimilitudine? Nam Christus ipſe in conſtituenda Eccleſia, ut Regem ſe oſtenderet, ſimulque mundani regni ſpem paulatim animis eximeret, Eccleſiam ſuam, quamquam omni externo Imperio deſtitutam, ad imaginem quandam Judaici regni compoſuit: eoque modo in ſpem regni Cœleſtis erexit. Rex unus in populo Hebræo: & ipſe ſe Regem agnoſcit. In Regno duodecim Phylarchæ. Totidem ſibi Christus conſtituit Apoſtolos: &, ne dubitaretur, quo reſpexerit, *duodecim* ipſis promittit *Thronos*, in quibus *Judicaturi* eſſent totidem *tribus Iſraelis*. In Regno Senatores magni Synedrii LXX. Totidem Evangeliſtas conſtituit Christus. Tertia in Regno eſt dignitas Judicum Urbanorum: qui זקנים vocabantur, quod Græce eſt πρεσβυτεροι *Seniores*: in Eccleſia quoque Presbyteri Apoſtolos & Evangeliſtas tertio loco ſequuntur. Horum Judicum Principes vocabantur פקידים, quod Græce eſt επισκοποι *inſpectores*, ut modo diximus; ita & *Presbyterorum* in Eccleſia principes Epiſcopi. Denique Judicibus his inſerviebant, qui עבדים vocabantur, quod Græce eſt διακονοι *Diaconi*: neque aliter vocati ſunt in Eccleſia hi, qui infra Presbyteros ſunt conſtituti. Quod ſit Presbyterorum munus in Eccleſia Chriſtiana, Apoſtoli nos pluribus locis docent. Paulus Epheſinos Presbyteros Miletum ad ſe venire juſſos admonet, ut norint *inſpectores ſe poſitos ad paſcendam DEI Eccleſiam* (a). *Presbyteros* jubet Jacobus (b) ab ægrotantibus *advocari*, *ut orent ſuper ipſos & ungant ipſos in nomine Domini*. Presbyteros alloquitur Petrus συνπρεσβυτερος, id eſt, ut collega muneris. Paſtores ergo fuiſſe apparet; unde nec aliter conſtituti, quam per *manuum impoſitionem*; ut de Timotheo memoriæ mandatum eſt. In aliis locis, ubi nulla deſcriptione addita *Presbyterorum* fit mentio, alios intelligere *Presbyteros* quam illos, qui tot locis clariſsime deſcribantur, temerarii ſit conjectoris, niſi verborum contextus a certo ac recepto ſignificatu nos cogat diſcedere. In omni novo fœdere una dumtaxat Pauli ſententia eſt (c), quæ ad conſtituendos Presbyteros non Paſtores ſpecioſe affertur: οἱ καλως προεστωτες πρεσβυτεροι διπλης τιμης αξιουσθωσαν, μαλιστα οἱ κοπιωντες εν λογῳ και διδασκαλια, *Qui bene*

(a) *Act.* 17. 18. (b) *Cap.* 5. 14. (c) 1. *Tim.* 5. 17.

præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina. Ex hac vocula μαλιϛα *maxime* infertur aliquos eo tempore fuiſſe Presbyteros tantum προεϛωτας *Præſides*, & non κοπιωντας εν λογῳ και διδασκαλιᾳ, *laborantes in verbo & doctrina*. Sed primum, id ſi verum eſſet, ſaltem aliunde appareret novum hoc *Presbyterorum* genus, alibi nunquam memoratum, quo auctore, qua occaſione cœpiſſet, ſicut Diaconorum origo narrata eſt; & non ita obiter atque in traſcurſu uno in loco, ubi de munerum Eccleſiaſticorum generibus ſermo inſtitutus non eſt, inſinuaretur pars neceſſaria Eccleſiaſtici regiminis. Deinde patres proximi Apoſtolorum temporibus monuiſſent nos hujus rei: ſaltem Græci, quibus ſua lingua ignota eſſe non poterat, hanc nobis reliquiſſent interpretationem, quam ex ſola verborum ſerie ſequi, ſunt qui autumant. Nunc cum ante hoc ſæculum interpretum nemo verba Pauli ita acceperit, merito videndum eſt, an non aliam interpretationem ferant, quæ nihil a cæteris Scripturæ locis diverſum afferat. Videamus ergo, quid ſit propoſitum Paulo: *Honorem duplicem* vult Presbyteris exhiberi. Quis ſit honor, de quo agitur, ex ſuperioribus poteſt intelligi: χηρας τιμα, *viduas honora* (*a*): ubi το τιμαν, *honorare*, nihil eſt aliud quam *honeſte ſuſtentare*. Vult enim eas *viduas honorari, quæ vere ſunt viduæ*, hoc eſt, ut ex oppoſitione apparet, eas quæ fideles cognatos aut affines non habent, quorum ope poſsint ſuſtentari. Nam ſi habeant, has vetat Eccleſiæ eſſe oneri. Abſoluto de viduis ſuſtentandis ſermone, docet etiam Presbyteris ſuppeditandum, unde honeſte vivant. Hoc voce τιμης indicari ratio ſubnexa oſtendit: *Scriptum eſt enim, bovi trituranti os non obligabis*. Hoc ipſum Scripturæ teſtimonium alibi quoque in eundem ſenſum produxerat. *Quis ſuis ſtipendiis militat? quis vineam plantat, & de proventu non edit? quis gregem paſcit & gregis lacte non veſcitur? an ſecundum hominem hoc tantum dico? an non & lex idem docet? in lege enim ſcriptum eſt, non obligabis os bovi trituranti* (*b*). Et poſtea: *ſi ſpiritualia ſerimus, an magnum eſt ſi carnalia metimus?* Recte ergo ad illum, de quo agimus, locum Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius, etiam Calvinus & Bullingerus notant de ſuppeditando victu & rerum neceſſariarum ſubſidio Apoſtolum hic agere. Aſſeſſores eos, de quibus nobis ſermo eſt, ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtentari neque hodie videmus, neque viſum eſt unquam. Neque vero credibile eſt Apoſtolum, qui ubique parcit Eccleſiis, quippe ſatis pauperibus, gravatas illas voluiſſe onere non neceſſario. Quare, ſi uſquam, hoc imprimis loco illorum aſſeſſorum intempeſtiva fuiſſet mentio, ubi de ſtipendiis oratio inſtituta eſt. Verborum Pauli multas interpretationes non incommodas alii attulerunt. Simplicisſima hæc eſt: omnibus quidem Presbyteris ſtipendia deberi, ut qui præſint Eccleſiæ, hoc eſt, gregem Dominicum paſcant; ſed illis præcipue, qui, omni cura rei familiaris neglecta, uni ſtudio Evangelii propagandi incumbunt, nullique labori parcunt. Non ergo duo ponuntur Presbyterorum genera, ſed monſtratur non parem eſſe omnium laborem. Agnoſcunt omnes, etiam Beza (*c*), verbo κοπιαν *laborare* non quemvis labo-

---

(a) 1. *Tim.* 5. 3. (b) 1. *Cor.* 9. 7. & *ſeq.* (c) *Ad Matth.* 11.

borem, ſed eum, qui cum inſigni moleſtia conjunctus ſit, deſignari. Itaque Paulus (*a*) ſe ait Evangelio operam dediſſe, non vulgarem, ſed εν κοποις *in laboribus*; quibus explicandis addit μοχθον, λιμον, διψιν, αγρυπνιας, *ærumnam*, *famem*, *ſitim*, *vigilias*, & omnia incommodorum genera. CHRISTUS in Epiſtola ad Epheſinum Epiſcopum (*b*) cum dixiſſet, *novi opera tua*, addidit, ut majus aliquid, & τον κοπον *laborem*. Paulus etiam verbum κοπιαζειν *laborare* ſæpe ſibi tribuit, deinde etiam ſanctis quibuſdam mulieribus, quæ huc illuc relictis rebus ſuis Evangelii cauſa diſcurſabant. His ergo Presbyteris, qui nihil aliud curant præter Evangelium, ejuſque rei cauſa omnibus incommodis ſe exponunt, plus aliquanto quam cæteris deberi ratio dictat. Sic & Paulus το προιςασθαι *præeſſe*, & το κοπιαν *laborare*, de iiſdem extulit ad Theſſalonicenſes (*c*): ερωτωμεν δε ὑμας, αδελφοι, ειδεναι ουτως κοπιωντας εν ὑμιν, και προιςαμενας ὑμων εν κυριω, και νυθετυντας ὑμας, και ἡγεισθαι αυτυς ὑπερ εκπεριςσου εν αγαπῃ δια το εργον αυτων, *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum*. Omnis ergo error novorum interpretum in eo eſt, quod putent illud εν λογῳ και διδασκαλια *in verbo & doctrina*, pronuntiandum εμφατικως *efficaciter*, cum emphaſis ſit in voce κοπιωντας *laborantes*; Illa autem εν λογῳ και διδασκαλια *in verbo & doctrina*, addita dumtaxat explicandæ voci κοπιαν *laborare*. Similis eſt illorum hallucinatio, qui in verbis Pauli ad Corinthios, ubi de Cœna ſermo eſt, δοκιμαζετω δε ανθρωπος ἑαυτον *probet autem ſe homo*, illud ἑαυτον *ſe*, urgent; cum non in ea voce ſit εμφαϲις *efficax locutio*, ſed in voce δοκιμαζετω *probet*; neque ἑαυτον *ſe* poſitum ſit *diſtinctive* ſed *declarative*. Neque tam recte potuit poni in priore membro illud εν λογῳ και διδασκαλια *in verbo & doctrina*, quam in ſecundo, quia illa verba optime cohærent cum τῳ κοπιαν *laborare*, non æque cum τῳ προιςασθαι *præeſſe*. Similes locutiones dabo, quas nemo ineptiæ arguerit: *Magiſtri pueritiæ formatores utiles ſunt reipublicæ, ſed illi imprimis qui noctes dieſque hoc unum agunt ut Diſcipuli ſui meliores doctioreſque evadant: Medici valetudinis noſtræ Curatores ſummo in pretio ſunt habendi; illi ante alios, qui magno cum ſtudio atque affectu in hoc incumbunt, ut ſanitatem nobis conſervent aut reſtituant*. His compara filum Paulinæ orationis, videbis omnia quadrare. Cætera, quæ afferri ſolent, frigidiora ſunt, & ſponte ſua corruunt. Rom. *xij*. diverſa dona, diverſæ etiam juxta donorum menſuram actiones numerantur, ſed quæ non propterea diverſas conſtituunt functiones. Sicut autem idem eſſe poteſt ὁ μεταδιδους *qui tribuit*, & ὁ ελεων *qui miſeretur*, ita nihil vetat eundem eſſe τον παρακαλουντα και τον προιςαμενον *ex hortantem & præſidentem*. Nam ex duobus locis jam allegatis apparet το προιςασθαι *præeſſe* tribui Paſtoribus; ut & το ἡγεισθαι *præpoſitum eſſe*, Hebr. xiij. 7. Similiter ad Corinthios (*d*) non tantum diverſæ functiones enumerantur, ſed & plura dona quæ uni functioni conveniunt. Sicut ergo δυναμεις & χαρισματα ιαματων *virtutes & dona*

N 2 *ſana-*

(a) 2. *Cor.* 6. 5. 11. 23. 27. 1. *Theſſ.* 11. 9. (b) *Apoc.* 2. 2.
(c) *Theſſ.* 5. 12. (d) 1. *Cor.* 12. 28.

ſanationum diverſas functiones non conſtituunt, ita nec ἀντιλήψεις καὶ κυβερνήσεις *adjuvandi vires & gubernationes*: ſed ſunt hæc omnia Paſtoralis officii ſubſidia & ornamenta.

17. Huc uſque operam dedimus, ut appareret adſeſsionem eam, de qua agimus, non eſſe divini præcepti: quod eo facit, ne ſequius quam par eſt ſentiamus de veteribus Eccleſiis, aut hodie reformatis, quæ illis aſſeſſoribus non utuntur. Nunc viciſsim, quæ pro eo munere dici poſſe credimus, proferentur. Primum licite illud munus potuiſſe inſtitui vel a Summa Poteſtate Chriſtiana, vel ab Eccleſia, ubi Summa poteſtas aut non curaret Eccleſiam, aut jus ſuum Eccleſiæ concederet. Nam cum ei inſpectio ſumma competat in omnes Paſtorum actiones, ut tabulæ utriuſque cuſtodi; neque omnia per ſe poſsit exſequi, licuit ei ſuo nomine delegare qui Presbyteriis intereſſent, cum eo jure quod ipſis de ſuo communicare Summæ Poteſtati viſum eſſet. Quod ex his quæ ſequenti capite tractabuntur, apertius fiet. Eccleſiæ quoque divina lege interdictum non eſt inſtituere munera ad ordinis conſervationem & ædificationem facientia; manetque penes eam hæc libertas, quamdiu Summæ Poteſtatis lege non circumſcribitur. Hæc probari nihil eſt opus. Sunt enim nota per ſe, neque ulla poteſt in contrarium lex divina afferri.

18. Secundum hoc eſto, reperiri in Sacris Literis, ex quibus appareat, hanc inſtitutionem DEO non diſplicere. Probatur hoc primo ex parte Summæ Poteſtatis ex conſtitutione Synedrii Judaici, in quo Sacerdotibus adſederunt delecti e populo, præpoſiti ſane civilibus negotiis, verum etiam ſacris, ut ſupra oſtenſum eſt. Quare cum ex novo Teſtamento nihil in contrarium afferatur, recte hinc colligimus, Juriſdictionem de ſacris, hoc eſt, Judicium publicum & cum Imperio conjunctum, poſſe juxta Paſtores quibuſdam e populo mandari; præſertim ſi partes potiores deferantur Paſtoribus, ſicut in ſacris major auctoritas Amaziæ quam Sabadiæ. Eodem argumento recte defenditur Senatus Eccleſiaſticus, qui mandato Electoris Palatini res Eccleſiæ cum Imperio regit, partimque ex Paſtoribus, partim e piis Magiſtratibus conſtat. Ex parte Eccleſiæ probatur idem quod diximus. Licuit enim Eccleſiæ Corinthiorum (etiam ſine Apoſtolica auctoritate; reprehendit enim Corinthios Apoſtolus cur non ante fecerint id quod jam faciendum monet) conſtituere in Eccleſia privatarum controverſiarum diſceptatores. Si tantum licuit Eccleſiæ ad lites fugiendas, quidni tantum licuerit ad evitanda ὀλιγαρχίας *dominatus paucorum* mala? Præterea expedit ſæpe, ut tota fidelium multitudo conſulatur ſuper negotiis Eccleſiæ, ut ſupra oſtendimus: quidni ergo Eccleſia aliquos Paſtoribus adjungat, qui hoc ipſum videant quando opus ſit Eccleſiam conſuli. Licuit etiam Eccleſiæ quoſdam deligere, qui ſuo nomine pecunias perferrent atque erogarent: Quare cum Paſtoribus competat inſpectio in Diaconos, licet etiam Eccleſiæ ad eam rem ſocios quoſdam Paſtoribus adjungere (a), μήτις αὐτοὺς μωμήσηται ἐν τῇ ἁδρότητι τῇ διακονουμένῃ ὑπ' αὐτῶν, *ne quis eos vituperet in plenitudine, quæ miniſtratur ab iis*, ut cum Apoſtolo (b) loquar. Poſtremo licuit Antiochenæ Eccleſiæ quoſdam e ſuo

(a) 2. *Cor.* 8. 19. *Phil.* II. 22. (b) 2. *Cor.* 8. 20.

ſuo cœtu delegare, qui deliberationi Apoſtolorum & Presbyterii Hieroſolymitani intereſſent, quorum teſtimonio credat omnia ibi ex DEI verbo *και ανευ προκριματος* & *ſine præjudicio* geri (a).

19. Tertium eſt, non deeſſe in pia antiquitate exempla, quæ, ſi non plane conveniant, certe ad hunc morem proxime accedant. Ex parte Summarum Poteſtatum notiſsimum eſt, ab Imperatoribus Senatores & Judices datos, qui Synodis adſiderent, inſpectores moderatoresque actionum. Neque hoc tantum, ſed & qui de depoſitione Epiſcopi rebuſque aliis una cum Epiſcopis ſententiam ferrent, ut in Photini & Dioſcori cauſa videmus accidiſſe (*b*). Quod autem licet in Synodis, cur non liceat in Presbyteriis, præſertim cum in anguſtioribus territoriis non minor ſit habenda ratio Presbyteriorum, quam Synodorum in tanta Romani Imperii amplitudine? Sed & ab Imperatoribus dabantur Eccleſiis id poſcentibus *εκδικοι* ſive *defenſores*, qui Laici erant, quorumque officium erat vim omnem ac tumultum ab Eccleſia & Paſtoribus arcere, & operam dare ne quid in Eccleſia per vim aut ſordes fieret: ut apparet novella Conſtitutione LVI. Chalcedonenſis Synodi Canone CCI. & Carthaginenſis Canone LXXVI. (1), & in Maxentii reſponſo ad Hormiſdam, atque alibi. Hi ſunt, qui poſterioribus ſæculis Eccleſiarum *Advocati* dici cœpere. Sic & a Metropolitanis ſolebant Eccleſiis dari *φροντισαι Curatores*, qui cum Epiſcopis pecuniæ Eccleſiaſticæ rationes tractarent. Ex parte Eccleſiæ repetendum eſt, quod ſupra diximus non ſemper totam multitudinem, ſed interdum Seniores tantum conſultos. Si autem a multitudine ad Seniores conſultationem advocare licuit, cur non itidem prægravante Seniorum turba, ad pauciores eadem contrahi potuit, præſertim multitudine non invita? In electionibus Paſtorum apparet ſæpe per compromiſſum id, quod multitudinis erat, in paucos collatum. Synodis quoque Laicos interfuiſſe, & inibi ſententiam dixiſſe, tum ex magni Concilii hiſtoria, tum aliunde ita manifeſtum eſt, ut ne Nicolaus quidem Papa id auſus ſit negare. Notaque ſunt hac de re non Melanchthonis tantum & recentiorum, ſed Panormitani & Gerſonis Judicia. In Presbyteriis, cur tantundem Laicis præſertim ad id delectis non liceat, nulla ratio poteſt inveniri. Sed alia quoque addamus. Conſtat in veteri Eccleſia matronas fuiſſe, quæ mulieres cæteras ad vitam honeſte inſtituendam hortarentur; quas & *πρεσβυτιδας Presbyteras* appellarunt: & quia ſupra cæteras mulieres ſedebant in Eccleſiis, *προκαθημενας priore loco ſedentes*. Abrogavit eas Canon. XI. Synodi Laodicenæ, cum ad id tempus manſiſſent, ut notat Balſamon. Ac forte de iis agit Paulus, ubi *πρεσβυτιδας Presbyteras* vult eſſe ſanctas moribus, non calumniatrices, non vino deditas, rerum bonarum Magiſtras, uti juniores fœminas doceant amare maritos, amare liberos, & quæ ſequuntur. Fulgentius Ferrandus in Canonum Breviario vult ita a Paulo nominari *τας γραοτερας των διακονισσων Miniſtrarum Seniores*. In Nicæno vocari videntur *αι εν τω σχηματι εξετασθεισαι in moribus examinatæ*. Si ergo mulieres nullius in Eccleſia muneris participes, in hoc tamen con-

(a) *Act.* 15. 2. (b) *Epiph. hær.* 71. (1) *Concil.* 5. *Carth. c.* 9. *A. D.* 401. *Sept.* 13.

conſtitui ab Eccleſia potuerunt, ut aliarum mulierum eſſent σωφρονιστριαι *caſtigatrices*, quidni præter Paſtores aliqui poterunt a plebe aſſumi, qui abſtinentes a Paſtoralibus officiis id paulo diligentius facerent, quod cuivis Chriſtiano non permittitur tantum, ſed & imperatur? Et ſi illæ dictæ πρεσβυτιδες *Presbyteræ*, & hos generaliori quadam ratione πρεσβυτερυς *Presbyteros* licebit appellare. Non longe ab adſeſſorum officio abit quoque munus *Œconomorum* & *Adſiſtentium* in Anglicana Eccleſia jampridem obſervatum, quibus incumbit curare, ne quis rei ſacræ interſtrepat, ne quis excommunicatus cœtui ſe ingerat, inordinate viventes admonere, &, ſi perſeverent, eorum nomina ad Epiſcopum deferre. Hi autem ab ipſa Eccleſia eliguntur.

20. Quartum hoc ponam, non ſpernendam utilitatem ab his adſeſſoribus haberi poſſe. Nam ſi Poteſtates Summas reſpicimus, expedit eis habere in Paſtorum conſeſsibus ſuos oculos, ſuas aures, quorum miniſterio explorent an cuncta ſatis ex fide & præſcripto agantur. Sin ad Eccleſias nos vertimus, refert ut hæ quoque de Paſtoribus optime ſentiant. Quod tum maxime fiet, ſi illorum actionibus teſtes quoſdam & velut internuntios adhibeant.

21. Apparet ex his, quæ diximus, in munere adſeſſorum, qui nonnullis in locis in uſu ſunt, (quos diſtinctionis cauſa *temporarios* aut *Laicos Presbyteros* appellare poſſumus) nihil eſſe quod poſsit reprehendi. Sed has putamus cautiones adhibendas. Primo, ne id munus affirmetur divini eſſe præcepti, quod ſine Eccleſiæ veteris contumelia & recentioris divulſione dici non poteſt. Secundo, ne quid illis tribuatur, quod ad claves Evangelicas pertineat, quas exercendas ſolis Paſtoribus a Christo datas nobis ad alios transferre non licet. Ad excommunicationem igitur, quatenus illa Paſtoris opus eſt, nihil poſſunt afferre præter conſilium. Quatenus vero excommunicatio etiam plebis eſt opus, quæ facinoroſos a ſe removere debet, eatenus poſſunt πρεσβυλευμα *decretum* facere, quod probandum plebi proponatur. Tertio cavendum, ne ad hanc adſeſsionem aliqui vocentur, qui gubernandæ Eccleſiæ, & præcipue dijudicandis controverſiis impares ſunt. Id enim periculoſum eſt, & Eccleſiæ indecorum, & paratiſsima ad ὀλιγαρχιαν *dominatum paucorum* via. Quarto videndum, ne adſeſſores iſti quidquam Juriſdictionis externæ ſive αναγκαστικης δυναμεως *poteſtatis coactivæ* exerceant, ultra quam publicæ leges ipſis concedunt. Quinto, ut norint munus ſuum, non tantum ut Paſtorum munus, quod a Chriſto eſt inſtitutum, ſed ut ea, quæ humani ſunt inſtituti ac proinde mutabilia, Summarum Poteſtatum Imperio ſubjacere. His duobus, quæ poſtrema poſuimus, ignoratis, aut non recte obſervatis, neceſſe eſt magnas reipublicæ perturbationes ſequi, ut viri prudentes jampridem monuerunt, & nos quotidie experimur. Multi enim ſemel hac opinione imbuti, divini Juris eſſe iſtud regimen, eo deinde deveniunt, ut Summarum Poteſtatum nullas aut exiguas eſſe credant in Eccleſia partes; ut cui abunde a DEO, non de Paſtoribus tantum, ſed & de Rectoribus proſpectum ſit. Ita humanæ prudentiæ repertum ordinationi divinæ ex adverſo opponitur, inque iſto Imperio duplice perpetuò ſeritur partium ac factionum ſeges: in quam non deſinunt intentos habere oculos quicunque aut in Republica aut in Eccleſia res novas quærunt. Qui meminerunt, quid *ante hos triginta annos* actum ſit in hac noſtra Patria, ſciunt quam

quam vera loquar. Atque hæc me præcipue conſideratio impulit, ne quæſtionem iſtam intactam relinquerem. Memoratu non indignum eſt, Genevæ, (quæ urbs ſi non prima ταυτην την συνεδριαν conſeſſum hunc, certe præcipuos ejus defenſores edidit) totum jus eligendi Seniores illos eſſe penes *Senatum* urbis, parvus qui dicitur, auditis duntaxat Paſtorum conſiliis. Neque tantum eligi eos a *Senatoribus*, ſed ex ſolis Senatoribus, binos nempe ex eodem parvo Senatu, & denos, tum ex Senatu ſexaginta-virûm, tum ex alio Senatu ducentorum. Electio hunc in modum facta ducentis examinanda ſubjicitur: & electi Seniores, quamquam Juriſdictionem non habeant, Sacramentum tamen Reipublicæ dicunt. Cæcus ſit oportet, qui non videat quæ incommoda Genevenſes metuerint, cum tam ſollicitam eligendi rationem inierunt.

CAP. XII.

DE SUBSTITUTIONE ET DELEGATIONE CIRCA SACRA.

SUMMARIUM.

1. *Opus Summæ Poteſtati Vicariis circa Sacra*. 2. *Arbitrium Religionis interdum ſubditis concedi*. 3. *Vicarios eſſe alios ſubſtitutos, alios delegatos*. 4. *Subſtitui aut delegari ſolere Paſtores ſolos, Paſtores cum Laicis, Laicos ſolos*. 5. *Oſtenditur jus Patronatus antiquum eſſe, & oriri a Regio jure*. 6. *De Veteri more Hollandiæ: ſimul ad auctoritates Juris Pontificii & Panormitani reſpondetur. Et quæ ſit Collegiata Eccleſia*. 7. *Minoribus Poteſtatibus nullum jure divino Imperium in ſacra competere*. 8. *Quam minimum imperii circa Sacra deferendum Poteſtatibus ſubordinatis nec niſi ſummæ proximis*. 9. *Et rectam fidem profitentibus*.

NOn ſatis Summæ Poteſtati jus ſuum noſſe, niſi & illud norit qua ratione ſuo jure optime utatur. Cum autem Summa Poteſtas quod ſui officii eſt partim per ſe, partim per alios expediat, in iis quæ per ſe expedit quo pacto prudentum conſiliis uti debeat, ſupra dictum eſt; neque piget repetere Chriſtianos Imperatores & poſtea Francos, alioſque Reges ſemper ad latus habuiſſe religioſiſſimos Paſtores, quorum conſiliis ſacra non minus, quam aliorum ſuggeſtione profana diſponerent: Sed ne ſic quidem Summa Poteſtas, cujus vis per res tot ac tantas diffunditur, omnibus explicandis par eſt, ſed neceſſe eſt ut & vicaria aliorum utatur opera. *Graviſſimi labores*, inquit auctor ſapiens, *ejus qui orbem terræ capeſſit, egent adminiculis*. Et multa negotia multis egent adjutoribus. Strepunt Juriſconſultorum ſcholæ hac diſputatione, *Quænam partes Imperii a Summa Poteſtate mandari aliis poſſint*. Omnia quæ ad hanc quæſtionem pertinent, referre pigeat, neque hujus ſit inſtituti. Quædam ſunt quæ a Summæ Poteſtatis jure ſeparari nequeunt; alia quæ

quæ ob ſui magnitudinem alteri communicare non expediat. Prioris generis eſt jus, leges etiam ab aliis latas emendandi, jus reſcindendi inique judicata, ſi non per viam appellationis, certe per viam ſupplicationis, jus irritas faciendi electiones quæ contra utilitatem ſint Reip. aut Eccleſiæ. Poſterioris iſta, *arbitrium religionis*, & maximorum Paſtorum tum electio, tum depoſitio: quæ plerumque Summæ Poteſtates ſibi reſervarunt, non tamen perpetuo.

2. Nam & *arbitrium religionis* ſubditis quibuſdam ſive Principibus, ſive Univerſitatibus conceſſum videmus, ita exigente temporum neceſsitate. Neque id novum adeo, cum Perſæ quoque, Macedones & Romani Judæis, aliiſque nationibus ſibi parentibus ſacrorum libertatem concesserint. Romanos quoque & Conſtantinopolitanos Antiſtites ſcimus non ſemper ab Imperatoribus electos.

3. Modi mandandi juris duo ſunt, *ſubſtitutio* & *delegatio*. Subſtitutionem voco mandatum quod lege aut privilegio datur; Delegationem quod conceſſu ſpeciali.

4. Solitum Summis Poteſtatibus Epiſcopos ſubſtituere ſupra oſtendimus. Inde enim emanat jus Canones faciendi, qui vim legis habeant, jus cum Imperio deponendi Paſtorem, aut civem extra cœtum relegandi, quæ Synodis aut Presbyteriis permiſſa apparuit. Nec aliunde eſt jus Cleri ſive Capitulorum ad peragendas electiones: ut multis Imperatorum ac Regum Diplomatis oſtendi poteſt: quibus in rebus laudanda certe veterum Imperatorum ac Regum pietas. Exiſtimarunt enim his qui rerum ſacrarum eſſent peritiſsimi, & quibus regimen Paſtorale, a DEO commiſſum, alterum illud quod ab Imperio emanat, regimen tuto quoque poſſe committi. Sed utinam non illos in tam honeſto propoſito ſæpe exitus feſelliſſet. Interim monendi ſunt qui non ferunt Paſtores ulla ex parte Summarum Poteſtatum vicarios dici ut tandem aut ratione, aut juris atque hiſtoriarum auctoritate permoti hunc errorem deponant. Alibi videmus rerum ſacrarum curationem mandatam ſimul Paſtoribus atque aliis extra Paſtores viris piis & eruditis, idque non ſine divinæ auctoritatis exemplo. Jam enim demonſtratum eſt, magnum Synedrium ſeptuaginta virum apud Hebræos, cui inter alia ſacrorum quoque cura incubuit, conſtitiſſe *ex Sacerdotibus, Levitis & delectis e reliqua populi parte*. Non dubium quin in Sacris (imo & in Judiciis omnibus, ni fallor) Sacerdos magnus ante alios ſententiam dixerit. Ita tamen ut Regis Vicarius, qui *Naſi* dicebatur, primas in conſeſſu obtineret, & ſententias exquireret, ad quod exemplar compoſitum video in Palatinatu Senatum qui ſacris præſidet. Hanc conjunctionem Poteſtatum minorum cum Epiſcopis in Legibus quoque invenio. Novella enim Juſtinian. XVI. cap. 11. ſic habet, *Neque occaſione religionum hæreſiumque quæſtionis permittas* (ad provinciæ præſidem ſermo eſt) *alicui provinciam commovere, aut aliter quandam præceptionem injungi provinciæ cui præſides: Ipſe vero providebis cum competenti utilitate fiſcalibus: & quæ alia ſunt perſcrutari, & non permittere fieri aliquid contra noſtras præceptiones occaſione religionum; Si vero canonicum ſit quod quæritur, una cum Metropolitano provinciæ hoc diſponere & decernere, ſive Epiſcopi dubitent, ſive alii quidam; Et cauſæ dare DEO amabilem terminum; qui & decenter Orthodoxam cuſtodiat fidem & indemnitatem procuret fiſcalibus, & noſtros ſubjectos ſervet inviolatos*. Certum eſt in depoſitione Epiſcoporum conveniſſe Judicia Synodi & Senatorum aut Judicum quos Imperatores adjunxerunt. Ita Photinus

tinus Epiſcoporum ſimul & Senatorii Ordinis virorum Judicio deponitur: quorum nomina ſunt apud Epiphanium (*a*). Ita de Sixti tertii Epiſcopi cauſa juſſu Valentiniani in Seſſoriani atrio Senatores & Presbyteri cognoverunt (1). Eidem mori acta etiam Chalcedonenſis Synodi teſtimonium perhibent tum in Dioſcori cauſa, tum in cauſa Epiſcoporum Tyriæ Diœceſeos: Nam & depoſitio & reſtitutio non minus Senatoribus ac Judicibus quam Epiſcopis tribuitur (*b*): Interdum ergo Poteſtates minores adjunctæ Paſtoribus tantum ut vim ac tumultum arcerent; quemadmodum Candidianus Comes in Epheſina Synodo; εκδικος *defenſor* in Eccleſiis: interdum ut una jus dicerent. Non aliter & in electione Epiſcoporum, Urbanos Magiſtratus cum Clero conjunxit Lex Juſtinianea, quem morem non illis primum cœpiſſe temporibus e Theodoreto diſcas (*c*), qui poſt mortem Athanaſii Petrum narrat Antiſtitem factum συμψηφων γεγενημενων των ιερωμενων και των εν τελει και αξιωμασι, *communi ſuffragio Sacerdotum, eorumque omnium qui magiſtratum gerebant, & in dignitate conſtituti erant*. Evenerunt & ea tempora, ut propter ſchiſmata aut typhum Epiſcoporum neceſſe eſſet has partes graviſsimas, ſacra cum Imperio curandi Poteſtatibus minoribus, & quidem ſeorſum ab Epiſcopis, mandari. Nam de cauſa Donatiſtarum Ælianus (*) Proconſul Conſtantini, & Marcellinus (**) Honorii mandato cognovit, atque inter partes ſententiam tulit, ut ſupra annotatum eſt. Et in aula Conſtantinopolitana Patriciorum unus ſpeciatim Eccleſiæ rebus vacabat; unde & nomen ejus officio datum. Sic & Galliæ Parlamenta per appellationem; Hiſpaniæ Senatus per oppoſitionis viam; Hollandica Curia per mandata pœnalia, Cenſuræ Eccleſiaſticæ errores emendavit. Sed & jus Paſtores eligendi (illibato Paſtoribus alios ordinandi & populo δοκιμασιας *explorationis* jure) ſæpe ſolis Laicis conceſſum, apertius eſt quam ut doceri debeat. Et hoc eſt *Jus Patronatus*, quod non apud nos tantum, ſed & in Anglia & Palatinatu valere ex Canonibus Anglicanis & Palatinis conſtitutionibus apparet.

5. Sicut autem eorum pietatem non reprehendimus, qui ſollicite cavent ne quid hujus juris obtentu in perniciem Eccleſiæ peccetur, ita veritas a nobis exigit ne ſilentio prætereamus aſſertionem eorum temerariam; qui hoc Jus & nuperum eſſe dicunt & niti Jure Papali; Atqui non nuper & ſub Paparum dominatu vixit Imperator Juſtinianus, qui illud ipſum Jus hac edita lege (*d*) ſtabilivit, *Siquis Orator domum fabricaverit & voluerit in ea Clericos ordinare* (hic *ordinare* pro *eligere* tranſtulit Latinus interpres) *aut ipſe aut ejus heredes, ſi expenſas ipſis Clericis miniſtrant & dignos denominant, denominatos ordinari, ſi vero qui ab eis eliguntur, tanquam indignos prohibent ſacræ Regulæ ordinari, tunc ſanctiſſimus Epiſcopus quoſcunque putaverit meliores, ordinandos procuret*. Hæc lex a Juſtiniano eſt edita circa annum Dominicum IↃXLI. (*e*) quo tempore Romani Epiſcopi Imperatorum erant Epiſcopi, & ab Imperatoribus creabantur. Eſt & ſimilis Imperatoris conſtitutio (*f*),

---

(a) *Hær.* 71. (1) *Et* 56. *Epiſcopi. Vide lib. Pontif.* (b) *Balſ. ad Can.* 29. *Chalced.* (c) *Lib.* 4. 6. 20. (*) *A. D.* 314. (**) *A. D.* 411. (d) *Novell.* 123. *cap.* 18. (e) *A. D.* 541. *Maii.* 1. (f) *Novell.* 157. *A. D.* 538.

quæ edita creditur anno IↃLV. & inſcripta eſt Epiſcopo Conſtantinopolitano. Quæ permittit ædificatoribus Eccleſiarum aut alimentorum erogatoribus Clericos ſtatuere, ſi tamen Epiſcopali examine digni reperiantur. Anno autem IↃLIII. in Concilio Toletano (a) factus eſt hic Canon: *Decernimus ut quamdiu fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites exſtiterint, pro iiſdem locis curam permittantur habere, & ſollicitudinem ferre præcipuam, atque rectores idoneos in eiſdem Baſilicis iidem ipſi offerant Epiſcopo ordinandos: quod ſi ſpretis eiſdem fundatoribus rectores ibidem præſumpſerit Epiſcopus ordinare, & ordinationem ſuam irritam eſſe noverit, & ad verecundiam ſuam alios in eorum loco, quos iidem fundatores elegerint, ordinari*. Circa annum IↃCCCXXVII. Conſtitutiones Caroli Magni collegit Anſegiſus, in quibus hoc invenire eſt: *Si Laici* (Patroni nimirum) *Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos, ſuiſque in Eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione eos rejiciant*. Nec Paſtores tantum minores, ſed Epiſcopos quoque conſtituendi jus, Germaniæ Imperatores Bavariæ Ducibus ac Saxoniæ jampridem contulerunt, ut ab aliis obſervatum eſt. Cum alioqui Epiſcopos *inveſtire* (ut olim ſcripſit Helmodus) *ſolius ſit Imperatoriæ Majeſtatis*. Ex Imperatorum ergo & Regum conſtitutione ac conceſsione jus hoc originem traxit, eſtque ἀποῤῥώξ quædam e Jure Summæ Poteſtatis emanans. Jure Papali ut nitatur tantum abeſt, ut contra ejus Juris conditores atque interpretes nihil tanto conatu aut oppugnaverint aut circumciderint, ut qui perſuaſum orbi cuperent, omnia beneficia patrimonium eſſe Papæ. Hos inter præcipuus Panormitanus, quem ego mihi adverſarium in re tali, quam ſuffragatorem multo malim. Scio enim pleraque ejus hac in parte commenta a Covarruvia & Duareno (Covarr. part. 2. Relig. c. Poſſeſſ. §. 10. num. 2. Duaren. lib. 3. num. de Eccleſ. Miniſtr. cap. 11.) aliiſque Iuriſconſultis refutata, ſemperque viros prudentes hac in parte ab illorum temporum Clero diſſenſiſſe ad hæc noſtra uſque tempora.

6. Vel ea videamus quæ Hollandiæ Senatus, ut avito Gentis noſtræ Juri contraria, in Tridentinæ Synodi actis annotarit ad Seſſ. IV. cap. 12. *Videntur hoc capite Patroni laici gravari*. Et mox. *Animadvertendum an ex verbis atque ipſa mente Concilii alicui auferetur jus patronatus ſi beneficium, cujus jus Patroni jam obtinent aut potius retinent, non ſit ſufficienter dotatum.* Ad Seſſ. XXI. c. 5. & Seſſ. XXV. c. 4. *Cavendum videtur, ne in uniendis Eccleſiis Parochialibus atque etiam ſimplicibus beneficiis præjudicetur Patronis laicis*. Ad c. 9. Seſſ. 22. *Cum de jure Laici poſſint eſſe rectores Eccleſiarum, & in provincia Hollandiæ hactenus de conſuetudine ſit obſervatum quod de eadem adminiſtratione conveniantur coram Judice Laico, &c.* Et mox: *Cum hæc cognitio pertineat ad Dominos temporales, etiam illos quos* Ambachts-Heeren *vocant & alios Magiſtratus ſeculares, & durum videretur in prædicta conſuetudine quicquam immutare*. Et ad cap. XVIII. Seſſ. 23. *Læderet jura Patronatus laicalis*. Hæc tum Senatui veterum Patriæ noſtræ conſuetudinum cuſtodi viſa, quæ a nobis defendi multo eſt æquius, quam ea, quæ majores noſtri, illo quoque tam inſe-

(a) *Conc. Tolet. 9. c. 2.*

infelici tempore non toleranda cenſuerunt. Quid ſi vero nec ipſi quidem Romani Pontifices, ne ipſe quidem Panormitanus hæc auſi ſunt a Patronis laicis poſtulare, quæ nunc ſub illorum ſcilicet auctoritate poſtulantur? De voce non diſputabo, an Collatio Patroni *Electio* ſit dicenda: & tamen ſic eam dici apparet a Clemente III. in capit. *nobis* de Jure Patron. Citantur ex d. c. *Nobis* hæc verba: *In conventuali Eccleſia non electioni Prælati faciendæ, ſed jam factæ honeſtius Patroni poſtulatur aſſenſus*, omiſsis quæ ſequuntur & ad rem plurimum faciunt: *niſi aliter de ſua Juriſdictione obtineat*. Aliter enim jam multis a ſeculis, multiſque in locis uſus obtinuit. Et in hac nominatim Hollandia: Senatum iterum teſtem dabo: Is ad c. 1. Seſſ. 5. Synodi Trid. hæc adſcripſit: *Notandum quod ſi prima præbenda vacatura adſignetur etiam in Eccleſiis collegiatis pro Lectoribus ſacræ Theologiæ, Regia Majeſtas atque etiam alii Patroni laici, quibus in Hollandia paſſim jus patronatus in Eccleſiis collegiatis competit, in ſingulis Capitulis præſentatione primum vacaturæ præbendæ fruſtrarentur*. Multum errant qui in 1. cap. *Nobis*, beneficium Eccleſiæ conventualis interpretantur illud, cui onus Sacerdotis incumbit, ſeu quod publico officio eſt deſtinatum. Et audent citare Panormitanum, nimirum ut ex ipſorum ſubſelliis contra ipſos teſtimonium ferat. Ita enim ille: *Patronus habet præſentare Rectorem in qualibet Eccleſia non collegiata etiamſi ſit Parochialis: quod jura non excludunt Patronum a præſentatione Rectoris niſi in Eccleſia collegiata.* Quis non videt idem eſſe Eccleſiam conventualem aut collegiatam? Gloſſator ad illud verbum capituli; *Conventualis dicitur ex quo duo vel tres in collegio ſunt*. Collegium eſt capitulum Canonicorum. In Eccleſia tale collegium habente Papa vix admiſit Patronum laicum. At Imperatores, Reges & noſtræ Hollandiæ Principes, ut jam audivimus, ad Patrum uſque memoriam admiſerunt. Ideoque Papa metuens ne non pareretur, exceptionem conſuetudinis decreto ſuo addidit, quam multi ut apparet hodie, ſi ipſis Papatum dares, non adderent. Ordines noſtros jus Patronatus abrogaſſe neque verum eſt, neque ſine eorum injuria dici poteſt. Meminerunt enim inter cauſas motuum fuiſſe Acta Synodi Tridentinæ, eorumque publicationi nihil validius obſtitiſſe, quam quod Patroni laici jus ſuum illis conſtitutionibus infringi quererentur. Nos quid Ordines hac de re ſentiant, ipſorum voce jam modo protulimus. Illud verius tum factam a Patronis electionem juſtis de cauſis a Summa Poteſtate reſcindi poſſe, tum jus hoc omne non minus quam cætera quæ privatorum ſunt propria, Legum Imperiis ſubjacere. Quibus frenis ſi accedat tum exploratio plebis, tum Paſtoralis ordinatio, non magis a Nobilibus Patronis, quam a ruſticis Senioribus metuenda erit Eccleſiæ labes.

7. Addenda ſunt duo, priuſquam hanc de jure mandato partem abſolvam. Prius eſt inferioribus Poteſtatibus nullum plane in ſacra Imperium divino jure competere: quicquid enim habent, id habent ut *a Rege miſſi*, quemadmodum alibi notavimus. Quare neque Joſepho Decurioni, neque Proconſuli Sergio, plus quam privato cuipiam in Eccleſia licuit. Quia ad diſponendas res Eccleſiæ Chriſtianæ nullam aut hic a Romano Imp. aut ille a magno Synedrio acceperat Poteſtatem. Non debet autem quiſpiam aut gladium aut gladii partem ſibi arripere.

8. Alterum hoc eſt, cum Eccleſiæ tutela præcipua ſit pars Summi Imperii, ſapien-

pienter facturas Poteſtates, ſi ejus quam minimum Magiſtratibus conceſſerint; & ſi quid omnino ſit concedendum, videant ſaltem ne hæc nobiliſsima munia commendent, niſi proximis faſtigio ſuo Poteſtatibus. Nam ſi cognitiones de moneta & ære fiſcalibus, non municipalibus Judicibus, ſed ſublimioribus collegiis ſervantur: quanto magis & ad ſalutem publicam & ad dignitatem Eccleſiæ pertinet res Eccleſiaſticas ad minora tribunalia non deferri. Ita in Gallia de Eccleſiaſticæ Cenſuræ abuſibus, qui infra Parlamentum ſunt, Judices non cognoſcunt; neque apud nos olim qui infra Senatum Hollandiæ.

9. Sed non temere illis rerum Eccleſiæ inſpectio deferenda eſt, qui in Eccleſiæ cenſu non ſunt. Cum enim & Judæis & Chriſtianis nefas ſit habitum privatas querimonias deferre ad ſuæ Legis extraneos, multo magis in tanta recte de fide ſentientium frequentia indignum ſit & pudoris plenum ipſa Eccleſiæ vulnera aliis potius, quam Eccleſiæ filiis curanda committi.

DAV.

DAV. BLONDELLI
DE
JURE PLEBIS
IN REGIMINE ECCLESIASTICO
DISSERTATIO.

PUDOREM omnem perfricata ſæpius fronte deterſiſſe meraque monſtra loqui videri poſsint, quotquot dejectam jam dudum ad Cleri pedes, Chriſti plebem, Eccleſiaſtici regiminis partes ullas, quocunque modo ac titulo contingere jus faſque eſſe dixerint; cum præſertim ante ſæcula ad minimum quatuor, eam (ceu profanum vulgus) *ſcripturarum ſublimitate* (*a*) procul arcendam, ſi quis *præſumpſerit ſimplex* (ex legis *beſtiam* (*b*) *quæ montem tetigiſſet lapidandam* ſciſcentis præſcripto) ſevere, imo plane αποτομως vindicandum pronunciaverit Innocentius III. laicis vero quibuſcunque librorum ſacrorum in linguam vulgarem verſione qualibet Gregorius IX. *Concilii Toloſæ* A. D. 1229. congregati c. 13. & Innocentius IV. *Epiſt. ad Metenſes* tertia, *penitus interdixerint*, An (quod nunc Romanæ ſedis admiratores ajunt) *ex cathedra*? Non certe Petri, quem (*c*) *Spiritu Sancto* (*d*) *in veritatem omnem deducturo unctum*, imo illius actu cum cæteris (*e*) *ſanctis Dei hominibus* φερομενον, præter ea, quæ (*f*) *electionis vas* (*g*), *in quo Chriſtus locutus eſt*, Hebræos docuit, vel ſenſiſſe vel mandaſſe quicquam tale nemo ſanus crediderit: Quis enim Chriſtianos (*h*) *Dei* (*a puſillo* (*i*) *ad magnum*) *docibiles*, *unctionis* (*k*) *a ſancto* participes (*l*) *Dei vivi filios*, *genus electum* (*m*), *ſacerdotium regale*, *gentem ſanctam*, *acquiſitionis populum*, rationalem gregem, λογικον και αδολον γαλα ab ipſo in Chriſto natali *concupiſcere*, ſeque (*n*) *hoſtiam vivam* & λογικην λατρειαν Deo exhibere juſſum, *beſtiis* quomodocunque accenſeri, aut (*o*) ad *Sion*

(a) *Epiſt. ad Metenſes Decretal. lib.* 5. *tit.* 7. *cum ex injuncto edit. A. D.* 1606. *Lugd. p.* 691. *l.* (b) *Exod.* 19. 13. (c) *Act.* 10. 38. (d) *Joan.* 16. 13. (e) 2. *Pet.* 1. 21. (f) *Act.* 9. 15. (g) 2. *Cor.* 13. 3. (h) *Joan.* 6. 45. (i) *Heb.* 8. 12. (k) 1. *Joan.* 2. 20. (l) *Rom.* 9. 26. (m) 1. *Pet.* 2. 2. (n) *Rom.* 12. (o) *Heb.* 12. 22. 23. 18. 19.

Sion montem, *Dei vivi civitatem*, *Jeruſalem cæleſtem*, & *Angelorum myriadas*, cum *primogenitorum in cœlis conſcriptorum Eccleſia* vocatos, ad Sina ψηλαφωμενον, *igne ardenti*, *turbine*, *caligine*, *procella*, *tubæ ſonitu*, & tonanti *verborum voce* horrendum montem, quem Moſes unus (*a*), ſubſidente ad radices extra præfixorum terminorum ambitum cum populo univerſo, ſacerdotum choro, conſcendit, ſub clara Novi Teſtamenti luce, contra Pauli mentem (*b*) *ſpiritu ſervitutis* iterum ſubigendos revocari ferat?

Ne quem vel tantillum φιλοπρωτευοντων, (qui per calcatam Dominicam familiam (*c*), cujus ſe *propter Jeſum ſervos* cum Paulo ex animo profiteri debuerant, ad divinos honores poteſtatemque, quam ſibi quomodocunque arrogant, ab olim graſſati ſunt) præjudicia moveant (*d*), *ad divinæ traditionis caput & originem reverſi*, *conſuetudinem ſine veritate*, *erroris vetuſtatem* aperto ore pronunciare auſorum veſtigia premere, *nec* (*e*) *ab eo quod Chriſtus Magiſter &* (per ſe) *præcipit*, *&* (per Apoſtolos) *geſſit*, *humana & novella* (quantamcumque vetuſtatem mentiatur) *inſtitutione decedere* toto mentis niſu conabimur.

Petrum qui primus (*f*) *clavem imbuit*, fundandæque inter Judæos (*g*) & Gentes (*h*) Eccleſiæ Dux fuit, ille ipſe qui origo noſtra eſt & Canon Chriſtus, iterata fratrum monita ſpernentes communi *fraternitatis* cenſuræ ſubiicere docuit (*i*), *ſi* (inquit) *eos non audierit*, *dic Eccleſiæ*, *ſi autem Eccleſiam non audierit*, *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. *Amen dico vobis*, *quæcunque alligaveritis ſuper terram*, *erunt ligata in cælo*, &c. Hilarius in Matth. can. 18. *Eum ordinem continendæ charitatis nobis Dominus impoſuit*, *quem ipſe in conſervando Iſrael tenuerat*, *jubet enim peccantem fratrem ab eo ſolo in quem peccaverit corripi atque objurgari*. *Ipſe enim ſacrificantem Diis alienis populum Judaicum Majeſtatis ſuæ adventu*, *& toto præſentis poteſtatis terrore corripuit*; *tum cum idem populus Dei propinquantis adventum extra montem licet poſitus ferre non potuit ob inobedientiam*, *unum atque duos juſſit adhiberi*, *ut in ore duum teſtium fides verbi ac veritas maneat*, *quia inſolenti Iſraeli lex*, *& prophetæ & Joannes eſt miſſus teſtibuſque iſtis ut peccare deſineret*, *conventus eſt*. *Tertio ipſo Domini adventu tanquam cœtu Eccleſiæ inſpectantis admonitus eſt*.

Chryſoſtomus (*k*) *dic Eccleſiæ*, τουτεστι τοις προσεδρευουσι *hoc eſt aſſiſtentibus*: & paulo ante, δια τουτο πολλακις εκεινον προς τουτον αγει, νυν μεν μονον, νυν μεθ᾽ ἑτερων, ει δε επιμενοι και μετα της εκκλησιας, *ideo illum læſum*, *ſæpius ad hunc ledentem mittit*, *modo ſolum*, *modo cum aliis*, *ſi vero animum obfirmet*, *etiam cum Eccleſia*. Hieronymus & Beda: *ſi nec illos audire voluerit*, *tunc multis dicendum eſt*, *ut deteſtationi eum habeant*, *& qui non potuit pudore ſalvari*, *ſalvetur opprobriis*.

Ori-

(a) *Exod.* 19. (b) *Rom.* 8. 15. (c) 2. *Cor.* 4. 5. (d) *Cyprian. Epiſt.* 74. (e) *Epiſt.* 63. (f) *Tertull. de Pudic. cap.* 21. (g) *Act.* 2: 19. (h) *Act.* 10. 34. (i) *Matth.* 18. 16. 17. (k) *In Matth. homil.* 61.

Origenes vel potius Ruffinus (*a*), *rationis* eſt &c. *ſi non audierit*, *non prius eum expelli de Eccleſia, niſi priuſquam & coram teſtibus argutus, & ab Eccleſia perſtiterit in actu priori*: & Homil. 7. in Joſue: *uno peccante ira Dei ſuper omnem populum venit*, &c. *quando Sacerdotes qui populo præſunt erga delinquentes benevoli videri volunt, & verentes peccantium linguas* (*ne forte male de eis loquantur*) *ſacerdotalis ſeveritatis immemores nolunt complere quod ſcriptum eſt* (*b*); peccantem coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant, & *iterum* auferte malum a vobis ipſis.

Nec zelo Dei ſuccenſi imitantur Apoſtolum dicentem: Tradidi hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis ut ſpiritus ſalvus fiat (*c*): *Nec illud Evangelii complere ſtudent, ſi viderint peccantem, primo ſecrete eum conveniant, poſt etiam* duobus vel tribus adhibitis teſtibus (*d*), quos ſi contempſerit, & *poſt*, Eccleſiæ *correctione non fuerit emendatus, de Eccleſia expulſum velut* Gentilem *habeant*, aut publicanum & *dum uni parcunt, univerſæ Eccleſiæ moliantur interitum*.

Pacianus Barcinonenſium Epiſcopus (*e*), *Illud* (ſi in te peccaverit) *uni juſſit: hoc* (quæcunque ſolveritis) *pluribus relaxavit, illud ipſe ſolvit in quem adnititur: hoc vero Eccleſia; illud ſine ſacerdote, ſine fratribus, hoc ab omnibus impetratur*. Auguſtinus, *refer ad Eccleſiam*, mox adhibito elucidationis gratia Pauli 1. Tim. 5. loco, *diſcernere debemus* &c. *aliquando corripiendum fratrem inter ſe & ipſum ſolum, aliquando corripiendum fratrem coram omnibus* (*f*), &c. Incertus, quem alii Eucherii Lugdunenſis, alii Euſebii neſcio cujus Gallicani nomine venditant (*g*). *Dic Eccleſiæ, quatenus vel omnium objurgatione erubeſcat, qui paucorum humili allocutione ſatisfacere noluit* &c. Amen dico vobis &c. *Hoc Epiſcopi audiant, & hunc ligandi & ſolvendi ordinem teneant; prius ſingulariter, aut per ſe, aut per alium peccantes conveniant; deinde cum paucis; poſtmodum vero cum tota Eccleſia; quam ſi audire contempſerint, jam tunc eos ligare non dubitent*.

Chriſtianus Drutmarus, *dic Eccleſiæ, ut qui noluit converti, cum pudore convertatur multorum improperationibus*. Paſchaſius in Matth lib. 8. *ſi ille contempſerit te audire, & eos quos poſtea tecum adhibuiſti, inſuper & Eccleſiam cum qua deget, ſicque peccatum ſuum ac ſi juſtitiam defenderit; talis deinceps non debet computari inter fratres nec in Eccleſia converſari*, &c. *quod ipſe primum implevit in populo quem elegit, unuſquiſque impleat in proximo ſibi conjuncto, ut in ore duorum teſtium fides verbi ac veritas maneat incorrupta*, ex Hilario. *Nam ad inſolentiam populi peccantis, primum lex correptionis miſſa eſt, & ſolus legiſlator, eum eis corripiendo conſlixit. Deinde prophetia & Joannes miſſus eſt ad eos cum ipſa eademque lege, & iſtis teſtibus conventus eſt idem populus, ut peccare deſineret. Tertio itaque ipſo Domini adventu, tanquam coram omni Eccleſia inſpectante admonitus eſt*. Theophylactus: εαν δε και επι δυο μαρτυρων ἢ τριων ελεγχθεις μη δυσωπηθη, τοτε επι των

της

(a) *Tract. 6. in Matth.* (b) 1. *Tim.* 5. 20. (c) 1. *Cor.* 8.
(d) *Matth.* 16. (e) *Epiſt.* 3. *ad Sympron.* (f) *De verbis Dom. Serm.* 16.
(g) *Feria* 3. *poſt.* 3. *Domin.*

της εκκλησιας προεδρων δημοσιευσον το πταισμα, επει γαρ ουκ ησχυνε των δυο ἢ τριων, &c. ὑπο της εκκλησιας λοιπον σωφρονισθητω, *ſi coram duobus aut tribus teſtibus correptus nequaquam erubeſcat; tunc cum Eccleſiæ præpoſitis lapſum publica, poſtquam enim duos aut tres non audiit*, &c. *de reliquo ab Eccleſia caſtigator*. Gloſſa interlin. *dic Eccleſiæ, ut objurgatio plurimorum eum corrigat*. Thomas: *Dic Eccleſiæ, id eſt toti multitudini, ut confundatur; & qui noluit ſine confuſione corripi, cum confuſione corripiatur*.

Juvencus ipſo Hilario prior, cum ſub Conſtantino Magno circa annum 330. ſcripſerit, Evangelicæ hiſtoriæ lib. 3.

Si fratrem proprio delicto commaculatum
Cernis, ſecreto mox dictis corripe ſolus.
Si tua verborum patiens moderamina laudat,
Labentis mentem frater lucrabere fratris.
Sin tua ſolius contemnet verba reluctans,
Tunc aliis pariter monitor pia juſſa frequentes.
Sed ſi decutiet doctorum fræna duorum,
Tunc ad Concilium referantur crimina plenum;
Ut populi *ſaltem ſanetur pondere victus.*
Sin & multorum contempſerit efferus ora,
Sit tibi diverſæ mulctatus nomine gentis.

Euthymius & Trapezuntius Chryſoſtomi interpres non προσεδρευουσι *aſſiſtentibus*, ſed προεδρευουσι *præſidentibus dicendum* cenſuerunt, quod etſi aliter videri poſſit, eodem recidit; cum (Cypriano teſte (*a*)) *omnis actus Eccleſiæ per præpoſitos gubernetur*, quibus *parere* & *ſubjacere* fraternitas univerſa teneatur, ut nec ſine ipſis quicquam per ſe ſtatuat; nec ipſi ſine amica conſiliorum cum ea conſociatione, *clavium* poteſtate (quam ejuſdem nomine exercent) utantur.

Hinc enim Auguſtinus (*b*), Apoſtolos, cum ait illis Dominus, *Accipite Spiritum Sanctum, ſi cujus remiſeritis peccata, illi remittentur*, &c. *perſonam geſſiſſe Eccleſiæ, ſic eis hoc dictum eſſe, tanquam ipſi Eccleſiæ diceretur, pacem Eccleſiæ dimittere peccata, & ab Eccleſiæ pace alienationem tenere peccata, non ſecundum arbitrium hominum, ſed ſecundum arbitrium Dei, & orationes ſanctorum ſpiritualium qui omnia judicant, ipſi autem a nemine judicantur* (c), &c. *columbam tenere, columbam dimittere* monuit.

Non diverſi abeunt Ammonius (*d*), *Cœleſtis parentis circa nos benignitatem oſtendit modis omnibus formulam eſſe agendi cum lapſis fratribus, quo animas illorum lucremur: dum ſolicite primo arguimus ſoli, deinde adhibitis arbitris, ac mox Eccleſia, poſtremo tantiſper abjicimus dum illos pudeat delicti, ratum deinde ac firmum ſe in cælis habiturum, quicquid illi in terris ſuo nomine collecti ſtatuerent*.

Origenes, ſi tamen a Ruffino non interpolatum ſtatuere debeamus, *Juſte ligavit, qui*

(a) *Epiſt.* 27. *Hebr.* 13. 17. (b) *De Bapt. lib.* 3. 6. 18.
(c) 1. *Cor.* 2. (d) *Harmonia*.

qui ter arguit, & non eſt auditus, &c. *illa quæ ſuperius ſoli Petro dicta ſunt, videntur etiam iſtis omnibus dicta, qui ter peccantes arguerint, ſi auditi non fuerint; & alligaverint ſuper terram judicantes peccatorem ſicut publicanum & ethnicum.* Chryſoſtomus, ουκ ειπε τῳ προεδρῳ της εκκλησιας δησον τον τοιουτον, αλλ' εαν δησης, αυτῳ τῳ λελυπημενῳ το παν επιτρεπων, *non dixit Eccleſiæ præpoſito*, eum qui talis eſt, liga, *ſed ſi ligaveris, totum ei qui contriſtatus eſt permittens.*

Paſchaſius (*a*), *Juſte ligatur, qui toties, coramque tot teſtibus, & coram Eccleſia ab omnibus increpatus & convictus eſt, ſi ſe noluerit emendare nullumque jam ultra lædere; propterea ille talis alligatus eſt apud omnes qui ſunt in cælo.* Theophylactus: Εαν συ, φησιν, ὁ αδικηθεις εχης ὡς τελωνην και εθνικον τον αδικουντα, εσαι και εν τῳ ουρανῳ τοιουτος, εαν δε λυσῃς αυτον, τουτεστι, συγχωρησῃς, εσαι και εν τῳ ουρανῳ συγκεχωρημενος, ου γαρ μονον ὁσα λυουσιν οἱ ἱερεις εισι λελυμενα, αλλ' ὁσα και ἡμεις οἱ αδικηθεντες ἠ δεσμουμεν ἠ λυομεν, κακεινα εσαι δεδεμενα ἠ λελυμενα, *Si tu* (inquit) *injuria affectus, eum qui injuria affecit velut publicanum & Gentilem habes, talis erit & in cælo: ſi vero ſolveris ipſum, hoc eſt ignoveris, erit & in cælo venia donatus, nec enim ea ſola quæ ſacerdotes ſolvunt, ſoluta ſunt; ſed quæcunque nos etiam injuria affecti vel ligamus vel ſolvimus, ea etiam ligata vel ſoluta erunt.* Quare nec immerito, nec ex privata ſententia Auguſtinus (*b*), *Cœpiſti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra; ſed ut juſte alliges vide; nam injuſta vincula dirumpit juſtitia. Cum autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo, ſolviſti illum in terra; cum ſolveris in terra, ſolutus erit & in cælo.*

Sed inique admodum & adverſus priorum omnium mentem Bellarminus (c), *Adde ſuo quodam modo poſſe pontificem hoc præceptum implere, primum enim debet eum qui peccavit, corripere privatim; deinde adhibere teſtes, poſtremo dicere Eccleſiæ id eſt ſibi ipſi ut præſidi, & Eccleſiæ cui ipſe præeſt, id eſt publice eum excommunicare.*

Quis enim jura illa, quæ *promiſcua generalitate neminem ſibi eſſe judicem debere* decreverunt (*d*), Urbico Papæ *in re propria licentiam* ullo caſu *tribuiſſe ſententiæ* in animum ſobrius inducat, ut cujus eſt de injuria queri, violatæ charitatis reum peragere & in jus ducere, ejuſdem (poſita actoris perſona) pœnas irrogare, ſibique & adverſario jus dicere, *Chriſti ſervorum ſervum* alia, quam cæteri Dominici ovilis cuſtodes, lege vivere, juris abſolute exlegem factum ſtatuat? Æque falſum eſt quod ibidem Bellarminus ſubjungit, *eo* (quem ſcilicet commentus eſt) *modo* Matthæi *locum B. Gregorium lib.* 4. *epiſt.* 33. *ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum intellexiſſe*: ſtat enim contra ratio, ſtant cum ratione diſerta Gregorii verba. *Servamus* (inquit) *quod veritas præcepit, dicens*, Si peccaverit in te frater tuus &c. *Ego itaque per reſponſales meos ſemel & bis humilibus, hoc quod in tota Eccleſia peccatur, corripere ſtudui; nunc per me ipſum ſcribo. Quicquid facere humiliter debui*,

(a) *In Matth. lib.* 8. *cap.* 18. (b) *Serm.* 16. *de verbis Domini.*
(c) *De Concil, auctorit. lib.* 2. *cap.* 19. §. *Reſp. quando.* (d) *Cod. Theod. l.* 2. *tit.* 2.

bui; non omiſi. Sed ſi in mea correptione deſpicior, reſtat ut Eccleſiam debeam adhibere.

Ut ut actionem ſuam adverſus Joannem ad Dominici mandati amuſsim exactam præ ſe tulerit, reipſa non exegit Gregorius, nec *per reſponſales* & epiſtolam conventum adverſarium, ad Eccleſiæ judicium antequam teſtibus adhibitis eum urſiſſet, vocare jure potuit; ſi *reſponſales* eum teſtium loco habuiſſe fingamus, ordinem lege Chriſti, quæ fratrem a fratre privatim reprehendi primum, exinde teſtes adhiberi, ac tandem contumacem ad Eccleſiæ tribunal trahi jubebat, præfixum invertit, teſtes *ſemel & bis* in eum excitans, quem nondum per ſe coarguerat: Sed teſtes nec revera fuerunt *reſponſales*, per quos ipſe faſtu turgentem Joannem officii monuit, nec eſſe debuerunt, quos ipſe *ſinu produxit*, *imo quibus imperavit*, ut alieno nomine agerent: uteunque ſit cum ſibimetipſi *Eccleſiam*, quam ut *adhiberet reſtare* ajebat, opponat, quod *illi* tanquam ſupremo in terris judici ſive querulum ſpirans, ſive ſupplex, *dicturus* fuit, ſibi, qui *actoris* perſonam induerat, *dicere* nequaquam potuit: ſed ſemet cum præfractæ contumaciæ, quem fruſtra privatim convenerat, homine, coram univerſæ fraternitatis tribunali ex officio ſiſtendum putavit, judiciumque de uſurpatis in Collegarum omnium & communis Domini injuriam ab ipſo titulis fieri (fruſtra tamen) poſtulavit, quo facto fidelium quotquot ſunt vel fuerunt *præpoſitos*, Chriſti & Eccleſiæ ſervos ejus judicio obnoxios, ac (ut Iſidori Peluſiotæ verbis utar (a)) *λειτουργους οὐ κοινωνους, πρεσβεις οὐ κριτας, μεσιτας οὐ βασιλεις* eſſe, penes Eccleſiam vero (id eſt præpoſitis & fraternitate ſubdita conſtans corpus) *poteſtatem clavium κυριως*, cujus ſuo ordine ac modo fraternitas cum *ἡγουμενοις* ſuis, ſed *ſecundum eos* & *ſub ipſis* particeps fiat, eſſe palam profeſſus eſt: Cum autem ex Chriſti unius regnum ſit, *ſolus* in ea *Dominus miſereri* (b) *poſſit & veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt ſolus ille largiri qui* peccata noſtra portavit; *qui* pro nobis doluit, *quem* Deus tradidit pro peccatis noſtris, *Homo Deo eſſe non poteſt major* (c), *nec remittere aut donare indulgentiam ſuam ſervus poteſt, quod in Domino delicto graviore commiſſum eſt. Homines*, (cujuſcunque conditionis aut gradus eſſe videantur) *in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis* (quæ eorum propria ſit) *exercent. Nec in ſuo ſed Patris & Filii & Spiritus ſancti nomine peccata dimittunt: iſti rogant, Divinitas donat: humanum obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis*, ac quemadmodum *legimus in Levitico de leproſis ubi jubentur, ut oſtendant ſe ſacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiunt; non quod ſacerdotes leproſos faciant & immundos, ſed quod habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere qui mundus quive immundus ſit* (d). *Quomodo ibi leproſum ſacerdos mundum vel immundum facit, ſic & hic alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter*, ut tunc demum *vera* ſit *abſolutio præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui reſusci-*

(a) *Lib.* 3. *epiſt.* 160. (b) *Cyprian. de lapſis.* (c) *Ambros. de Sp. S. lib.* 3. *cap.* 19. *vide & lib.* 3. *de fide cap.* 6. *de Abel lib.* 2. *cap.* 4.
(d) *Hieron. in Matth.* 16.

ſuſcitatio ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit, dicens, Lazare veni foras, *& poſtmodum is, qui vivens egreſſus fuerat, a diſcipulis ſolutus eſt* (*a*). Quare meminerint omnes ſibi *non poteſtatem uſurpandam, ſed ſerviendum imperio*: cum eorum munus λειτουργια ὑπευθυνος, ουκ αρχη ανεξεταστος, πατρικη κηδημονια ου τυραννικη αυτονομια, οικονομικη προστασια ουκ αλογοθετητος εξουσια, *miniſterium referendis rationibus obnoxium, non imperium in quod inquiri nequaquam debeat, paterna procuratio, non tyrannica pro arbitrio vivendi licentia; diſpenſatoria præfectura, non poteſtas minime reddendis rationibus obnoxia* (*b*) cenſeri debeat.

Quam legem ſervis ſuis (ne Petro quidem Eccleſiæ *naſcentis præcipuo membro* excepto) in perpetuum fixerit Dominus, quo jure regi deinceps omnes voluerit, in ſuperioribus vidimus; quæ poſt redditum cœlo ſummum Legislatorem Petri ipſius, collegarum, totiuſque exinde Eccleſiæ praxis fuerit, inquirendum venit. Cui enim regiminis Eccleſiaſtici forma diſpliceat, quæ primis Chriſtianæ gentis conditoribus (quorum in *fundamentis* cœleſtis Jeruſalem *nomina* inſcripta ſunt (*c*), & poteſtas pleniſsima & divinæ proxima apparuit) miraculo fuit, quique Magiſtri communis de correctione fraterna regulas edicto ſancientis mentem penitus imbiberunt, conſtanter arriſit? Simulac adſcendentis in cœlos triumphali ſpectaculo animati de ſufficiendo qui Judæ locum impleret cogitarunt, Petrus Dei (*d*) *ſpiritu actus* εν μεσω των μαθητων ἠ οχλω ονοματων ὡς ἑκατον εικοσιν *in diſcipulorum ſive turbæ nominum quaſi* CXX. *medio* verba fecit, nihil αυθεντικως ἠ αρχοντικως aggreſſus (*e*), quotquot Chriſto nomen dederant, ad conſilii participationem vocavit, nec Apoſtoli qui publica jam pro Domino legatione functi erant, collegam vel allegerunt, vel Deo obtulerunt, ſed omnes προσευξαμενοι εδωκαν κληρους, *cum oraviſſent, ſortes jecerunt* (*f*). Quamprimum in Eccleſia *exortum* ob viduas *murmur* προσκαλεσαμενοι οἱ δωδεκα το πληθος των μαθητων ειπον.... επισκεψασθε αδελφοι ανδρας εξ ὑμων μαρτυρουμενους επτα, και ηρεσεν ὁ λογος ενωπιον παντος του πληθους και εξελεξαντο Στεφανον, &c. *Cum duodecim illi diſcipulorum multitudinem advocaſſent, dixerunt* &c. *Conſiderate (fratres) ſeptem viros ex vobis bono teſtimonio ornatos*; &c. *& placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum* (*g*). Fraternitati univerſæ relicta diaconorum electio, ac ut Chryſoſtomus obſervavit, τω πληθει την κρισιν επιτρεπει, *multitudini judicium permittit* Apoſtolorum chorus: Periculum Pauli capiti Hieroſolymis impendens επιγνοντες οἱ αδελφοι κατηγαγον αυτον εις Καισαρειαν και εξαπεστειλον αυτον Ταρσον, *cum cognoviſſent fratres, eum Cæſaream deduxerunt & emiſerunt Tarſum* (*h*). Audita Cornelii converſione, διεκρινοντο προς (Πετρον) οἱ εκ περιτομης, &c. αρξαμενος δε ὁ Πετρος εξετιθετο αυτοις, &c. ακουσαντες δε ταυτα ησυχασαν, *diſceptarunt cum* (Petro) *qui erant ex* cir-

(a) *Greg. Moral. in Job. lib.* 21. *cap.* 1. *inde Firmilianus, non a nobis remiſſionem peccatorum conſequuntur &c. Ambros. in Pſal.* 38. (b) *Iſid. Pelus. lib.* 3. *epiſt.* 216. (c) *Apoc.* 21. 14. (d) *Act.* 1. 15. (e) *Chryſoſt. hom.* 3. *in Acta.* (f) *Act.* 1. 24. 26. (g) *Act.* 6. 2. 3. 5. (h) *Act.* 9. 30.

circumciſione, id eſt fraternitas Hieroſolymitana, *Exorſus Petrus exponebat ipſis*, &c. *His autem auditis quieverunt* (*a*), in quem locum mirabundus Chryſoſtomus (*b*), ὁρα, το ατυφον και ακενοδοξον, &c. ὁρα, πως απολογειται και ουκ αξιοι τῳ τȣ διδασκαλȣ αξιωματι κεχρησθαι, &c. τι γενοιτ᾽ αν ταπεινοτερον Πετρου ὃς απο ταυτης και των αδελφων την μαρτυριαν προβαλλεται, &c. *vide* (*Petri animum*) *a faſtu & vana gloria alienum*; *vide quomodo ſe excuſat*, *nec doctoris dignitate uti dignatur*; *quid Petro humilius eſſe poſſit*, *qui ex iſta* (Spiritus legislatione) *fratrum teſtificationem adhibet*: obſervatu autem digniſsimum cenſuerim fraternitatem ſuo quodam jure *Apoſtolorum principi* Petro cauſæ dicendæ neceſsitatem injeciſſe, eum ne diceret non ad momentum reclamaſſe. Carcere Hieroſolymitano per Angelum emiſſus idem congregatis in Marci domo dixit Απαγγειλατε Ιακωβῳ και τοις αδελφοις (*c*) *Renuntiate Jacobo* (Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præſidenti). *& fratribus* ejus curæ commiſsis, ex æquo, ne ſcilicet in corporis Dominici compage, aliis ob cœleſtem opem gaudio perfuſis, alios diutius inter ſpem metumque ancipites pendere ſeque neglectos queri neceſſe eſſet. In Eccleſia Antiochena (*d*) *Prophetarum & Doctorum* luminibus colluſtrata, de *ſegregandis Barnaba & Saulo*, *ſpiritus ſancti* mandatum ad univerſum cœtum directum eſt, *jejunanteſque*, *orantes & manus* ſegregatis per præpoſitos ſuos *imponentes* omnes *dimiſerunt illos*. Ad Antiochenam (*e*) *Eccleſiam* in id ipſum ab ipſis *congregatam* de *aperto Gentibus fidei oſtio* reduces Paulus & Barnabas retulerunt.

(*f*) *Orta repugnantia & diſceptatione non parva a Paulo & Barnaba adverſus illos*, *qui non circumciſos ritu Moſis ſervari non poſſe* contendebant, *a diſcipulis* (ſeu fraternitate cum præpoſitis) Antiochiæ *conſtitutum fuit*, *ut Paulus & Barnabas & quidam alii ex illis ad Apoſtolos & Presbyteros Hieroſolymam ſuper hac quæſtione adſcenderent*: *deducti ab Eccleſia*, *& Apoſtolis ac præsbyteris excepti ſunt*; poſt (*g*) *multam diſceptationem tacuit tota multitudo* cum *Apoſtolis & Presbyteris congregata*. Poſtquam peroravit Jacobus (*h*), *Apoſtolis & Presbyteris cum tota Eccleſia viſum eſt delectos ex ſeſe viros Antiochiam mittere*.

Epiſtolæ ad Antiochenos ſcriptæ titulus fuit (*i*), *Apoſtoli*, *& Presbyteri & fratres*, qui quod (*k*) *Spiritui Sancto* & ipſis *viſum eſt*, edixerunt (*l*). *Congregatæ multitudini* Legati *epiſtolam reddiderunt*; ac exinde (*m*) *cum pace a fratribus ad Apoſtolos dimiſſi ſunt* (*n*). *Paulus allecto Sila* Antiochia abiturus *Dei gratiæ a fratribus commendatus eſt* (*o*). Timotheo *qui Lyſtris & Iconii erant fratres teſtimonium dederunt* (*p*); *Viſis fratribus* Paulus & Silas *Philippis egreſſi ſunt* (*q*). *Fratres per noctem Paulum ſimul & Silam* Theſſalonica *Berrœam emiſerunt* (*r*): *Paulum* Berrœa rurſus *emiſerunt fratres* (*s*). *Vale dicto fratribus*, *Paulus* Corintho *navigavit in Syriam*

(a) *Act.* 11. 24. (b) *Homil.* 24. (c) *Act.* 12. 17. (d) *Act.* 13. 1. 3. (e) *Act.* 14. 27. (f) *Act.* 15. 1. *&c.* (g) *Vers.* 7. (h) *Vers.* 22. (i) *Vers.* 23. (k) *Vers.* 28. (l) *Vers.* 30. (m) *Vers.* 33. (n) *Vers.* 40. (o) *Act.* 16. 2. (p) *Vers.* 40. (q) *Act.* 17. 10. (r) *Vers.* 14. (s) *Act.* 18. 18.

riam (*a*): *cumque Cæſaream deſcendiſſet*, & Hieroſolyma *adſcendiſſet*, *ſalutavit Eccleſiam* (*b*). Epheſi *fratres* Apollo *adhortati*, *ſcripſerunt diſcipulis* Corinthi degentibus *ut exciperent eum* (*c*). *Cum advocaſſet Paulus diſcipulos*, Epheſo *abiit* (*d*). Tyro *abeuntes* Paulum & Lucam *omnes cum uxoribus & liberis deduxerunt* (*e*); *ſalutatis* Ptolemaide *fratribus apud eos diem unum manſerunt* (*f*). *Pervenientes Hieroſolyma libenter fratres exceperunt*: & (*g*) *convenire multitudinem* ut *veniſſe* Paulum *audirent*, & (*h*) *nihil eſſe eorum quæ de eo audierant*, *noſſent omnes*, *oportere* cenſuerunt (*i*): Roma *cum de* Pauli, Lucæ &c. *rebus audiſſent fratres*, *in occurſum* ipſis *prodierunt* (*k*). *Omnibus dilectis Dei qui Romæ* erant data epiſtola *gratiam & Pacem* precatus Paulus eos (*l*) *ut diſſidiorum & offendiculorum contra doctrinam quam didicerant*, *auctores obſervarent*, *& ab eis declinarent rogavit* (*m*). *Eccleſiæ Dei quæ Corinthi* erat, *ſanctificatis in Chriſto*, *& vocatis ſanctis* epiſtolam priorem dictavit: Corinthiis ejuſque (*n*) *Spiritu in nomine Domini congregatis*, ſcortatorem *Satanæ tradendum* pronunciavit (*o*): eos *de iis qui intus erant judicare*, *improbum* ex ſeipſis *tollere* debere cenſuit: *in Eccleſia* (*p*) *viliſſimos*, *qui inter fratres judicium ferre poſſent*, *in ſubſellis collocare*, ὡς φρονιμους (*q*) *ut intelligentes quæ dicebat judicare* juſſit (*r*): *Eccleſiæ Dei una cum ſanctis omnibus qui in tota Achaia erant* ſecundam inſcripſit (*s*); *increpationem a pluribus*, id eſt fraternitate profectam, *illi qui triſtitia affecerat ſufficere* judicavit, eoſdem *ratam in illum charitatem facere rogavit* (*t*): *ſuffragiis ab Eccleſiis delectum peregrinationis* ſuæ *locum fuiſſe* probavit: *fratres* quos ad eos miſerat *Eccleſiarum legatos* vocavit (*u*). *Galatiæ Eccleſiis* indefinite epiſtolam ſuam *cum univerſis qui cum* eo erant *fratribus* ſcripſit (*x*) *præoccupatos in aliqua offenſa* ab iis *reconcinnari*, *alios aliorum onera portare* debere docuit (*y*). *Sanctos & fideles in Chriſto Jeſu* quotquot *Epheſi* erant; *Sanctos* (*z*) *in Chriſto Jeſu qui cum Epiſcopis & diaconis Philippis* diverſabantur (*a*); *Sanctos ac fideles in Chriſto Jeſu fratres qui Coloſſis* habitabant per epiſtolas ſalutavit eos (*b*): *perlecta apud ſe epiſtola ut eadem in Laodicenſium Eccleſia recitaretur* curare, imo Archippi paſtoris ſui monitores eſſe voluit, hoc ipſos præcepto imbuens ειπατε Αρχιππω, Βλεπε την διακονιαν ἡν παρελαβες εν Κυριω ινα αυτην πληροις *Archippo dicite*, *vide miniſterium quod accepiſti in Domino*, *ut illud impleas* (*c*). *Eccleſiæ Theſſalonicenſium quæ erat in Deo Patre* geminas epiſtolas deſtinavit; fideles in ea renatos, quos (*d*) *præſidentes agnoſcere*, & *ſupra modum charos habere* monuerat, νουθετεισθαι τους ατακτους, παραμυθεισθαι τους ολιγοψυχους, αντεχεσθαι των ασθενων, ὁρασθαι μητις κακον αντι κακου τινι αποδω, παντα δο-

κιμα-

(a) *Vers.* 22. (b) *Vers.* 27. (c) *Act.* 20. 1. (d) *Act.* 21. 5.
(e) *Vers.* 7. (f) *Vers.* 17. (g) *Vers.* 22. (h) *Vers.* 24.
(i) *Act.* 28. 15. (k) *Rom.* 7. 7. (l) *C.* 16. 17. (m) 1. *Cor.* 1. 2.
(n) *C.* 5. 4. (o) *Vers.* 12. 13. (p) *C.* 6. 4. 5. (q) *C.* 10. 15.
(r) 2. *Cor.* 1. 1. (s) *C.* 2. 6. 8. (t) *C.* 8. 19. 23. (u) *Gal.* 1. 2.
(x) *C.* 6. 1. 2. (y) *Eph.* 1. 1. (z) *Phil.* 1. 1. (a) *Col.* 1. 2.
(b) *C.* 4. 16. 17. (c) 2. *Theſſ.* 1. 1. (d) *C.* 5. 12. 13. 14. 15. 21.

κιμαζειν: τον ουχ' ὑπακουοντα τῳ λογῳ σημειουσθαι, και μη συναμιγνυσθαι αυτῳ ἱνα εντραπῃ, *inordinatos monere, qui puſillo animo erant conſolari, infirmos ſublevare, ne quis malum pro malo cuipiam redderet videre, omnia explorare* (a) : *non auſcultantem verbo notare, commercium cum eo, ut erubeſcat, non habere*, (quæ omnia & ſingula præpoſitorum videri poterant) juſsit.

Hebræos (*b*) quos πειθεσθαι τοις ἡγουμενοις αυτων *Ductoribus ſuis parere* voluerat, ασπασασθαι παντας τους ἡγουμενους, *univerſos ductores ſuos* (quaſi ad eos non ſcripſiſſet) *ſalutare* præcepit (c). *Ad duodecim tribus quæ in diſperſione erant* Jacobus (*d*), *ad electos advenas per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam*, imo *æque pretioſam fidem cum* ipſo *ſortitos* Petrus ; *ad vocatos a Deo Patre* quoslibet Judas: *ad Eccleſias ſeptem Aſiaticas* Joannes epiſtolas dedere. Quis fraternitatem, quam ſecum *conſultare, explorare*, decernere, ſibimet præpoſitos *eligere, inordinatos* compeſcere, *notare*, abdicare, Ductores ſuos quandocunque opus fuit, officii ſui *monere* Apoſtoli voluere, in Eccleſiaſticæ ſocietatis compage (ceu confuſam arefactorum ſtipitum congeriem) ſub Clero jacere, & ignavi pecoris ὑποζυγιου αφωνου inſtar nunquam non agi, nullas a Chriſto inſtituti regiminis partes attingere debere credat, nec ubique ad ejuſdem ſub præpoſitis participationem pro ſuo modulo vocatam, in clara luce cæcutiens videat?

Quæ ejus, Apoſtolis ad clavum ſedentibus, dignatio fuerit jam vidimus, quæ juris prærogativa ſub Apoſtolicis viris gaviſa ſit, ipſe nos Apoſtolis ſuppar Clemens epiſtola *ſub* antiquæ illius cujus *in toto mundo annunciata* fuit *fides*, *Romanæ Eccleſiæ perſona* (*e*), ad Corinthios data velut ex profeſſo docet: τις ουν εν ὑμιν γενναιος, τις ευσπλαγχνος, τις πεπληρωμενος αγαπης, ειπατω, ει δι εμε στασις, και ερις και σχισματα, εκχωρω. απειμι ου εαν βουλησθε και ποιω τα προστασσομενα ὑπο του πληθους, μονον το ποιμνιον του Χριστου ειρηνευετω μετα των καθεσταμενων πρεσβυτερων. *Quis* (inquit ad Corinthiacæ Eccleſiæ præpoſitos) *inter vos generoſus? quis miſericors? quis charitate plenus? dicat, Si propter me ſeditio, & contentio, & ſchiſmata oriantur, Excedo, abeo quocunque volueritis, quæque a multitudine præcepta ſunt facio; ovile ſolum Chriſti cum jam conſtitutis presbyteris in pace degat*. Quantum a Majorum, qui Chriſtianæ plebis præpoſitos a multitudine imperata facere, ejus denique quodammodo regimen ſubire jubebant mente mutatos Hierarchicos hodiernos dixerimus; qui κατακυριευειν των κληρων (*f*) *Dominicam ſortem* illicito imperio premere aſſueti, adverſus redemptam Chriſti ſanguine familiam, (ni ſubacta prorſus cervice jugum ferat, nec hiſcere contra auſa calcibus ſe quodammodo proterendam ſponte objiciat) indignabundi fremunt?

Anno a Clementis Martyrio ſeptimo venerandum piis omnibus, præſertim primæ Lugdunenſis, & Viennenſis Gallicarum provinciarum Eccleſiis caput, epiſtola celeberrima ad Philippenſes, *de Valente presbytero apud eos aliquando facto, qui locum ſibi datum ignorare* videbatur, ejuſque conjuge quæ cum eo ab officio deſciverat,

(a) 2. *Theſſ.* 3. 14. (b) *Heb.* 13. 17. (c) *Jac.* 1. 1. (d) 1. & 2. *Pet.* 1. 1. (e) *Rom.* 1. 8. (f) 1. *Pet.* 1, 2.

rat, agens, quæ fraternitatis univerſæ in Eccleſiaſtico regimine partes eſſe deberent, abunde teſtatum facit; Philippenſium plebem *presbyteris & diaconis ſicut Deo & Chriſto ſubjectam eſſe* voluerat, ſanctiſsimis hiſce monitis excitans: *Sobrii eſtote & vos in hoc, & non ſicut inimicos tales exiſtimetis, ſed ſicut paſſibilia membra, & errantia eos revocate; ut omnium veſtrum corpus ſalvetis. Hoc enim agentes vos ipſos ædificatis.*

Quis enim eos, ad quos *errantes* non quoſcunque ſed presbyteros *revocare omnium* fratrum *corpus ſalvare, ſeipſos ædificare* pertinet, Eccleſiæ regimen quomodocunque contrectare nefas putet?

Anno Chriſti plus minus 165. a Clementis paſsione 65, nihil Chriſtianæ plebi deceſsiſſe indicio eſt, quod ad Eccleſ. Rom. Corinthiacæ præſul ab (*a*) Euſebio & (*b*) Hieron. laudatus Dionyſius ſcripſit: Την σημερον κυριακην ημεις ἁγιαν διαγαγομεν, εν ῄ ανεγνωκαμεν ὑμων την επιϛολην ην εξωμεν αειποτε αναγινωσκοντες νουθετεισθαι, ὡς και την προτεραν ἡμιν δια Κλημεντος γραφεισαν, *Sanctam hodie Dominicam diem tranſegimus; in qua epiſtolam veſtram legimus, quam ſemper habebimus, ut legentes commonefaciamus, ſicut & priorem ad nos per Clementem ſcriptam*; ſi enim (prout Euſebius obſervavit) εξ αρχαιου εθους επι της εκκλησιας την αναγνωσιν αυτης ποιεισθαι, *ex antiqua conſuetudine lectionem ejus fieri* invaluerat; qui præpoſitos ad *exequenda multitudinis juſſa* paratos eſſe debere identidem audiebant, de cogenda in arctum & ab omni regiminis participatione depellenda fraternitate cogitare nullo modo poterant; ea vero fraternitatis conditio non erat, ut ſe pro præpoſitorum ſuorum libidine ceu vilem mancipiorum colluviem circumduci pateretur.

Anno circiter 200. hanc nobis Eccleſiaſtici regiminis formam delineat Tertullianus (*c*): *Coimus in cœtum & congregationem* &c. *cogimur ad divinarum literarum commemorationem* &c. *diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu; ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur; præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*. Cum *ibidem*, ubi *coibant in cœtum* pii, & *divinarum literarum commemoratio* fiebat, & *diſciplina præceptorum inculcationibus denſabatur, exhortationes, caſtigationes, cenſuras* fieri ſolitas fuiſſe notet; in ipſo totius Eccleſiæ *cœtu*, adeoque non ſine *fraternitate*, ſed ſub *præſidentibus Senioribus* interveniente eadem, violatæ diſciplinæ & fidei reos judicari conſueviſſe docet.

Eodem pertinet, quod ſub pœnitentia poſitos (*d*) *presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*, &c. *non poſſe corpus de unius membri vexatione lætum agere, condolere univerſum & ad remedium collaborare neceſſe eſſe*; pœnitentem *cum ſe ad fratrum genua protendit, Chriſtum contrectare* ſcribit.

Item

(a) *Lib.* 4. *c.* 23. (b) *Catal.* (c) *Apol.* 39. (d) *De pœnit. c.* 9. 10.

Item quod ex anonymo, qui ſedente Zephyrino vixit, de Natalio poſt confeſsionem lapſo refert Euſebius (*a*), eum ſcilicet *ενδυσαμενον σακκον, και σποδον κατασπασαμενον, μετα πολλης σπουδης και δακρυων προσπεσειν τῳ Ζεφυρινῳ τῳ επισκοπῳ, χυλιομενον ὑπο τους ποδας ȣ μονον των εν τῳ κληρῳ, αλλα και των λαϊκων, συγχεαιτε τοις δακρυσι την ευσπλαγχνον εκκλησιαν τȣ ελεημονος Χριςȣ*, *Sacco indutum & cinere conſperſum, procidiſſe cum multa diligentia & lacrymis coram Zephyrino Epiſcopo, ad pedes non eorum ſolum qui in Clero* conſiſtebant, *ſed etiam laicorum; lacrymis ad miſerationem pronam Chriſti miſericordis Eccleſiam confudiſſe.*

Paulo poſt Tertulliani & Zephirini tempora, qui nullos uſpiam Chriſti nomen profeſſos Magiſtratus videre potuit Origenes (*b*), ob indefeſſum ſtudium *Chalcenterus* dictus: *Principes populi & presbyteri plebis debent omni hora populum judicare, ſemper & ſine intermiſſione ſedere in judicio, dirimere lites, reconciliare diſſidentes, in gratia recordare diſcordes*, ſelectos a fraternitate qui per ſingulas Eccleſias ne diſciplinæ fibula laxaretur, aut corporis Chriſti compages luxaretur, ætate illa invigilarent in mente habens, eos nobis ob oculos poſuit. Eodem fere tempore, laicos cum Clero pro Canonibus adverſus Epiſcopos nonnunquam ſtetiſſe, nobis Papa Cornelius memorat (*c*), *κατηξιωθη τȣ πρεσβυτεριȣ, κατα χαριν τȣ επισκοπȣ τȣ επιθεντος αυτῳ χειρας εις πρεσβυτεριȣ κληρον, ὡς διακωλυομενος ὑπο παντος τȣ κληρȣ, αλλα και λαϊκων πολλων, επει μη εξον ην τον εν κλινῃ δια νοσον περιχυθεντα, ωσπερ και ȣτος, εις κληρον τινα γενεσθαι ηξιωσε συγχωρηθηναι αυτῳ τȣτον μονον χειροτονησαι*, *Presbyterio honoratus* (Novatianus) *ex Epiſcopi* (Fabiani aut Pontiani) *qui ipſi manus ad presbyterii ſortem impoſuit gratia, qui ab univerſo Clero, imo a laicis multis prohibitus, quandoquidem in lecto propter morbum tinctum (qualis ille fuit) ullum in Clero locum ſortiri nefas erat, hunc unum ordinari permitti ſibi rogavit*, quem poſtea (impetrato Cleri plebiſque conſenſu) presbyterio allegit.

Nonnunquam rigorem ſummum remitti, & poſtulavit & obtinuit plebs fidelis. Hinc eodem loco de altero ex Novatiani ordinatoribus Cornelius: *επανηλθεν εις την εκκλησιαν ὑποδυρομενος και εξομολογȣμενος το ἑαυτου ἁμαρτημα, ῳ και εκοινωνησαμεν λαϊκῳ ὑπερ αυτου δεηθεντος παντος τȣ λαου*, *ad Eccleſiam rediit lugens, ſuumque peccatum confeſſus; cui ut laico communicavimus, cum pro ipſo plebs univerſa preces fudiſſet.*

Cum anno 250. Januarii 18. feria 6. Martyrium feciſſet Fabianus Papa, ſeceſſiſſet vero Cyprianus; non ſolus Clerus, ſed fraternitas univerſa, vacante ſede, de ſua aliorumque ſalute ſollicita fuit (*d*): *Salutant vos* (inquiunt Romani Carthaginenſibus) *fratres qui ſunt in vinculis, & presbyteri, & tota Eccleſia; quæ & ipſa cum ſumma ſollicitudine excubat pro omnibus qui invocant nomen Domini*. Eadem fuit Cypriani (*e*) de ſua plebe mens: *Ad id* (inquit) *quod ſcripſerunt mihi compresbyteri noſtri Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui*; *quan-*

(a) *Lib.* 5. *c.* 2. (b) *In Exod.* 21. *Hom.* 11. (c) *Epiſt. ad Fabium apud Euſeb. lib.* 6. *c.* 43. (d) *Apud Cyprian. epiſt.* 3. (e) *Ep.* 6.

quando a primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis mea privata ſententia gerere, &c. (*) . *Fraternitatem quæ vobiſcum eſt, multum a me ſalutate, & ut noſtri meminerit, admonete.*

Item (*a*) *prohibeantur offerre* (presbyteri qui temere & pro privato arbitrio communionem reſtituerant) *acturi & apud nos* (i. e. ordinis conſeſſum) *& apud Confeſſores ipſos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam, cum (Domino permittente) in ſinum matris Eccleſiæ recolligi cœperimus.*

Idem ad plebem (*b*): *Fecerant ad nos de quibuſdam beati Martyres literas, petentes examinari deſideria ſua, cum pace nobis omnibus a Domino prius data, ad Eccleſiam regredi cœperimus, tunc examinabuntur ſingula præſentibus & judicantibus vobis*, &c. *Vos ſingulos regite, & conſilio ac moderatione veſtra, & ſecundum divina præcepta lapſorum animos temperate.*

Item (*c*): *Hoc & verecundiæ, & diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit, ut Epiſcopi plures in unum convenientes; præſente & ſtante plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus*. Romani Confeſſores (*d*): *grande delictum, & per totum pene orbem incredibili vaſtatione graſsatum, non oportet niſi (ut ipſe ſcribis) caute moderateque tractari, conſultis omnibus Epiſcopis, presbyteris, diaconis, confeſsoribus, & ipſis ſtantibus laicis, ut in tuis literis & ipſe teſtaris.*

Romani presbyteri, & Diaconi (*e*): *Nobis in tam ingenti negotio placet, quod & tu ipſe tractaſti prius; Eccleſiæ pacem ſuſtinendam, deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, presbyteris, diaconis, Confeſsoribus, pariter ac ſtantibus laicis facta, lapſorum tractare rationem: perquam enim nobis & invidioſum & oneroſum videtur, non per multos examinare quod per multos commiſsum videatur fuiſse, & unum ſententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiiſse: quoniam nec firmum decretum poteſt eſse quod non plurimorum videbitur habuiſse conſenſum.*

Cyprianus rurſus (*f*): *Miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſse, quando Eccleſia in Epiſcopo, & Clero, & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta.*

Item (*g*): *Deſideraſtis ut de Philomeno & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolutho, qui medio tempore receſserunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur reſcribam: cui rei non potui me ſolum judicem dare, cum multi adhuc de Clero abſentes ſint, nec locum ſuum vel ſero repetendum putaverint, & hæc ſingulorum tractanda ſit & limanda plenius ratio non tantum cum collegis meis, ſed & cum plebe ipſa univerſa: expenſa enim moderatione libranda & pronuntianda res eſt, quæ in poſterum circa miniſtros Eccleſiæ conſtituat exemplum*. Idem presbyteris, diaconis & plebi univerſæ (*h*): *In ordinationibus clericis (fratres chariſſimi) ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare*. Item (*i*): *conjurationis*

(*) *Vide & epiſt.* 23. 24. (a) *Epiſt.* 10. (b) *Epiſt.* 12.
(c) *Epiſt.* 14. (d) *Epiſt.* 26. (e) *Epiſt.* 31. (f) *Epiſt.* 27.
(g) *Epiſt.* 28. (h) *Epiſt.* 33. (i) *Epiſt.* 40.

ſuæ memores, & antiqua illa contra Epiſcopatum meum, imo contra ſuffragium veſtrum & Dei judicium venena retinentes inſtaurant veterem contra nos impugnationem ſuam, &c. *pœnas quas meruerant, pependerunt, ut a nobis non ejecti ultro ſe ejicerent, ipſi in ſe pro conſcientia ſua ſententiam darent, ſecundum veſtra divina ſuffragia conjurati & ſcelerati de Eccleſia ſponte ſe pellerent*. Item (*a*): *intelligant Epiſcopo ſemel facto, & collegarum ac plebis teſtimonio & judicio comprobato, alium conſtitui nullo modo poſſe*. Item (*b*), *Vix plebi perſuadeo, imo extorqueo, ut tales patiantur admitti, & juſtior factus eſt fraternitatis dolor, ex eo quod unus atque alius obnitente plebe & contradicente, mea tamen facilitate ſuſcepti, pejores extiterunt quam prius fuerant*, &c. *An ad hoc (frater chariſſime) deponenda eſt Catholicæ Eccleſiæ dignitas, & plebis intus poſitæ fidelis atque incorrupta Majeſtas, & Sacerdotalis quoque auctoritas ac poteſtas, ut judicare velle ſe dicant de Eccleſiæ præpoſito extra Eccleſiam conſtituti?* Item (*c*), *nec ſatis norint & receptum eſse a decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente ac neceſſitate cogente pax concederetur*. Idem (*d*), *non ſibi plebs blandiatur quaſi immunis eſse a contagio delicti poſſit, cum ſacerdote peccatore communicans, & ad injuſtum atque illicitum præpoſiti ſui Epiſcopatum conſenſum ſuum commodans*, &c. *plebs obſequens Dominicis præceptis & Deum metuens, a peccatore præpoſito ſeparare se debet: nec se ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere, quando ipsa maxime habeat poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi*; quo loco plura addit de jure plebis in electionibus, a nobis fuſius Apologiæ pro ſententia Hieronymi ſect. 3. enarrata. Idem ad Clerum & plebem (*e*). *Quid de Clero nos obſervare conveniat, antequam in me super confeſſione nominis Dei Proconſul ſententiam ferat, inſtruente Domino* in commune *diſponemus*. Hoc ipſo conſilio de iis quæ Clero ſcripſerat, ad plebem referri juſsit epiſt. 8. *nec ipſi utique apud vos hanc epiſtolam teneatis occultam, ſed legendam fratribus ſuggeratis*. Epiſtol. 12. *De hoc & ad Clerum, & ad Martyres, & Confeſsores literas feci, quas utraſque vobis legi mandavi*. Epiſt. 18. *Quid mihi Caldonius collega meus ſcripſerit, quidque ego ei reſcripſerim, ut ſciretis, utriusque epiſtolæ exemplum literis meis junxi, quod totum peto fratribus noſtris legatis*, &c. Epiſt. 32. *vos curate quantum poteſtis pro diligentia veſtra, ut ſcripta noſtra, & illorum* (Cleri Romani & Confeſſorum) *reſcripta fratribus noſtris innoteſcant*. Epiſt. 42. *mens noſtra & propoſitum jam tunc fratribus & plebi iſtic univerſæ manifeſtatum fuit, quando literis nuper ab utraque parte ſuſceptis tuas literas legimus*, &c. *melius frater facies ſi etiam exempla literarum quæ ad te legenda pro dilectione communi per Caldonium & Fortunatum collegas noſtros proxime miſeram, quæ de eodem Feliciſſimo & de presbytero ejuſdem ad Clerum iſtic noſtrum & ad plebem ſcripſeram, legi illis fratribus jubens, quæ & ordinationem & rationem rei geſtæ loquantur, ut tam iſtis quam illis circa omnia per nos fraternitas inſtruatur*. Epiſtol. 52. *Literæ* (Romani Cleri & Con-

(a) *Epiſt.* 41. (b) *Epiſt.* 55. (c) *Epiſt.* 59. (d) *Epiſt.* 68. (e) *Epiſt.* 83.

Confeſſorum) *per totum mundum miſſæ, & in notitiam Eccleſiis omnibus & univerſis fratribus perlatæ ſunt*. Epiſt. 58. *Scio florentiſſimo illic* (Romæ) *Clero tecum præſidenti, & ſanctiſſimæ plebi legere te ſemper literas noſtras*. Cornelius Papa Cypriano (*a*), *Quod erat conſequens, omnis hic actus* (Confeſſorum ad Eccleſiam revertentium) *populo fuerat inſinuandus, ut & ipſos viderent in Eccleſia conſtitutos, quos errantes & palabundos jam diu viderant & dolebant. Quorum voluntate cognita magnus fraternitatis concurſus factus eſt*. Confeſſores Cypriano (*b*), *Certi ſumus* (*frater chariſſime*) *te quoque nobiſcum pari voto congaudere, nos &c. cum Cornelio Epiſcopo noſtro pariter & cum univerſo Clero pacem feciſſe, cum gaudio etiam univerſæ Eccleſiæ*. Cornelius Fabio Antiocheno (*c*), ὀν ȣδε τοσȣτο πληθος και ουτως αναγκαιον τη εκκλησια δια της τȣ θεου προνοιας, πλουτιος τε και πληθυνων αριθμος μετα μεγιστου και αναριθμητου λαου απο τοιαυτης απογνωσεως τε και απαγορευσεως ανετρεψε τε και ανεκαλεσατο εις την εκκλησιαν, Novatianum, *nec tanta tamque neceſſaria Eccleſiæ per Dei providentiam Cleri multitudo, nec locuples ac redundans numerus, cum maximo & innumerabili populo a deſperatione & abnegatione tali avertit, & ad Eccleſiam revocavit*. Quemadmodum Romæ de Novatiani ſalute ſollicita fraternitas, cum Clero laborabat; Carthagine in Novatum profligatæ nequitiæ turbonem inſurgens, violatæ ab eo diſciplinæ pœnas repopoſcit. *Hanc*, inquit Cyprianus (*d*), *conſcientiam criminum jampridem timebat, propter hoc ſe non de presbyterio excitari tantum, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos cauſa ageretur, niſi perſecutio ante veniſſet*. Quemadmodum A. D. 255. Septemb. 1. Carthagine convenit Synodus de Baptiſmo hæreticorum actura *præſente plebis maxima parte*: Chiliaſtarum Nepotis ſectatorum coram fraternitate refutationem A. D. 263. aggreſſus Dionyſius Alexandrinus (*e*), hæc de ſe refert: Συγκαλεσας τȣς πρεσβυτερους και διδασκαλȣς των εν ταις κωμαις αδελφων, παροντων και των βȣλομενων αδελφων, δημοσια την εξετασιν ποιησασθαι τȣ λογου προετετρεψαμην, *Convocatis presbyteris & doctoribus fratrum qui in pagis degebant, præſentibus etiam qui vellent fratribus, ut publice doctrinæ examen fieret, hortatus ſum*. A. D. 265. conditum adverſus Paulum Samoſatenum (*f*) decretum cum Epiſcopis, presbyteris & diaconis, edidere αἱ εκκλησιαι τȣ θεου *Dei Eccleſiæ*. A. D. 277. Archelaus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Manes hæreſiarcha παραρχονται εις συζητησιν δημοσια εν αυτη τη Κασχαρη *ad Manichæiſmi diſquiſitionem publice in ipſa urbe Caſchara deveniunt*. A. D. 305. *In Eccleſia Eliberitana* Bœticæ *conſederunt Sancti & religioſi Epiſcopi reſidentibus etiam 26. presbyteris, adſtantibus Diaconis & omni plebe*. Hinc autem antiquos Eccleſiarum præpoſitos de doctrina & diſciplina per ſe ſolos ſine fraternitate tractare non conſueviſſe, ſed ſacroſanctis Apoſtolorum, qui eam ubique regiminis & conſiliorum participem eſſe voluerant, veſtigiis conſtanter inſtitiſſe manifeſtum ſit.

Sub Conſtantino A. D. 312. Chriſtianiſmum amplexo, nova rerum facies apparuit

(a) *Epiſt.* 46. (b) *Epiſt.* 50. (c) *Euſeb. l.* 6. *c.* 43. (d) *Epiſt.* 49. (e) *Euſeb. l.* 6. *c.* 24. (f) *Lib.* 7. *c.* 30.

ruit, non tamen (antiquata quæ eo uſque duraverat Eccleſiaſtici regiminis forma) fraternitatis conditio deterior facta eſt: ut in præpoſitorum electionibus, ſic in aliis quæ religionis veritatem ac puritatem, ſeu fidem & mores ſpectant, & per ſe jure ſuo (quando libuit) uſa eſt, & *Seniores* ſuos habuit, a Clero diverſos, qui fidelis plebis nomine, regiminis quaſcunque partes ſuo ordine ac modo attingerent. A. D. 314. 13. *Kal. Septembris Voluſiano & Anniano Coſſ. in jure apud Aurelium Didymum Sperecium ſacerdotem Jovis opt. max. Duovir ſplendidæ Coloniæ Carthaginenſium Maximus dixit, Loquor nomine* Seniorum *Chriſtiani populi Catholicæ legis, apud maximos Imperatores cauſa agenda erit contra Cæcilianum & Felicem*, &c. Rurſus, *Conſtantino Maximo Auguſto VI. & Conſtantino juniore Nobiliſſimo Cæſare Coſſ.* id eſt A. D 320. *Idibus Decembribus*, prolatus libellus quem Nundinarius Diaconus, Silvani Cirtenſis Epiſcopi accuſator vicinis Epiſcopis tradiderat, ſic ſe habuit: *Teſtis eſt Chriſtus & Angeli ejus, quoniam tradiderunt quibus communicaſtis; id eſt Silvanus a Cirta traditor eſt, & fur rerum pauperum; quod omnes vos Epiſcopi, presbyteri, diaconi, &* Seniores *ſcitis, & de quadringentis follibus* (*) *Lucillæ clariſſimæ fœminæ, pro quo vobis conjuraſtis ut fieret Majorinus Epiſcopus; & inde factum eſt ſchiſma; Nam & Victor Fullo veſtri præſentia, &* populi *dedit* (**) *folles viginti ut factus eſſet presbyter, quod ſcit Chriſtus & Angeli ejus*. Habuit ergo (ut Carthago & Abtugna Cæciliani & Felicis ſedes) *Seniores* a Clero diverſos Cirta, convenit & *populus* cum Clericis ad presbyterorum electionem. Sediſſe etiam cum Clero *Seniores* in cauſa Epiſcopi cognitores, ſequentia probant. *Purpureus Epiſcopus* (a Limata Numidiæ) *Silvano Coepiſcopo in Domino ſalutem. Venit ad me Nundinarius Diaconus filius noſter, & petiit has literas deprecatorias a me ad te ſanctiſſime dirigerem; ut (ſi fieri poſſet) pax inter te & ipſum ſit: hoc enim volo fieri, ut nemo ſciat, quid inter nos agatur; ſi volueris, ſcripto tuo* indica, *ut & ego ſolus ibi in re præſenti veniam, & diſſenſionem ipſam de inter vos amputem; manu ſua enim mihi tradidit libellum rei geſtæ, pro qua cauſa fuerit tuo præcepto lapidatus. Non eſt verum ut Pater caſtiget filium contra veritatem, & ſcio quia vera ſunt, quæ in libello mihi tradito ſunt conſcripta. Quære remedium, quo modo poterit ibi malignitas iſta extingui antequam flamma exurgat, quæ poſt demum extingui non poterit ſine ſanguine ſpiritali. Adhibete Conclericos &* Seniores plebis, Eccleſiaſticos viros, *& inquirant diligenter quæ ſunt iſtæ diſſenſiones, ut ea quæ ſint, ſecundum fidei præcepta fiant*, non declinabis ad dextram vel ad ſiniſtram (a); *libenter autem commodare nolis malis inſtructoribus qui nolunt pacem, omnes nos occidiſtis*, & alia manu *Vale*. Sic Cirtenſium Clerici Silvani Epiſcopi & Nundinarii diaconi (quia uterque ex Clero fuit) *Conclerici* dicti ſunt, inter quos *presbyteri* eminebant *Seniores* & *majores natu* nonnunquam vocati, ab iis autem longe diverſi fuere (utpote extra Cleri ſyntagma conſtituti) *Seniores plebis*, quorum (Purpureo teſte) partes cum Clero fuerunt, in Epiſcopi & *Conclericorum diſſenſiones*

(*) *Follis pendet grana Romana* 315. *drachmas Atticas* 5. 400. *folles* 2000. *drachmas*. (**) *Drachmas* 100. (a) *Deuter*. 5. 32.

nes diligenter inquirere, *quæ ſecundum fidei præcepta ſunt*, procurare, *cognoſcere*, *remedia* malis *quærere*, imo *juſtum inter partes judicium judicare*; prout ex ſequenti epiſtola conſtare poteſt: *Purpureus Epiſcopus Clericis & Senioribus Cirtenſium in Domino æternam ſalutem. Clamavit Moyſes ad omnem Senatum filiorum Iſrael, dixitque illis quæ Dominus jubebat fieri: ſine conſilio* Seniorum *nihil agebatur*; *Itaque & vos Cariſſimi*, *quos ſcio omnem ſapientiam cæleſtem & ſpiritalem habere*, *omni veſtra virtute cognoſcite*, *quæ ſit diſſenſio hæc*, *& perducite ad pacem. Dicit enim Nundinarius Diaconus*, *quod nihil vos lateat*, *unde hæc diſſenſio eſt inter Cariſſimum noſtrum Silvanum & ipſum*; *tradidit enim mihi libellum in quo omnia ſunt conſcripta: dixit enim & vos non latere*, *ego ſcio quia Eris non eſt bonum*; *quærite remedium*, *quomodo* (*extinguatur*) *hæc res ſine periculo animæ veſtræ*, *ne ſubito* (*cum* perſonam accipitis in judicio (*a*)) *ruatis*; juſtum judicium. *inter partes* judicare (*b*) *ſecundum gravitatem veſtram & juſtitiam*; *Cavete vobis* ne declinetis in dexteram neque in ſiniſtram (*c*) *&c.*

Id ipſum confirmat alia Fortis Epiſcopi epiſtola, *Fratribus & filiis*, *Clero &* Senioribus, *Fortis in Domino æternam ſalutem. Venit ad me filius meus Nundinarius Diaconus veſter*, *& retulit ea quæ contra vos ſunt geſta*, (nec non) *utique debuit a vobis componi ne ventum eſſet ut talem inſaniam paſſi a civibus lapidarentur pro veritate*, *quod & vos & nos ſcimus*, *ſicuti nobis retulit is*; *& ſcriptum eſt* (*d*), Non eſt ſapiens quiſquam inter vos qui poſsit judicare inter fratres? Sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles, *ſicuti vos nunc in judicio contenditis*, *ſic ad hoc exilitum eſt ut gentibus demus tale exemplum?* Ex Apoſtolicæ formæ præſcripto a Cirtenſium Clero & *Senioribus* non *Clero* adſcriptis, *Eccleſiaſticis* tamen *viris*, Silvanum ad cauſam dicendam vocari volebat; cujus electioni aliquot ante annos intercesſerant omnes. Sic enim Acta: *Nundinarius Epiſcopus reſpondit*, Quando ventum eſt illic ut factus eſſet Epiſcopus, *reſpondit populus*, alius fiat, exaudi Deus. *Zenophilus vir clariſſimus Conſul Victori dixit*, dictum eſt a populo, Silvanus traditor? *Victor dixit*, Ego ipſe luctatus ſum Epiſcopis. *Zenophilus Vir Clariſſ. Conſul*, *Victori dixit*: Ergo ſciebas traditorem? de hoc confitere, *Victor reſpondit*, Traditor fuit. *Nundinarius diaconus dixit*, Vos Seniores clamabatis, Exaudi Deus; civem noſtrum; ille traditor eſt. *Zenophilus V. C. Conſul Victori dixit*; Clamaſti ergo & populus, quod traditor eſſet Silvanus, & non deberet fieri Epiſcopus? *Victor dixit*, Clamavi & ego & populus, nos enim civem noſtrum petebamus integrum virum, &c. *Zenophilus V. C. Conſularis Nundinario dixit*, Donatum deſideras exhiberi? utique, veniat de quo clamavit populus biduo poſt . . . . pare, Exaudi Deus, civem noſtrum volumus. *Zenophilus V. C. Conſ. Nundinario dixit*, Certe clamavit hoc populus? *Reſpondit*, clamavit. *Zenophilus V. C. Conſ. Saturnino dixit*, Traditorem clamavit Silvanum? *Saturninus dixit*, utique: *Nundinarius dixit*, Quando factus eſt Epiſcopus non illi com-

(a) *Prov.* 2. 23. (b) *Joan.* 7. 24. (c) *Deut.* 5. 32.
(d) 1. *Cor.* 6. 5. 6.

communicavimus, quia dicebatur proditor eſſe. *Saturninus dixit*, quod dicit, verum eſt. *Nundinarius dixit*, Vidi quia Mutus harenarius tulit in collo. *Zenophilus V. C. Cons. Saturnino dixit*, Sic factum eſt? *Saturninus dixit* Sic. *Zenophilus V. C. Cons. dixit*, vera ſunt omnia quæ dicit Nundinarius quia ab harenariis factus eſt Epiſcopus Silvanus? *Saturninus dixit*, Vera Nundinarius dixit, proſtibula illic fuerunt. *Zenophilus V. C. Cons. Saturnino dixit*, harenarii illum geſtaverunt? *Saturninus dixit*, ipſi eum tulerunt & populus, nam cives in area martyrum fuerunt incluſi. *Nundinarius Diaconus dixit*, Nunquid populus Dei ibi fuit? *Saturninus dixit*, *in casa majore fuit incluſus*, unde ſequitur *Clerum*, *Seniores plebis*, *cives* (qui διακριτικως *populus Dei* dicuntur) tota libertate reclamantes jure ſuo uſos; oppreſſos tamen Silvani *harenariis*, *proſtibulis* & *populi* colluvie ſtipati, pſeudoepiſcoporumque deteſtanda factione.

Africam ſui ſemper moris tenaciſsimam antiquæ, quo ſemel recens imbuta fuerat, diſciplinæ odorem ad tempora uſque Vandalica annumque circiter 430. ſervaſſe fidem facit, quod anno Domini 393. *apud Cebarſuſis* congregatum Concilium ad *univerſos* Epiſcopos (*a*), *presbyteros*, *diaconos & plebes* de Primiani Carthaginenſium Præſulis cauſa, quam *poſtulantibus Carthaginenſis Eccleſiæ Senioribus audiverat*, retulit, eumque quia *obſiſtente maxima parte plebis*, *& Seniorum nobiliſſimorum literis conventus contempserat*, *& Seniores Eccleſiæ ſupradictæ* Cartaginenſis *ad univerſum* (Cleri Africani) *clerum literas legatosque ut ad se ferventius venirent deprecati miserant*, is vero *Episcopos ſimul & Clericos obsederat* & *in baſilica Seniores* (*quod indigne ferrent Claudianiſtas ad communionem admitti*) *cædi a satellitibus juſſerat*, damnavit.

Quod anno 395. *poſt Consulatum Dominorum Arcadii tertium*, *& Honorii iterum*, *sexto Nonas Martias*, *Carthagine in Secretario prætorii*, *Titianus dixit* (*b*), Peregrinus presbyter, & *Seniores Eccleſiæ* Muſtitanæ regionis tale deſiderium proſequuntur &c. quod *undecimo Kal. Januarii* anno 396. *Clerici*, *Seniores*, *agentes ſurrogato Epiſcopo qui in locum damnati Prætexati Aſſuritani fuerat ſurrogatus*, Theodori *Proconsulis juſſionem allegarunt* (*c*): quod *quinto Kal. Septembris Arcadio Auguſto bis*, *& Rufino viris clariſſimis Coſſ.* ab eo *actis habita eſt disputatio adversus Fortunatum Manichæorum presbyterum in urbe Hipponienſium regiorum in balneis Soſſii sub præsentia populi*. *Honorio Auguſto VI. Consule 7. Iduum Decembrium contra Manichæum quendam nomine Felicem præsente populo in Eccleſia biduo disputavit* (*d*). Anno 427. cum Maximino *Arianorum Episcopo Hippone regio præsentibus multis tam Clericis quam laicis in locum convenit*, poſt A. D. 410. in diſputatione cum Paſcentio Comite Ariano Laurentium virum Clariſsimum *judicem præſidere* probavit. *Glorioſiſſimo Theodoſio duodecies*, *& Valentiniano Auguſto iterum Conſulibus* id eſt A. D. 426. *sexto Kal. Octobris cum Religiano & Martiniano Coepiscopis*, *præsentibus presbyteris*, *adſtante Clero & frequenti populo* Eradium Epi-

(a) *Auguſt. in Psalm.* 36. (b) *Lib.* 3. *contra Creſcon. c.* 56,
(c) *A. D.* 392. *Auguſt.* 28. (d) *A. D.* 404. *Decemb.* 7. *feria* 4.

Epiſcopatus hæredem deſignavit, & paulo ante deſignatum a Severo Milevitano quod *ad populum inde non eſſet locutus*, minime admitti timuit. Hipponenſis plebis *placito geſtis confectis* confirmato, *ut per quinque dies ſingularum ſeptimanarum propter Scripturarum curam nemo ei moleſtus eſſet*, ſtatutum fuiſſe gaviſus eſt; *omnia ſe quæ debuit cum* plebe *egiſſe* profeſſus, ejus ſubſcriptionem poſtulavit, & *Clero, Senioribus, & univerſæ plebi Eccleſiæ Hipponenſis* de Bonifacio presbytero criminis poſtulato epiſtola 137. retulit, atque *ejus nomen* (ſi eis *placeret*) in Eccleſia *non recitari* conſenſit. *Conclericis & univerſæ plebi* epiſtola 138. abſentiam excuſavit. Cum Fortunio Tuburſicenſi Donatiſtarum Epiſcopo coram multitudine de ſchiſmate contulit: pro Faſtio ære alieno obruto *Dominorum dilectiſſimorum & deſideratiſſimorum ſanctæ plebis cum miniſtro Chriſti membrorum* epiſtola 199. opem imploravit.

A. D. 444. omnia quæ tam in ſcripturis quam in occultis traditionibus ſuis habebant Manichæi vel turpia, oculis Chriſtianæ plebis certa manifeſtatione probavit Leo Papa, adeo ut ipſe qui eorum dicebatur Epiſcopus ab ipſo detentus proderet flagitioſa in ſuis myſteriis quæ tenerent, Epiſt. 2. Januar. 3. data. Hinc Sermone 5. de Jejunio decimi menſis, *Reſidentibus mecum Epiſcopis & presbyteris ac in eundem conſeſſum Chriſtianis viris ac nobilibus congregatis electos & electas coram juſſimus præſentari*, &c. *Contra communes hoſtes pro ſalute communi una communis debet eſſet vigilantia*, &c. *aſſumite igitur religioſæ ſolicitudinis pium zelum & contra ſæviſſimos animarum hoſtes omnium cura conſurgat*.

Sed ante annos fere 60. *Seniorum plebis* dignitatem priſcaſque functiones, & univerſæ plebis (ut cum Cypriano loquar) *Majeſtatem* in urbe totaque Italia concidiſſe publice queſtus eſt Hilarius diaconus, quem ſedente Damaſo Papa commentarium in epiſtolas ſcripſiſſe conſtat (*a*), *Propter honorificentiam ætatis* (inquit) *majorem natu cum manſuetudine ad bonum opus provocandum, ut facilius ſuſcipiat admonitionem. Poteſt enim vereri commonitus ne poſtea corripiatur; quod turpe eſt Seniori; nam apud omnes utique honorabilis eſt ſenectus, unde & ſynagoga, & poſtea Eccleſia* Seniores *habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur in Eccleſia; qua negligentia obſoleverit neſcio, niſi forte Doctorum deſidia, aut magis ſuperbia, dum ſoli volunt aliquid videri*. Obſoleverat itaque jam tunc, nec ubi *obſolevit* per annos fere 1200. in Eccleſiarum uſum poſtea revocari potuit; fraternitatis tamen jus illi ipſi inter quos *obſoleverat*, agnoverunt. Hilarius diaconus in 1. Cor. 5. 4. *erant ipſi* Corinthii *criminis participes, dum paterentur reum tam ingentis facinoris, ſecum incorreptum convenire, ut omnes uno conſilio abjicerent eum, ſi negaret emendare ſe*, &c. *omnium conſenſu & præſentia, ſed & virtute Domini Jeſu, id eſt ſententia, cujus legatione fungebatur Apoſtolus, abjiciendus ille de Eccleſia*. Chryſoſtomus in 1. Cor. Homil. 15. εν τω ονοματι του κυριου, συναχθεντων υμων. τουτεστιν αυτου του ονοματος ύμας συναγοντος ύπερ ου συνερχεσθε και του εμου πνευματος παλιν επεστησεν αυτοις εαυτον, ινα οταν δικαζωσιν, ώς αυτου παροντος, ὅτως αυτον αποτεμω-

(a) *In 1. Tim. 5. 1.*

μωσι, και μηδεις τολμηση συγγνωμης αυτον αξιωσαι, Vobis in Domini nomine congregatis, *hoc eſt ipſo nomine vos congregante pro quo convenitis*, & ſpiritu meo. *Seipſum rurſus eis fecit aſſiſtere, ut quando judicaverint velut ipſo præſente, ita eum abſcindant, nec audeat quiſquam ipſum venia dignum cenſere*. Theodoretus, πρωτον απαντας εν τω ονοματι τυ κυριου συνηγαγεν, ειτα και εαυτον εισηγαγε δια της τυ πνευματος χαριτος, και αυτον δε τον δεσποτην προκαθημενον εδειξε, και την ψηφον εκφεροντα, &c. *universos primum in Domini nomine congregavit, ſeipſum deinde per ſpiritus gratiam introduxit ipſumque Dominum præſidentem & ſuffragium ferentem oſtendit*. Theophylactus, επεστησε δε αυτοις και το αυτυ πνευμα ἱνα μη συγγνωμης αυτον αξιωσωσιν, αλλ᾽ ορθως κρινωσιν. ὡς και αυτυ παροντος, *ſuum etiam ipſis præfecit ſpiritum, ne ipſum* (reum) *veniæ dignentur, ſed recte* (*velut ipſo præſente*) *judicent*. Œcumenius, εν τω ονοματι τυ Κυριυ, τυτεστι κατα θεον συναχθητε, και κρινατε &c. και τυ εμου πνευματος, παλιν επεστησεν αυτοις εαυτον, και ὐ μονον τυτο, αλλα τον χριστον ἱνα ὁταν κρινωσιν, ὡς τυ Χριστου και αυτυ παροντος αδικαστον εξενεγκωσι ψηφον, in nomine Domini Jeſu, *Hoc eſt ſecundum Deum convenite, & judicate*, &c. & meo ſpiritu, *rurſus ſeipſum illis exhibuit; nec id ſolum, ſed & Chriſtum, ut cum judicaverint, irrefragabile velut Chriſto ipſo etiam præſente ſuffragium ferant*.

Hilarius in 2. Cor. 2. 10. *Si cui autem aliquid donaſtis*, &c. *obſecrat ut dimittant illi, ſignificant Deum illi ignoviſſe*. Pacianus ad Sympronianum epiſt. 1. *Ecce Apoſtolus ad laicos ſcribit*. Si cui quid donatis &c. *Si autem quod laici donant, Apoſtolus donaſſe ſe dicit, quod Epiſcopus fecerit qualiter reſpuetur?* Chryſoſtomus in 2. Corinth. Homil. ελαβε αυτυς κοινωνυς της ψηφυ ειπων συναχθεντων ὑμων παραδουναι αυτον, δυο τα μεγιστα κατασκευαζων και το εξενεχθηναι την αποφασιν, και το μη χωρις εκεινων, ὡστε μη δοξαι ταυτη πληττειν, και υτε μονος αυτην εκφερει ἱνα μη νομισωσιν αυθαδη ειναι, και ὑπερωφθαι αυτοι, υτε το παν αυτοις επιτρεπει, ἱνα μη κυριοι γενομενοι προδωσι τον ἡμαρτηκοτα ακαιρως αυτω χαριζομενοι; οὑτω και ενταυθα ποιει, &c. παλιν αυτυς κοινωνυς ποιει λεγων, ὡστε τυναντιον μαλλον, &c. παλιν εκεινων το ὁλον ποιησας εις την εξυσιαν την ἑαυτυ μεταβαινει, &c. *eos ſententiæ participes adſcivit dicens* congregatis vobis tradere ipſum; *maxima duo ſtruens* & *quod ſententia ferretur, & quod non ſine illis* ferretur; *ne eadem ipsos ferire videretur; nec solus eam profert, ne eum arrogantem eſſe, ſe vero deſpici putarent, nec totum rursus ipſis permittit, ne cauſæ Domini facti eum qui peccaverat proderent intempeſtive ipſi gratificati, eodem modo hic facit* &c. *eos rurſus ſocios facit, dicens*, ut e contrario magis &c. *cum rurſus univerſum ipſis permiſiſſet, ad ſuam poteſtatem tranſit*. Pelagius & ex eo Primaſius, *Ideo enim & ſcripſi* &c. *ut videam ſi quomodo obaudiſtis in vindicando, ita obaudiatis in indulgendo*. Cui autem aliquid donatis & ego, *Sicut vobiscum vindicavi, ita & dono vobiscum*. Theodoretus: ἱκανον γαρ εφη τω τοιυτω ἡ επιτιμια αὑτη ἡ ὑπο των πλειονων, παντες γαρ αυτον απεστραφησαν, ὡς εκελευσε, &c. παρακαλω υν &c. ἑνωσατε το μελος τω σωματι, συναψατε τη ποιμνη το προβατον, θερμην αυτω διαθεσιν δειξατε. Sufficit enim (*inquit*) illi qui eſt ejuſmodi, objurgatio ipſa quæ fit a pluribus: *Omnes enim ipsum aversabantur ut jusserat*, &c. Obſecro igitur, &c. *Uni-*

ta

te membrum corpori, adjungite ovem gregi, vehementem animi affectum ei oſtendite. Theophylactus & Œcumenius: διο παρακαλω ὑμας &c. ουκετι ὡς διδασκαλος επιταττει, αλλ' ὡς συνηγορος δικαστης παρακαλει κυρωσαι τουτεστι βεβαιωσαι αγαπην, propter quod obſecro vos, &c. *non amplius ut doctor præcipit, ſed ut patronus judices precatur, confirmare i. e. ſtabilire dilectionem*. Remigius Lugdunenſis 1. *Cor*. 5. 13. Auferte malum a vobis, *id eſt illum qui malum opus fecit, a veſtra ſocietate expellite* &c. 2. Cor. 2. 6. Sufficit objurgatio hæc quæ fit a pluribus, *id eſt, ſufficit illi ad pœnitentiam correptio & objurgatio generalis, & quod a conſortio omnium veſtrum excluſus*, &c. ita ut e contrario magis donetis, *id eſt tunc ſufficiet ei objurgatio quæ facta eſt illi ab omnibus vobis, ſi e contrario indulgeatis ei*.

Hilarius Diac. in Coloſſ. 4. 16. *dicite Archippo*, &c. *præpoſitum illorum per eos ipſos commonet, ut ſit ſollicitus de ſalute ipſorum, & quia plebis ſolius cauſa ſcribitur epiſtola, ideo non ad rectorem ipſorum deſtinata eſt, ſed ad Eccleſiam*, & 1. Theſſ. 5. 14. *Corripite inquietos*, &c. *quoniam neceſſe eſt, quoſdam in plebe eſſe immodeſtos, quoſdam autem puſillanimes, id eſt timidos, quoſdam vero fide infirmos, ideo hos qui modeſti ſunt, & magnanimes, & fide fundati, hortatur cum prece ut his conſulant, ut poſſint proficere*.

Poſt collapſam (contrario uſu ubique certatim invecto) primigeniam Eccleſiarum diſciplinam, magis eviluit Chriſtianæ plebis dignitas, *Seniorumque* ejus, ut nomen, ſic functio ſeu res nominis deſiit, inauditam antea (ut *Dominum* deſignaret) ſignificationem induente, tam *Senioris*, quam *Majoris* vocabulo: Circa A. D. 412. *non ſolum barbaris lingua, ſed etiam Romanis dicere* jam *licebat*, Senior aarmen, *quod interpretatur*, Domine miſerere. Jam dudum denatos, ſive eos ætate immatura vitæ ereptos, ſive annis graves mors oppreſſiſſet, Sidonii Auguſtino ſupparis ſæculum *Seniores* vocabat (*a*). Optimates quoſcumque Marius Aventicenſis ad annum Chriſti 500. & 73. Caſſiodorus lib. 5. epiſt. 21. ad Annum circiter 520. & Gregorius Turonenſis poſt A. D. 585. lib. 7. cap. 33. 36. lib. 8. cap. 30. *Seniores* nuncupare non dubitabant: apud hunc lib. 5. cap. 48. Turonenſium, lib. 6. cap. 11. Maſſilienſium, lib. 8. cap. 21. Metenſium, c. 32. Rotomagenſium, lib. 10. c. 16. Pictavienſium *Seniores* id eſt proceres memorabantur: l. 8. c. 44. Baddo legatorum Fredegundis *Senior*, id eſt caput; Joanni Biclarenſi ad A. D. 575. Aſpidius *Aregenſium Senior*, id eſt princeps. Theodoro Maſſilienſium Epiſcopo apud Gregorium Turon. lib. 6. c. 24. *Seniores* Francorum Reges, A. D. 583. Joanni Papæ 8. epiſt. 26. Carolus Calvus *Senior*, & epiſt. 86. A. D. 878. data Ludovicus 2. Imperator *Dominus & Senior divæ memoriæ*, Concilio Metenſ. A. D. 808. c. 1. *glorioſiſſimus Senior* id eſt Dominus Arnulfus, Ingelheimenſi A. D. 948. c. 3. Hugonis Comitis *proprius Senior* Ludovicus ultramarinus, apud Theodouis villam A. D. 844. congregato c. 1. *Seniorale* regium in ſubditos quoſcumque jus dicebatur. Eademque ratione modo *prior* Caſſiodoro lib. 8. epiſt. 26. & Gregorio Turonenſi lib. 7. cap. 33. &c. aut *Major* abſolute Gregorio eidem lib. 6. c. 24. eoque (ex ipſius mente lib.

(a) *Apud Auguſtin. epiſt. 178. Lib. 2. epiſt. 2. lib. 6. epiſt. 7.*

lib. *6.* cap. 45.) *melior*; ſed etiam *natu*, ut *melior* Gregorio lib. *6.* c.45. & lib. *7.* c. 19. ſic *major* Caſsiodoro lib. 5. ep. 21. 22. & Gregorio Turon. l. *6.* c. 24. l. 8. c. 30. qui (ut ut ætate minor) dignitate potior fuit. Hinc facto in vernaculas linguas exoticorum vocabulorum tranſitu, ut nobis Græcum παις *page* peperit, Italis & noſtratibus Latinum nomen *bajulus* detorto nonnihil ſenſu præfectum & tutorem exhibuit qui Italis *Baile*, nobis *Baillif*, & *Bail*, quaſi commiſſam ſive plebem ſive perſonam ſinu fovens, & quodammodo *bajulans* audiat: *Majoris* vox Magiſtratum procudit, qui nobis *Maire* & *Mayeur*, Germanis *Mejer*, unde ante annos 1060. Guntchramno Regi & Francis Gundobaldus qui regium nomen uſurpabat, *Ballomer*, quaſi *falſus Major* apud Greg. Turon. l. 7. cap. 14. 36. 38. audiit; ex *Senioris* voce nobis *Seigneur*, Italis *Signore*, Hiſpanis *Senor* profluxit; *Senioris* id eſt Domini poteſtas, ſemilatinis *Senioratus*, nobis *Seigneurie*, Italis *Signoria*, Hiſpanis *Senoria*, imo ex *Seniorum*, & *majorum natu* vocabulis a nativa ſignificatione deflexis prodiere, qui olim Anglis *Ealdorman*, nunc Londinenſibus *Aldermen* (*a*), Nurimbergenſibus *Altherren*, & patrum noſtrorum memoria Florentinis *Antiani* fuere; ac verſa vice qui ante annos 925. ob minorem poteſtatem ſuberant, *agentes juniores* a Regibus noſtris & *Domus Majoribus* dicti ſunt (*b*).

Hinc etiam provenit quod gregarios cujuſcunque ætatis nobiles uſque nunc *Junckherrn* id eſt *juvenes dominos* vocent Germani.

Cum poteſtate ſive ſumma, quæ Regum propria eſt, ſive Regibus obnoxia, quam ſibi proceres & Magiſtratus, (ceu plebis fidelis ſub Chriſtianis principibus capita) vindicant præditos, tyrannica nulla in Eccleſiaſticæ diſciplinæ perniciem excitata molimina gradu (quo toto excedere campo cogerentur) movere nolentes hactenus potuerint, ſed ipſis ſæpius blandiri Clerici coacti ſint, jacturam ſui juris faciente reliqua plebe Chriſtiana, *honoratis* ſolito loco conſiſtere facile fuit (*c*): Reges *ſolo Deo*, cui nomen dederant, *minores*, Eccleſiæ *nutritios* Eſai 60. 16. & *Epiſcopos* των εκτος, imo (ſi Moguntiaci congregatos A.D. 813. Præſules audire libeat) *veræ Religionis rectores* ſuo modo præſtare, univerſas ſua ſub ditione Chriſti militantes Eccleſias, earumque ſingula membra ſuæ curæ commiſſa profiteri, de rebus ad earum regimen pertinentibus leges ferre; jam latas probante & rogante Clero patrocinio ſuo tueri, propria ipſis Eccleſiarum præpoſitis officia præſcribere, immorigeros quoſcunque per ſubditas poteſtates coercere, eiſque ex æquo & bono conſtituta commendare decuit: De *fide Catholica*, de *Sacroſanctis Eccleſiis*, de earum *immunitate*, de *Epiſcopis & Clericis*, de *iis qui religione contendunt*, de *Monachis*, de *hæreticis & Apoſtatis*, de *baptiſmi iteratione*, &c. decernere Chriſtianis Imp. & Regibus nunquam non licuit, quod vel ex iis quæ uſque nunc in utroque Codice, Novellis, Baſilicis extant, conſtare poteſt. Quæcunque ſubditæ gentis Concilia coierunt, convocarunt, confirmarunt, cum libuit, & quo modo libuit per ſe ſive per delegatos rexerunt.

A.D.

(a) *Concil. Angl. tom.* 1. *p.* 507. (b) *Conc. Gall. tom.* 1. *p.* 517.
(c) *Tertull. ad Scapul. Euſeb. de vita Conſt. lib.* 4. *c.* 24.

A. D. 317. adverſus Photinum *συνηλθον οἱ τε παροντες επισκοποι των συγκλητικων ȣκ ολιγοι, ȣς εκελευσε παρειναι τῃ διαλεξει βασιλευς*, Socrat. lib. 2. cap 30. A. D. 411. Marcellinus ab Honorio judex inter Catholicos & Donatiſtas datus eſt.

Concilii 2. Arauſicani *de Gratia & Libero arbitrio* decretis *Liberius Præfectus prætorio Galliarum* ſub Oſtrogothis cum aliis Illuſtribus ſeptem *conſentiens* A. D. 529. *ſubſcripſit*. Concilio 3. Toletano *Recaredus Rex*, *Badda regina*, *Seniores omnes Gotthorum* A. D. 529. *ſubſcripſere*. Octavo A. D. 653. *ex Illuſtribus officii Palatini* ſedecim. Nono anno 655. quatuor. Duodecimo anno 681. quindecim. Decimo tertio anno 683. vigintiſex. Decimoquinto anno 688. ſeptemdecim. Decimoſexto anno 693. ſedecim. Ad Landavenſem Synodum anno circiter 560. *venit Rex* Morcant *cum Senioribus*, *aſſenſu Seniorum* juravit, *cum multis Senioribus* Berthguinum *requiſivit*. Anno 694. *magnum Concilium in loco qui nominatur Becancelde*, *præſidente Withredo Rege Cantuariorum*, Epiſcopis, *Abbatibus*, *Abbatiſſis*, *presbyteris*, *diaconis*, *Ducibus*, *Satrapis in unum glomeratis congregatum eſt*.

Anno 5. *mitiſſimi Regis Cantuariorum Witheraedi Indictione prima* id eſt anno 697. *in loco qui vocatur Berghamſtede congregati ſunt ſacri ordines*, *cum viris militaribus*: circa annum 714. ut Angli cum Britonibus matrimonio jungerentur *factum fuit per commune conſilium & aſſenſum omnium Epiſcoporum & Principum*, *Procerum*, *Comitum*, *& omnium ſapientum*, *Seniorum & populorum totius regni & per præceptum Regis Inæ*, &c. *Anno Dominicæ Incarnationis* 747. *Indictione* 15. *prope loca qua vocantur Clobeshoas*, *Synodalia geſta peracta ſunt*, *præſentibus Deo dilectis Præſulibus Eccleſiarum Chriſti anno regni Ædilbaldi Regis Merciorum qui tunc aderat cum ſuis principibus ac Ducibus trigeſimo ſecundo*. *Inito cum prædictis Regibus*, Offa Merciorum & Chuniulſo Weſt-Saxonum, *pontificibus & Senioribus terræ Conſilio* A. D. 787. Chalchutenſe Concilium coiit, *coram Rege Ælfwaldo*, *& Archiepiſcopo Eanbaldo & omnibus Epiſcopis*, *& Abbatibus regionis*, *ſeu Senatoribus & Ducibus*, *& populo terræ decreta proposuit*, quibus *presbyteri*, *diaconi Eccleſiarum*, *& Abbates monaſteriorum*, *judices*, *optimates*, *& nobiles uno opere*, *uno ore conſenserunt & ſubscripserunt*: iiſdemque *in Concilium Merciorum ubi Rex Offa*, *cum Senatoribus terræ*, *Archiepiscopo*, *& cæteris Epiſcopis regionum convenerat*, delatis; ea *tam Rex*, *quam principes sui*, *Archiepiscopus cum ſociis firmaverunt*. Anno 794. *Concilium in regno Merciæ celebratum præſentibus novem Regibus*, *quindecim Epiſcopis*, *viginti Ducibus*, *apud Celchyth*. Eodem anno *congregavit apud Verolamium Epiſcoporum & Optimarum ſuorum Concilium* Rex Offa Roma redux. Anno 798. *congregatum eſt magnum Concilium in loco qui nominatur Bacanceld*, *præſidente Cenulfo Rege*, *nec non Reverendiſſimo Archiepiſcopo Athelardo cum Epiſcopis*, *Abbatibus*, *& multis aliis idoneis perſonis*. Circa A. D. 800. *univerſos provinciales Epiſcopos* ſuos, *Duces & Abbates*, *& cujuſcunque dignitatis viros ad Synodale Concilium in locum qui vocatur Clovesho convocavit* Athelardus Archiepiſcopus. Eodem fere tempore *Kenulphus Rex Merciorum cum Epiſcopis*, *Ducibus*, *& omni ſub ejus ditione dignitatis* gradu Archiepiſcopatum Dorobernenſi Eccleſiæ reſtituit. A. D. 816. Synodo *in Celichyth*, *præſidente Wulfredo Archiepiſcopo* con-

R 2 gre-

gregatæ, Cenulpus Merciorum Rex *cum ſuis principibus*, *Ducibus*, *& Optimatibus præſens adfuit*. A. D. 822. *congregatum eſt Synodale Concilium in loco præclaro qui nominatur Clovesho, præſidente Beornulfo Rege Merciorum, & Wulfredo Archiepiſcopo, cæteriſque Epiſcopis & Abbatibus, omniumque dignitatum optimatibus, Eccleſiaſticarum ſcilicet & ſæcularium perſonarum*. A. D. 824. *factum eſt pontificale & Synodale conciliabulum in loco qui dicitur Clofeshoas, præſidente ibi Rege; illic omnes Epiſcopi & Abbates, & univerſi Mercenſium principes; & multi ſapientiſſimi viri congregati aderant*. A. D. 833. *pontifices & proceres majores totius Angliæ in civitate Londonia pro conſilio capiendo contra Danicos piratas litora Angliæ aſſidue inſiſtantes* cum Withlaſio, Egberto, & Æthelvvulfo Regibus convenerunt. A. D. 838. *in loco famoſo nomine Kinſtone præſidente Egberto Rege & filio ejus Athelvvulfo Ceolnothus Archiepiſcopus cum cæteris Epiſcopis Angliæ & Optimatibus* convenit. A. D. 851. *Kingesburiæ Concilium ſub Bertulpho Rege, Ceolnotho Dorobernenſi Archiepiſcopo, cæteriſque regni Merciæ Epiſcopis & Magnatibus*, & paulo ante *apud Beningdon coram prælatis & proceribus totius regni* contractum eſt. A. D. 855. Wintoniæ *cum epiſcopis ac principibus* ſuis *Concilium* celebravit *Inclytus Weſt-Saxonum Rex Ethelvvulphus*. A. D. 887. *ubi propagatum in Anglia Dei Evangelium, Epiſcoporum aliorumque clariſſimorum ſapientum conventus actos*, præfatione ſua monet Rex Alvredus. *Inito conſilio cum Synodo, & cum quibuſdam parochiæ optimis viris laicalis ordinis & Catholicæ fidei*, *condonavit* Loumarch filio Catguocan *Epiſcopus* Landavenſis Gulbrit: *voluit* Civeilliauc Landaviæ Epiſcopus, *Brochvaillum* Regem *excommunicare coram omni populo in plena Synodo*. A. D. 928. *decretæ* (leges) *in celebri Grantanleano Concilio, cui Wulfhelmus interfuit Archiepiſcopus & cum eo optimates ac ſapientes ab Æthelſtano Rege evocati frequentiſſimi*. A. D. 940. *Hovvel Da filius Cadell, Cambriæ Rex accivit de quolibet* Kemul *regni ſui ſex laicos viros auctoritate & ſcientia pollentes, & omnes Eccleſiaſticos dignitate baculoſos*, &c. *ad inſtruendas ſibi leges*. A. D. 944. *Edmundus Rex ipſo ſolemni Paſchatis feſto, frequentem Londini tam Eccleſiaſticorum quam laicorum cœtum celebravit, cui interfuerunt Oda & Wulſtanus Archipræſul, plurimique alii Epiſcopi ut animorum ſuorum, & eorum omnium qui eis curæ ſunt, conſuleretur ſaluti*. A. D. 948. *in feſto Nativitatis B. Mariæ univerſi Magnates regni per regium* (Edredi) *edictum ſummoniti, tam Archiepiſcopi & Epiſcopi ac Abbates, quam cæteri totius regni proceres & optimates Londiniis convenerunt*. A. D. 955. *obviarunt ſibi Nogui* Rex, *& Epiſcopus cum optimatibus ſuis in Gueutonia urbe, & ex conſilio omnium doctorum utriuſque partis dati ſunt* (rei) *in manus Epiſcopi*. A. D. 978. *Calve Concilium indictum, ubi conſederunt totius Angliæ Senatores*, Henrico Huntingdonienſi *Optimates*, Florentio Wigornienſi *majores natu*, Jornalenſi *proceres*. A. D. 1009. *Concilium Ænhamenſe ab Æthelredo Rege edictum* eſt, *accerſitiſque Epiſcopis & univerſis Anglorum Optimatibus, in die S. Pentecoſtes celebratum*. A. D. 1022. *Rex Canutus* Wintoniæ *cunctos regni ſui prælatos, proceresque ac magnates convocavit*, ubi cum *Archiepiſcopis*, *Epiſcopis*, *ſeptem Ducibus*, *cum totidem Comitibus*, *nec non diverſorum monaſteriorum nonnullis Abbatibus*, *cum quamplurimis gregariis militibus*, *populi multitudo copioſa perſonaliter extitit*.

Fran-

Francorum noſtrorum conſuetudo non diſpar. A. D. 742. (*a*) *per Conſilium ſacerdotum religioſorum & optimatum ſuorum per civitates Epiſcopos Majordomus Carlomanrus ordinavit*. A. D. 743. *in Synodali conventu qui congregatus eſt ad Kalendas Martias in loco qui dicitur Leptinas, omnes venerabiles ſacerdotes Dei & Comites, & præfecti prioris Synodi decreta conſentientes firmaverunt*. Ibid. c. 2. *cum conſilio ſervorum Dei & populi Chriſtiani* de pecunia Eccleſiaſtica *ſub precario & cenſu* præſtanda *ſtatutum*. A. D. 744. *ab Incarnatione Chriſti ſub die 6. Nonas Martii, cum conſenſu Epiſcoporum ſive ſacerdotum vel ſervorum Dei conſilio, ſive comitum & optimatum Francorum colloquio apud Sueſſionis civitatem Synodum vel Concilium facere decrevit* Pipinus Dux. C. 2. *cum conſenſu Epiſcoporum ſive ſacerdotum ſeu ſervorum Dei, & Optimatum eorum conſilio annis ſingulis Synodum renovari debere decrevit*. C. 3. *per conſilium ſacerdotum & optimatum per civitates legitimos Epiſcopos ordinavit*. Hortatu Pauli Papæ epiſt. 26. (*b*) *congregatis* Gentiliaci a. D. 767. *ſacerdotibus ſuis & optimatibus*, Synodum de Imaginibus habuit, eodem anno *Bituricam venit, ubi Synodum cum omnibus Francis fecit*. A. D. 768. apud S. Dionyſium *una cum conſenſu Francorum & procerum ſuorum at & Epiſcoporum regnum diviſit*. Annal. A. D. 773. *Synodum tenuit generaliter cum Francis apud Jenuam* Carolus M. A. D. 777. Capitula *congregatis in unum Synodali Concilio Epiſcopis, Abbatibus, viriſque illuſtribus Comitibus* edidit. Regino ad A. D. 788. Wormatiæ *Synodum congregavit, & manifeſtavit ſacerdotibus & optimatibus regni cauſas itineris*. Aquisgrani A. D. 789. Capitula *cum ſacerdotibus & conſiliariis* ſuis condidit. A. D. 813. *de iis quæ Epiſcopi* Arelate, Moguntiaci, Rhemis, Turonibus & Cabiloni *congregati, in unum obſervanda decreverant & admonenda*, Capitulare ſcripſit, Flodoard. lib. 2. c. 18. A. D. 814. *Synodum in Eccleſia Noviomenſi, congregatis ſecum Corepiſcopis ſuis, necnon Abbatibus, cum cætero Clero presbyteris & diaconis; convocatis etiam Comitibus invenitur habuiſſe* Wlfarius Rhemenſis, *hiſce omnibus reſidentibus ſententia ventilata eſt inter Wendilmarum & Rotaldum Epiſcopum de terminis parochiarum ſuarum. Hæc diligentiſſime inveſtigata conſenſerunt ſupra ſcripti Epiſcopi, & Corepiſcopi, Abbates, presbyteri & diaconi, & pars Eccleſiæ Noviomenſis clerici & laici, & pars Eccleſiæ Sueſſionicæ ſimiliter clerici & laici, ea uno animo, unoque conſenſu confirmare decreverunt*. A. D. 822. (*c*) *in loco cujus vocabulum eſt Attiniacus, convocatis ad Concilium Epiſcopis, Abbatibus, ſpiritualibusque viris, necnon & regni* ſui *proceribus, conventum generalem coire juſſit Ludovicus* pius. A. D. 829. (*d*) *cum conſultu ſacerdotum cæterorumque fidelium ſuorum conventus in quatuor imperii locis*, Moguntiaci, Pariſiis, Lugduni & Toloſæ *fieri ſtatuit*, Agobardus de Ludovici pœnitentia. A. D. 833. *apud palatium quod nuncupatur Compendium, conventus extitit ex Reverentiſſimis Epiſcopis, & magnificentiſſimis viris illuſtribus, collegio quoque Abbatum & Comitum, promiscuoque ætatis ac dignitatis populo*, Nithardus lib. 1. A. D. 834. *plebs non modi-*

(a) *Conc. Leptin. c. 1.* (b) *Annal. Collect. hiſtor. a Caniſio edita lib. 6.* (c) *Vita Ludov.* (d) *Præf. Concil. 6. Pariſ.*

modica quæ præſens aderat, *& jam jamque Lothario pro patre vim inferre volebat*, *Rege recepto*, *Baſilica S. Dionyſii una cum Epiſcopis & omni Clero confluunt*, *laudes Deo devote conferunt*, *coronam & arma Regi ſuo imponunt*, *& ad cætera deliberaturi contendunt*. Hincmar. adverſus Gotheſcalcum c. 36. A. D. 835. *In Eccleſia S. Stephani apud Mediomatricum civitatem ambonem conſcendit*, *& ſe publice denotavit coram Epiſcopis & Imperatore*, *& clero ac populo qui adſuerunt*. Ebbo Rhemenſis A. D. 843. *venientes in unum apud villam* Coloniam in Cenomanis, *fidelis Caroli* Calvi, *tam in venerabili ordine Clericali*, *quam & illuſtres viri in nobili laicali habitu conſtituti*, &c. *hortatus eſt alter alterum*, *imo omnes ſe invicem monuerunt*. A. D. 844. quæ Concilium Vernenſe decrevit, *Epiſcopi* ſibi *& cæteri fideles* adſcripſerunt. Congregati in villa Sparnaco proceres *remotis a Concilio Epiſcopis*, *ex omnibus illis* (quæ Epiſcopi ediderant) *Capitulis*, *hæc tantum obſervanda & complacenda ſibi collegerunt*, *& Epiſcopis ſcripta tradiderunt*, *dicentes non amplius de eorum capitulis quam iſta & iſta velle cum Principe obſervare*. A. D. 876. Februario menſe *omnes Epiſcopi*, *Abbates*, *Comites*, *ac reliqui qui cum ipſis* Ticini *convenerunt*, *Italici Regni optimates*, Carolum Calvum Regem ſalutarunt, quæque *in palatio Ticinenſi capitula fecit*, *cum conſenſu & ſuggeſtione venerabilium Episcoporum*, *& illuſtrium optimatum*, *reliquorumque fidelium ſuorum ad honorem S. Dei Eccleſiæ feciſſe dicitur*. A. D. 879. Synodus Mantalæ *territorii Viennenſis* congregata *ſimul cum primoribus convenit*, & *cum nobilioribus idoneas regno perſonas conſideravit*. A. D. 887. *cum laicis quibusdam religioſis Coloniæ* Agrippinæ celebrata eſt Synodus. A. D. 888. Metis *Epiſcopi*, *Stephanus venerabilis Abbas*, *& multi ſacerdotes cum Comitibus & pluribus nobilibus & Deum timentibus viris Synodo adſuerunt*. A. D. 895. Triburiæ *cum Epiſcopis*, *Abbatibus & omnibus regni principibus*, *necnon convenientibus Eccleſiaſticorum & ſæcularium innumeris turbis* habita eſt ſynodus. Ex Flodoardi Chronico ad 948. *Synodus congregata ex præcepto Papæ in Engulcheim palatio regali in Eccleſia B. Remigii honori dicata 7. Id. Junii &c. omnes qui aderant tam Clerici quam Illuſtres laici* Hugonem in ſede Rhemenſi intruſum *excommunicandum eſſe acclamarunt*. Conciliis Ravennæ A. D. 954. & 70. congregatis *profani ordinis viri nobiles*, & *nobiles complures cives* adfuerunt.

Ne in infinitum teſtimoniorum nobis moles excreſcat; quas ſibi in Eccleſiaſtico regimine partes Francorum proceres ſemper vindicaverint, ex recentioribus aliquot nulli (niſi qui ære nondum lavetur) ignotis exemplis manifeſtiſsimum evadet: Baſileæ congregatam ab Anno 1431. *Synodum ſacroſanctam*, *generalem*, quæ Occidentem univerſum gravantibus incommodis, decretis ſuis *proviſionem congruentem attuliſſe videretur*, rotundo ore pronunciabant, id tamen a ſemet impetrare nequaquam potuerunt, ut ea indiſcuſſa nullo adhibito temperamento admitterent. Carolus Rex *habita ſuper his magni conſilii deliberatione Archiepiſcopos*, *Epiſcopos*, *Capitula notabilia*, *Abbates*, *Decanos*, *cæteroſque Prælatos & Eccleſiaſticos*, *ac divini & humani juris Magiſtros*, *Doctores*, *& ſcientificos viros univerſitatum*, *ſtudiorum generalium*, *& alios de regno & Delphinatu in maximo*, *copioſoque numero in Bituricenſi civitate convocari fecit*, *& congregari*; *in qua ſolemni congregatione præſidens*, *aſſiſtentibus*

prin-

principibus *conſanguineis*, *pluribuſque magnatibus*, *proceribus & viris peritiſſimis*, *Eccleſiaſticis & ſæcularibus*, *de magno Conſilio*, *& aliis ipſius ſummi Pontificis*, *necnon & S. Synodi generalis ſolemnes oratores ad* ſe *deſtinatos*, *ſuper his & aliis ſtatum Eccleſiæ Dei plurimum concernentibus audivit*, *attenteque audiri fecit*. *Quibus ad plenum auditis*, *apertiſque luculenter & diſerte*, *per plures Prælatos*, *ſacræ Theologiæ & jurium Doctores*, *& exinde plurium dierum intervallis diſcuſſis*, *& diligenter pertractatis materiis prætactis*, *pro parte eorundem Prælatorum & aliorum virorum Eccleſiaſticorum ipſam regni ac Delfinatus Eccleſiam repræſentantium* &c. *præhabita inter eos multimoda diutinaque apparitione*, *diſcuſſione*, *atque digeſtione memorata*, *ipſius ſcilicet ſacræ Baſileenſis Synodi decreta*, *ordinationes*, *& ſtatuta aliqua*, *ſimpliciter ut jacent*, *alia vero cum certis modificationibus & formis*, *non hæſitatione poteſtatis*, *& auctoritate condentis & promulgantis*, *ipſius ſcilicet ſacræ Baſileenſis Synodi*, *ſed quatenus commoditatibus*, *temporibus*, *& moribus regionum*, *& perſonarum ſæpefatorum Regni ac Delphinatus congruere convenireque conſpexerunt*, *recipienda conſenſerunt*, *& acceptanda deliberaverunt*; eaque omnia ipſe grata & accepta, edita *pragmatica ſanctione* habuit A. D. 1438. Julii 17. Cum anno 1461. Pii II. blandimentis delinitus Ludovicus XI. paternam ſanctionem abrogaſſet, tanto ardore (ſcriptis ſuper abrogatione illa *aviſamentis*) interceſſere Franci, ut ſe Rex ipſe propoſiti tenacior expugnari paſſus ſit. A. D. 1516. deſinente, temporum iniquitate coactus Franciſcus I. eam *ad majora pericula evitanda* initis cum Leone X. concordatis *revocavit*, ſed vix obtinuit (contra proteſtante Pariſienſi univerſitate frementibuſque univerſis regni ordinibus) ut A. D. 1518. Martii 22. in acta Curiæ concordata referrentur, legiſque vim deinceps haberent. A. D. 593. factionis henoticæ *Comitiis* Lutetiæ Pariſiorum a Meduanio Duce indictis, *initio prima de Concilio Tridentino conſultatio fuit*, *quam præcipue urgebat Legatus Pontificius* Ph. Sega Card. Placentinus, *ut qui citra ejus in regno ſine conditione ulla promulgationem*, *religionem*, *cujus cauſa bellum gerebatur*, *poſſe conſtitui negaret*; *re in deliberationem deducta* 5. *Idus April. cum multi libertates ac jura & immunitates Eccleſiæ Gallicanæ & regni cauſſarentur*, *quibus factum eſſet*, *ut promulgatio Concilii antea toties propoſita*, *huc uſque dilata eſſet*, *negotium datum Joanni Magiſtro*, *quem Curiæ Præſidem Meduanius creaverat*, *& quibuſdam aliis viris probis & a factione alienis*, *juris noſtri peritiſſimis*, *qui Concilium inſpicerent*, *& quæ in diſciplina*, *legibus*, *ac moribus noſtris præjudicantia reperirent*, *adhibito judicio annotarent*. *Igitur ab illis obſervata*, *quæ ſalvis juribus ac libertatibus noſtris admitti non poſſent* &c. *Cum Joannes Magiſter & alii in publico conventu ſibi comperta dicerent*, *quæ Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus & regni juribus ac immunitatibus adverſarentur*, *magna gratulatione a quibuſdam accepta*, *ab aliis qui numero vincebant*, *in offenſionem verſa ſunt*. *Pontificius Legatus quicum res communicata eſt*, *cum vereretur ne contentione ob id inter delegatos excitata conventus turbaretur*; *offenſionis ſenſum ad tempus preſſit*, *& opportuniorem occaſionem aperiens*, *negotium urgere deſiit*; *jam enim voces paſſim audiebantur*

(a) *Thuan. hiſt. lib.* 105.

tur libertatem publicam per Tridentini Concilii promulgationem opprimi querentium: Sic cæteris de rerum eventu ſecuris per laicos proceres ipſamque plebem religioſa de Eccleſia & republica cura in Franciæ regno proprie veſtigia preſſit.

Conſimili jure majorumque frequentibus exemplis freti quotquot ab annis plus minus centum per Germaniam, Angliam, Daniam, Sueciam, Helvetiam adverſus invectas a ſæculis aliquot in Chriſtianum orbem doctrinæ & diſciplinæ ſacræ corruptelas proteſtari cum paſtoribus ſuis coacti ſunt Reges, principes, proceres, Magiſtratus; ſtrenuos, ſe tam fidei quam regiminis vindices (conſtitutis ubique *Senatibus Eccleſiaſticis*) præſtiterunt, eamque quam per Dei Optimi Maximi gratiam nacti erant ſpartam pro virili ornarunt. Nemo tamen quas in univerſo Eccleſiæ regimine partes obire ex officio teneretur reliqua fraternitas, vel cogitavit, vel cogitandum putavit; cum enim eam ab omni conſiliorum & poteſtatis participatione jamdudum depulſam, ſui in Chriſtiana ſocietate juris prorſus immemorem, nulla ſui cura tangi viderent, de ſe ſolis anxii, quid ſui proprie officii eſſet animo complexi ſunt, ipſoque opere exprimere conati. At ſinceri Chriſtianiſmi in Gallia, Scotia & Belgio aſſertorum longe diſpar fuit conditio; Cum enim Præſulum ſuorum (quos tanti facti Duces Angli habuerant) paterno ductu, Regumque ac Magiſtratuum patrocinio deſtitutos vis major urgeret, & eos contra torrentem (ne Dei & Eccleſiæ cauſam flagitioſa negligentia proderent) niti neceſſe eſſet, una ipſis ex ingruentibus undique malis emergendi ſpes, reſtituta in integrum Chriſtiana plebe, affulgere viſa eſt; rediit protinus in mentem quo primum jure ſub Apoſtolis primaque ſecundum Apoſtolos antiquitate conſtanter uſa fraternitas eſſet, exemplo fuit admiranda Apoſtolorum in ſumma poſt Chriſtum poteſtate conſtitutorum, nec niſi participatis cum fratrum corpore conſiliis, in Eccleſia quicquam ſtatuentium modeſtia; a ſacroſancta Martyrum (*a*) *nihil privata ſententia ſine conſenſu plebis* ſuæ *gerentium* (*b*), ſingula *cum plebe expenſa moderatione librantium* norma deflectere ut puduit: ſic moribus antiquis a priſco Clero Romæ & Carthagine ante annos 1400. probatis Chriſtianam rem ſtare placuit; ut cum *per quam invidioſum & oneroſum videretur*, *non per multos examinare*, *quod per multos commiſſum fuerat*, *firmum decretum nihil eſſe deinceps poſſet*, *quod non plurimorum haberet conſenſum*. Vocata itaque ex Majorum, imo ex Domini ipſius præſcripto, ad regiminis participationem fraternitate, redintegrata eſt ab eadem delectorum *Seniorum plebis* dignitas (*c*), *ſine quorum conſilio* non dicam Apoſtolicorum virorum ſæculum, ſed longe poſt Origenis & Cypriani tempora, quibus Chriſtiani nulli Magiſtratus erant, Conſtantini Magni (qui primus Chriſtianos ad poteſtates publicas graſſari permiſit) ætate *in Eccleſia nihil fiebat*; cumque Diaconatus qualis ab Apoſtolis inſtituta primum eſt, obſoleviſſet ubique functio, ipſorum fidei concredita eſt, ac ne quid vel Eccleſiæ corpus, vel ulla ejus membra detrimenti in poſterum caperent, ſedulo proviſum. Illibatus etiam Principibus, honoratis, & poteſtatibus quibuſcunque in Chriſti plebe, cujus qua fideles, capita ſunt, debitus honor ſervatus; quandoquidem quicquid vel Clerus, vel cum Clero *Seniores plebis* com-

(a) *Cyprian. ep.* 6. (b) *Epiſt.* 28. (c) *Hilar. in* 1. *Tom.* 5.

communi conſilio decernunt, ipſorum inſpectioni ſubjacet, poſſuntque (quandocunque collibitum eſt) omnibus & ſingulis officia præſcribere, & ab iiſdem ſive neglecti ſive præſtiti rationes expoſcere.

Quis primigeniam Eccleſiaſtici regiminis a Chriſto ipſo primum inſtituti continua Apoſtolorum & ſanctorum (quotquot puriora & defæcatiora Chriſtianiſmi ſæcula viderunt) praxi confirmatam formam antiquitatis & veritatis ſtudioſo ulli faſtidium unquam facturam credidiſſet? Eos tamen quos minime omnium oportuerat, cum ardentiores vetuſtatis admiratores videri vellent, tanta affectuum intemperies exagitavit, mentiſque oculos tam denſa caligine merſit ut quod Apoſtolicum (velint nolint) fuiſſe negare non poſſunt, abſolute *primum* fuiſſe nequaquam viderint, idque ceu nuperum iequioris ævi deliramentum indignabundi reſpuerint: hinc factum ut conflata ex Evangelii miniſtris & *plebis* cujuſque *Senioribus* ſynedria, qualia Gallorum, Scotorum, Belgarum Proteſtantium ſunt, Clariſſ. ſuo tempore Doctor Georgius Dovvnamus (a) *ſuppoſititia presbyteria*, tam infelici cataſtrophe ſua miſerandus, quam antea famoſus Cantuarienſium Præſul Guill. Lavvdus (b), *phantaſticum Calvini Commentum* vocare, alii Hierarchiæ Helenæ ſuæ comendæ intenti, & partium ſtudio iniquiores, exquiſitis ad invidiam & probrum dicteriis infamare non dubitaverint; quique redemptam Chriſti ſanguine fraternitatem cum nullo numero haberent, eandem ſuo quem ab Apoſtolis & primitiva Eccleſia per tria ad minimum ſæcula obtinuerat, honore excidere cogebant, & quocunque modo ſacra attingere indignabantur, hac in parte *novi* prorſus ac *degeneres*, utpote ſancitæ Apoſtolorum primorumque Chriſtianorum ſacroſancta auctoritate & exemplo diſciplinæ deſertores, genuinos venerandæ illius antiquitatis diſcipulos, ceu *novatores*, qui *phantaſmata* ſua Chriſtiano orbi impudenter obtruſerint, criminari auſi ſint.

Sed forte Apoſtolicæ per omnia non reſpondet eorum praxis. Eſto. Eamne hoc uno nomine illis damnare licuerit, apud quos abſolute in uſu eſſe deſiit? *Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?* hic Tertulliani verbis, moroſos iſtos Proteſtantium Ciſmarinorum Cenſores compellare ad manum ſemper fuerit (c), *ubi religio, ubi veneratio majoribus debita a vobis? inſtructu, ſenſu, ipſo denique ſermone proavis renunciaſtis. Laudatis ſemper antiquitatem & nove de die vivitis; per quod oſtenditur, dum a bonis majorum inſtitutis deceditis, ea vos retinere & cuſtodire, quæ non debuiſtis, cum quæ debuiſtis, non cuſtodiſtis.* Si judicio veſtro in culpa ſunt Proteſtantes, qui quæcumque Apoſtolica diſciplina plebi ſanctæ detulit, tribuere non videntur quanto magis culpandi vos, qui nihil prorſus ei vel tribuitis vel tribuendum putatis?

Id ab Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum uſu in Proteſtantium moribus diſcrepare quis dixerit, quod Apoſtoli eorumque proximi ſucceſſores, cum tota fraternitate conſilia miſcuiſſe, eamque totam ad regiminis participationem fere ſemper vocaſſe videantur; hi vero non multitudinem per ſe totam, ſed ſolos delectos ab

(a) *Orat. de Gubern. Eccl.* (b) *Orat. in Camera ſtellata habitâ.*
(c) *Apol. c. 6.*

ea *Seniores* ad regiminis ordinarii conſortium admittant, minuſque quam primi Eccleſiæ & diſciplinæ conditores ſuo tempore præſtiterunt, impræſentiarum præſtent: Diſcrepare revera, totamque fraternitatem ſecundum univerſa & ſingula ſua membra ad gubernationis ſocietatem olim vocari conſueviſſe, quæ nunc non vocatur, ſi demus, in promptu cauſa erit: prima ſub beatis Apoſtolorum & Apoſtolici traducis temporibus Eccleſia tota cœleſti Spiritus luce circumveſtita, extraordinariis (*a*) *Sermonis ſapientiæ*, & *cognitionis*, *linguarum interpretationis*, *operationis virtutum*, *prophetiæ*, *diſcretionis ſpirituum* donis (Apoſtolo teſte (*b*)) inſignis per ſe totam potuit ſine noxa gubernaculis cum præpoſitis ſuis admoveri; hodierna donis illis univerſis deſtituta, cuique hæ ſolæ ſenſim proficiendi viæ *lectio*, *meditatio*, *oratio* reſtant, in paucis membris ſuis tantum eorum quæ ad regimen pertinent capax eſt. Si quis nunc fraternitatem *prophetis*, *interpretibus*, aliiſque diverſimode divino *Spiritu actis* conſtantem exhibeat, cui ex Dei ſervis (Domino ipſo dignam demonſtrante) indigna videatur, quæ conſiliorum poteſtatiſque regimen ſpectantis particeps fiat? quem demandati muneris memorem, de præpoſitorum prærogativa ſollicitos, plebemque quocunque donorum genere ditatam a regimine præpoſitorum cauſa procul ſubmovendam pronuntiantes, Moſis exemplo ab inſano infeſtoque molimine revocare pudeat (c), *Quid æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus Domini propheta ſit, detque eis Dominus Spiritum ſuum?* ubicunque tantis donis ornata, tanto ordine compoſita multitudo fuerit, ut functionum omnium capax, dotibus ſuis nunquam abuti, gradu quemque ſuo ſemper conſiſtere (*d*), *omnia ad ædificationem facere* velit, quis eam a præſidentibus ſuis conſiliorum omnium ubique participem fieri poſſe ac debere dubitet? At ubicunque carnalibus affectibus ſervire aſſueti, ſervare modum, imo ſecum habitare neſcii (prout nunc ſunt) homines fuerint, quis niſi mentis inops, ordinis & ædificationis ſtudioſos nullo cum turbonibus diſcrimine habendos, remittendaque horum metu a præſidentibus regiminis lora putet, ut deinceps qua impetus urget hac ſine lege ruant, rapiantque per avia corpus? Id adverſarii communes pervelint magnoque mercentur *Independentes* illi, quos (cum nihil familiari nobis ciſmarinis lingua ediderint) uſque nunc niſi de nominis infamia noſſe non licuit. Eos in *orthodoxos* qui nihil in communi Proteſtantium doctrina per ſe moveant, & *hæreticos* diſtingui audimus, qui Samoſatenum, Arium, Manetem, Carpocratem, Pelagium, Montaniſtarum enthuſiaſmos, Libertinorum caninam impudentiam ex imo orco revehendi ſpe prioribus blandiantur, iiſque favitoribus (dum communi opera regimen oppugnant) utantur. Necdum capere poſſumus, quibus aut fidiculis adſtringantur, aut veneficiis faſcinentur quos qualecunque veri ſalutaris ſtudium tenet, ut teterrimas humani generis peſtes aperto ſinu, nullo horroris ſenſu foveant, Chriſtique perduellium partes vel indirecte propugnandas ſuſcipiant. Tantane vos (fratres) dementia cepit, ut (funeſti quem ex regimine presbyteriali erupturum fruſtra ſuſpicamini, fumi odio) fidei quam (*e*) *magno Deo & Ser-*

(a) 1. *Cor.* 12. 9. 10. *vide Rom.* 12. 5. *&c.* (b) 1. *Cor.* 14.
(c) *Num.* 11. 19. (d) 1. *Cor.* 14. 26. (e) *Tit.* 2. 23.

& Servatori noſtro Jeſu in baptiſmo dediſtis, charitatis qua corpus ejus (ſiquidem membra eſtis) complecti tenemini, patriæ pacis cujus bona út cives hactenus participaſtis, obliti, in infernale (abſit invidia verbo) incendium quo ab annis aliquot florentes antea Britanniæ flagrant, ſcientes prudentes ruere, quam ad mentem vere Chriſtianam redire malitis (*a*)? *Nolite jugum impar cum infidelibus ducere*, nullum *juſtitiæ cum iniquitate conſortium*, nullam *luci cum tenebris communionem*, nullam *Chriſti cum Belial conventionem*, nullam *fidelis cum infideli portionem*, nullum *templo Dei cum Idolis conſenſum* eſſe ab Apoſtolo moniti mementote; *quapropter e medio eorum* (ſi vos amatis) *exite*, tandemque aliquando *ſeparamini*.

Etſi ab omni capitalium hæreſeon veneno (quod optamus) puri ſint quibus hactenus manum porrexiſtis, quid ſi Anabaptiſtico furore correpti Babylonem in ipſo Hieroſolymorum meditullio moliuntur, ut expuncto omni inter fideles, & præpoſitos diſcrimine, cuique quod libet, liceat? univerſa in Domini noſtri domo (*b*) *decenter & ordine fieri* debere (*c*), *non ſemper quæ licent expedire*, nulla niſi *ad Eccleſiæ ædificationem* (ad quam noſtra univerſa exigenda ſint) dona a quoquam *quærenda*, *Deum* qui plebi ſuæ quæcunque ſive in regimine ſive extra regimen poſſidet, προνομια largitus eſt, *incompoſiti ſtatus non eſſe*, *ſed pacis*; eum ut *donorum*, ſic *miniſteriorum*, & *functionum* in unigeniti corpore *diſtinctiones* inſtituiſſe (*d*)? membra a membris ſecreviſſe, unicuique quæ ſua ſunt (*e*) *diſtribuiſſe prout voluit*, ſingulis ſuum ſitum decuſque aſsignaſſe, ut ut *omnes Apoſtoli & Prophetæ* in ſancta illa compage videantur, quamdiu eadem conſtiterit, inviolata omnium & ſingulorum diſcrimina manſura, ut, qui præpoſiti ſunt (*f*), *cum diligentia præſint*, ſeque ſubditorum (*g*) *propter Jeſum ſervos* noverint, quocunque vero modo & gradu ſubditi, præſides (*h*) *agnoſcant*, duraturamque ad ſæculi finem Apoſtolici mandati vim (*i*), *obedite ductoribus veſtris eiſque ſubjacete* ſentiant: ac ne quando quis nimio ſuimet amore corruptus (*k*), *adverſus* fratres publicumque ordinem (procella mox futurus) *infletur* (*l*), vere pios *Spiritu* Dei (qui *lenitatis* ſit & charitatis) agi (*m*), *honore invicem prævenire*, *ſibi invicem in timore Domini ſubjici*, *alios ſibi præcellere exiſtimare*, ex charitate quæ (*n*) *patienti animo & benigna eſt*, *omnia tegere*, *credere*, *ſperare*, *tolerare*, *ſua* denique (*o*) *non quærere* animo indeſinenter recolite. Corinthi (*p*) olim etſi mulieres iiſdem Spiritus donis cum viris ornarentur, publiciſque (*q*) *conventibus* intereſſent, *ne loqui* quidem ex donorum conſcientia *permittebatur*, ſed eas *ſubditas manere* neceſſe erat: viris prophetico ſpiritu imbutis, *ſigillatim prophetare*, ſed ea lege licebat, ne alii alios interturbarent, de iis vero quæ dictante Spiritu protulerant, *alii dijudicarent*. Si prophetandi libertatem ne in effrænam licen-

(a) 2. *Cor.* 6. 14. *&c.* (b) 1. *Cor.* 14. (c) 1. *Cor.* 10. 23. (d) *Rom.* 12. 6. 7. (e) 1. *Cor.* 12. 11. (f) *Rom.* 12. 8. (g) 2. *Cor.* 4. 5. (h) 1. *Cor.* 16. 18. (i) *Hebr.* 13. 17. (k) *Hebr.* 13. 17. (l) *Gal.* 6. 8. (m) *Rom.* 12. 10. (n) *Epheſ.* 5. 21. (o) *Phil.* 2. 3. (p) 1. *Cor.* 13. 4. 7. (q) 1. *Cor.* 10. 24.

centiam exundaret unquam, (Spiritu ipſo per Paulum edicente) diſciplinæ ſanctæ fibula arctius adſtringebat, eoque fine *Spiritus* id eſt dona *prophetarum*, *prophetis* poſsidentibus (*a*) *ſubjiciebantur*, ut ea nemo, niſi cum ædificatio communis poſcere videbatur, exſerere auderet; quibus nunc a vobis vinculis conſtringendi veniunt, qui (cum donis omnibus ſpiritalibus careant) veterum *prophetarum ſimiæ*, tribuſque Anticyris digna capita, non *prophetæ*, vel ex taberna, vel ex militari ſtatione in cathedram Chriſti indecoro habitu, corpore (ſi Deo placet) jejuno, mente certe parum ſobria, ſinentibus vobis proſiliiſſe dicuntur, ut quicquid in buccam venerat, aut quomodocunque vitrea bilis ſuggeſſerat, in Chriſtianæ fidei ac nominis æternum ludibrium, frementibus piis, cachinnantibus atheis evomerent? audita (utinam falſa) refero, quæ veſtra, imo Chriſtianorum omnium intereſt, ſumma apud vos ſeveritate plecti, ne quis deinceps falſa zeli religioſi ſpecie per ſacrilegum nefas abuſus, ſacroſanctum (*b*) *Domini quod super nos* omnes (*c*) *invocatum eſt nomen*, *gentibus blaſphemandum* propinet, terramque quæ tanta monſtra tulit, diris (quantum in ſe eſt) devoveat.

Ut ad eos qui Chriſtianæ plebis in Eccleſiæ regimine jus ullum eſſe abſolute negant, revertamur; cum Apoſtolicæ & hodiernæ Eccleſiæ conditiones longe diverſas fuiſſe conſtet, huic cui extraordinariæ ſpiritus dotes, quibus illa abundabat, deſint, ut dignationis, ſic juris minus relictum fuiſſe dicimus, nec ex neceſsitate ſequi, ſi arduum nihil niſi convocata prius (quam regiminis & conſiliorum ad regimen ſpectantium per ſe totam capacem πολυποικιλος Spiritus ενεργεια effecerat) multitudine Apoſtoli geſſerunt, noſtram quæ comparate ad regimen inepta dici jure poteſt, totam a præpoſitis ſuis ſemper (dum de gravioribus conſultant) convocandam eſſe. Addo nunc merito in dubium revocari poſſe, an quotieſcunque *Eccleſia* aut *fratres* ab Apoſtolis *convocati* fuiſſe leguntur, ad unum omnes convocati ſint, nec poſsit fraternitati jus plenum afferi, ſi forte eorum conventui vel Titius vel Mævius defuerit. Cum enim quinquageſima poſt paſsionem Dominicam die *trium chiliadum* (*d*) acceſsione, non ſine miraculo creverit, quod eouſque 120. capitibus ad ſummum conſtiterat corpus, eidem *quotidie Dominus addiderit qui ſalvi fierent* (*e*); paulo poſt nova *quinque millium* (*f*) converſione aucta ſit fraternitas, quæ *multiplicato diſcipulorum numero* (*g*), frequentior in dies evadebat, cui credibile fiat quandocunque ea *congregata* (*h*) dicitur, plurium millium (quotquot Hieroſolymis habitabant) in eundem locum turbam confluxiſſe? congregabatur ergo prout commodum erat, & tempora ferebant, quorum dira iniquitas publico pios abſtinere, latebras quærere, baſilicis nullis uti, nonniſi *domatim* (*i*) collectas facere cogebat, vel per partes in proximo poſitas, quaſque advocare & facilius erat, & manifeſto periculo carere videbatur, vel per *Seniores* (*k*) a ſingulis conventibus partialibus delegatos, in quibus tota per regiones infeſtæ urbis ſparſa fraternitas, capita cum præpoſitis ſuis conferret

(a) 1. *Cor.* 14. 29. 32. 34. (b) *Rom.* 2. 24. (c) *Jacob.* 2. 7. (d) *Act.* 2. 41. 47. (e) *Act.* 1. 15. (f) *Act.* 4. 4. (g) *Act.* 6. 7. (h) *Joan.* 20. 19. (i) *Act.* 13. (k) *Act.* 5. 24.

ret, ſuoque jure uſa ab Apoſtolis juris illius cuſtodibus reverenter haberetur: quidni enim ut plures Hieroſolymis Judæornm ſynagogas, quæ *Protoſynagogis* & *Archiſynagogis* (*a*) ſuis ſuberant, fuiſſe compertum eſt, ſic plures ibidem Chriſtianæ fraternitatis cœtus qui *Seniorum* (*b*) ſuorum ſub Apoſtolis ductum ſequerentur, inſtitutos. *Seniores* (*c*) vero illos ab Apoſtolis qui nec Collegam Judæ loco ſufficiendum ſine diſcipulis allegere, nec Diaconos eligere per ſe ſuſtinuerant, ſed electionem multitudini abſolute permiſerant, pro arbitrio nulla ſanctæ plebis ratione habita conſtitutos fuiſſe credamus? Hoc quod ipſa res exigere videtur, ſi ſtatuere libeat; tam Africanæ Eccleſiæ poſt annum 300. quam Proteſtantium Ciſmarinorum regimen Hieroſolymitano ſub Apoſtolis examuſsim reſpondebit: neque novi quicquam (quicquid contra vel ſuſpicentur vel querantur Hierarchiæ patroni) ab ipſis in Chriſtianum orbem invectum fuerit. Hoc unum (extra diſciplinæ cauſam) in iſtis novitatem redolere jure videatur, quod ſine antiquorum exemplo & neceſsitate ulla, Paulina verba 1. *Tim.* 5. 17. 18. ad *Seniores plebis* cum Epiſcopis & diaconis ad Eccleſiarum clavum ſedentes nonnullis trahere placuit; Sed nec id Genevæ (*d*) (quod plurimis falſo perſuaſum eſt) aut a Calvino primum, ſed a Germanis, & Helvetiis in patria auditum eſt: nec mirum ſi piiſsimis doctiſsimiſque viris evenerit ut in vocabuli πολυσημϗ interpretatione, ab alia in aliam ſignificationem tranſitu facto, ab Apoſtolica mente nonnihil deflecterent, quæ per ſe clara eſt: Cum enim id ipſum quod 1. *Cor.* 9. docuerat, 1. *Tim.* 5. 17. tractaverit, iiſdem utrobique locis nempe *Deuter.* 25. 4. & *Matth.* 10. 10. doctrinam ſuam confirmaverit, confirmatione illa vocem τιμης de quovis *honore* intelligi nec poſſe nec debere, ſed ad *ſtipendii honorarii* deſignationem contrahendam eſſe evicerit, de iis ſolis *presbyteris*, quibus τιμη ceu *ſtipendium* ob miniſterium, a fidelibus aſsignandum veniat, adeoque de ſolis *paſtoribus* verba 1. Tim. 5. 17. ex neceſsitate fecerit, qui ea ad *Seniores plebis* quibus nulla unquam Eccleſia *ſtipendia* deſtinavit, trahenda putent, diverſos ab Apoſtolica ſententia abire certum eſt. Eos quibus ex 1. Tim. 5. 17. duplices *Seniores*, primarios nimirum, qui *doceant*, & ſecundarios qui *cum docentibus diſciplinæ præſideant, & mores regant*, erui poſſe perſuaſum eſt; ne quis ſecundariis nullibi ab Eccleſia *alimentum honorarium* concedi, cum non concedatur, debitum non cenſeri, adeoque ad eos de quibus loco citato Paulus egit, nequaquam pertinere excipiat; *nihil aliud ex praxi quæ in Eccleſiis obtinuit, inferri poſſe, quam apud nos presbyterorum ſtipendia deſiiſſe, non quod indigni cenſeantur, ſed quod Eccleſiæ cujus valde acciſæ opes ſunt condonari poſſint*, regerere non ignoro.

Sed totum id (ſi quid capio) & fruſtra eſt, & falſis nititur: fruſtra eſt; Nam 1. quem ſive antiquorum, ſive nuperorum deſignare poſſunt, qui debita *Senioribus plebis* ſtipendia eſſe aut fuiſſe unquam ſomniaverit; aut ſi debita credidit, *condonari* po-

(a) *Act.* 6. 9. (b) *Act.* 1. 21. *&c.* (c) *Act.* 6. 3. (d) *Vide Bucerum libro*, ſcripta duo adverſaria, Latomo *inſcripto*, Bullingerum *in Matth.*, Gualterum *in Cor.* 1. *Homil.* 35. Pezelium *argut.* & *reſp.* part. 7. Hemmingium *in Rom.* 12. Hyperium *in* 1. *Tim.* 5. &c.

potuiſſe cenſuerit? Si debita erant; qui factum ut Eccleſia nulla debitum agnoverit, aut exſolverit, Senior vero nullus id ipſum exegerit? 2. a quo *condonari* jure potuerunt? Non ab Eccleſia, quam ſibi nec jus dicere, nec debiti quo tenebatur gratiam facere fas fuit; non a Clero, quem ſe rei ad ſe non pertinenti immiſcere, in aliena jura invadere, eaque pro arbitrio inducere culpa fuiſſet: non denique a *Senioribus* ſine quorum facto, quod eorum erat ad alium transferri non potuit, aut abſolute deſinere non debuit, quis enim eorum ſibi debita ſtipendia profeſſus eſt unquam, aut de iis exigendis cogitavit, aut denique de *condonandis* & remittendis quicquam apud ſe ſtatuit? ut a Seniorum quoquam non dicam ſperata, ſed actu imperata & recepta, ac exinde *condonata* fingere libeat, quo caſu factum ut ab omnibus *condonarentur*? an in perpetuum *condonata* ſunt? Si quis nunc *condonare* ſe nolle profiteretur, an ipſo facto, an vero de jure tantum reſtitutus cenſeri deberet? An eo caſu expuncta per *condonationem* obligatio reviviſceret ut ea deinceps Eccleſia teneretur? An denique abſoluta imperatorum divinitus tam in lege quam in Euangelio officiorum condonatio fieri poſſet, ut ubique & in perpetuum deſinerent? Fruſtra fuiſſe qui de ſtipendiorum *Senioribus* aſsignandorum *condonatione* quæ nulli ante an. 30. vel fando audita fuerant ſcripſerunt, jam patuit, eos nunc aperte falſis niti demonſtrandum reſtat; *deſiiſſe in Eccleſiarum praxi ſtipendia* illa ajunt: quo auctore? quis unquam quod *in praxi deſiiſſe* fingitur, antea quomodocunque fuiſſe dixit? ſi vere deſiit, quando, ubi, quo faciente & adlaborante primum deſiit? Annon quod nullo auctore fuiſſe aut eſſe cœpiſſe fingitur, nullibi *deſiiſse* aut *deſinere potuiſse* jure dixerimus? Æque a vero aliena eſt quæ *condonatorum* (ſi Deo placet) *ſtipendiorum* cauſa affertur, *valde acciſæ Eccleſiæ opes*; ubi enim gentium adeo *acciſæ* Chriſtianorum *opes* ſunt, ut Chriſti ſervos *mercede ſua* fraudare cogantur? demus *Senioribus plebis* a ſæculis aliquot ubique detracta quæ nunquam ſperaverant aut obtinuerant honoraria, an Gallis, Germanis, Hiſpanis cæteriſque pontificiæ communionis populis, inter quos & regiis opibus ab antiquo diffluit Clerus, & nova quotidie fervent Monachorum & Nonnarum examina, quæ indeſinenter ditant imo deliciis diſtendunt laicorum oblationes, defuere unquam facultates neceſſaria Senioribus ſuis præſtandi? Germanis, Danis, Suecis, Britannis Proteſtantibus, qui Monachorum cujuſcunque generis plantaria radicitus evulſerunt, & Cleri poſſeſsiones fiſci viribus junxerunt, imo quorum nonnulli luxuriantes bonis omnibus ac vere gaudentis opus naturæ provincias poſsident; quiſquamne quæ ſuis cujuſcunque generis rectoribus ex Apoſtoli præſcripto impendant, deeſſe crediderit? Belgis fœderatis quibus inexhauſtos invidendoſque Europæ univerſæ theſauros Aſia, Africa, novus orbis indeſinenter profundere non ceſſant, quis adeo *acciſas opes* ut ſtipendia Senioribus gubernantibus (quos ipſi ante annos fere centum reſtituerunt) debita merito *condonent* (ut ut ipſi ad ravim uſque vir pius, & alumnus, Bucerus inclamet) perſuaſerit? Sed ut ipſe ſe non modo falſa, ſed & compugnantia loqui ſentiat, rogatum eum velim, quando *in Eccleſiarum praxi* presbyterorum *gubernantium* imperata (ex ejus mente) ab Apoſtolo *ſtipendia fuiſse* putet; ſub Apoſtolis opinor (*a*), eorumque primis diſcipulis, quo tem-

(a) *Matth.* 13. 33.

tempore Eccleſia *fermenti modicum* in univerſarum gentium *maſſa latens*, mundi exul (*a*), *ſapientibus*, *potentibus*, *nobilibus ſecundum carnem* (Apoſtolo teſte) *paucis* conſtabat? quando vero *ſtipendia Seniorum* præſtari (*b*) deſierunt? Poſt Conſtantini ætatem quo tempore ad Eccleſiam, numero & divitiis auctam, *univerſa gentium gloria tranſierat*: ſic ubi Chriſtianorum opes vel nullæ vel modicæ ſponte quævis onera ſubierint ſeque ferendis pares crediderint: ubi nullæ non *opes* Chriſtianorum fuerint, tam acciſæ videri cœperint, ut neceſſe fuerit eos a conſuetorum munerum erogatione excuſare; ſi quem ſomniandi peritum abſona tam multa comminiſci, aliiſque obtendere facile fuit, quis niſi forte vervecum, in patria craſſoque ſub aere natus a ſe impetrare potuerit, ut iis fidem ſuam obſtringat?

Aliis igitur firmamentis, iis nimirum quæ nobis Apoſtolorum primæque per trium ſæculorum periodum antiquitatis praxis ſtravit, *Seniorum plebis* Inſtitutio & functio ſuæ (ut ſic dicam) vitæ a Proteſtantibus per Gallias, Scotiam, Belgium reſtituta ſtatuminanda eſt, nec eo tamen obtentu vindicanda, ut (quod infelicia nonnulla & monſtrorum fœcunda capita meditantur) (*c*) *in caudam* deſinant Chriſtianorum *capita*, totaque Eccleſiarum compago velut in antiquum chaos ruat. Eam temperato moderamine regi, univerſaque ac ſingula ejus membra gradibus propriis diſtincta & dotibus inſignita, ſuo quæque loco conſiſtere, modum ubique ſuum agnoſcere, nihil quod ædificationis non ſit præſumere, voluit, qui ſummus veritatis, ordinis, charitatis, pacis auctor & vindex eſt; ut quemadmodum ἡγȣμένοις ſe ſuis, ad felix & Deo placitum regimen, commiſſam fraternitas tota agnoſcit, eadem tota partes ſuas obeat, & regimen attingat; ſed quomodo expedit; quod non a privati cujuſvis inconſulta temeritate ſed a ſincero modeſte & honorifice de ſe invicem ſentientium (*d*), *unitatemque Spiritus in pacis vinculo ſervantium* piorum judicio, mutuaque συμπνοία pendet: ſic ſecundum præpoſitos (*e*) *in verbo laborantes*, Seniorum a plebe ipſa (in quos inclinata quodammodo recumbat) delectorum cura eminebit, quæ exinde corpus totum (ne infimis de ſua univerſitatiſque ſalute ſollicitis exceptis) permanabit; Beatam ſocietatem nec ulla (*f*) *fidei alienæ dominium* uſurpantium (cum ſe Chriſti (*g*) ἀρχιποίμενος redemptique ab ipſo gregis miniſtros fateantur primores (*h*)) tyrannis premet; nec fœda ſummis ima permiſcentium (cum menſuræ ſuæ conſcientia teneantur omnes) confuſio dehoneſtabit, ſed unus idemque omnes & ſingulos in multimoda graduum & conditionum diverſitate (*i*) ſpontaneos ac ſibimet legis inſtar factos, Spiritus ductor velut manuducet, totamque infuſa per artus mens agitabit molem & magno ſe corpore miſcebit. Quo quid in terris beatius eſſe poſsit, neſcio.

Nonnulli nunc qui vera hæc ac per ſe clara diffiteri non poſſunt, in Principes Chriſti fidem profeſſos, & Magiſtratus ab iiſdem conſtitutos, Chriſtianæ plebis jus quantum quantum eſt translatum putant: quos ſummopere rogatos velim, hæc nos ex or-

---

(a) 1. *Cor.* 1. 26. (b) *Eſai.* 66. 12. (c) *Deut.* 28. 44.
(d) *Epheſ.* 4. 3. (e) 1. *Tim.* 5. 17. (f) 1. *Cor.* 1. 24.
(g) 1. *Pet.* 5. 4. (h) 2. *Cor.* 4. 5. (i) *Rom.* 2. 14.

ex ordine docere ne dedignentur. 1. A quo, 2. quando, 3. quo jure, ea quam commendant translatio facta ſit. Si quando enim facta eſt, nonniſi poſt annum Chriſti 312. (quo primum Chriſto nomen dedit Conſtantinus) fieri potuit, nec ullos ante Principes Magiſtratuſque fideles, quorum amica poteſtate palam ſuſtentaretur, vidit, toto retro tempore *velut lilium inter ſpinas* (*a*), deliteſcere, & ſibimet (alieno omni patrocinio deſtituta) per ſe providere coacta Eccleſia: Si quis de facto tranſtulit, eum vel e Clero, vel e plebe, vel ex ipſo magiſtratuum collegio, poſtquam in fidei obſequium tranſierunt, prodiiſſe (quod tamen hactenus nulli ex veterum monumentis eruere datum eſt) oportet. A plebe certe factum non eſt, quam trecentis, & quod excurrit annis, reclamante nullo, jure ſuo uſam ſupra demonſtravimus; non etiam a Clero, quo favente, imo nonnunquam exigente, plebs ad conſiliorum & regiminis participationem vocata eſt. Non denique a Magiſtratu, quem niſi infidelem & fere ſemper infenſum Eccleſia ante Conſtantini tempora nunquam experta eſt; quamprimum vero Chriſtianiſmum amplexus eſt, ut nobiliſſimam plebis partem, ac veri nominis caput fovit. Sed quandocunque, & a quocunque (ſi factum eſt unquam) factum dixerimus, & ſero admodum, & nullo jure factum eſt. A plebe factum nemo dixerit (*b*), *quod ſine facto* ejus *ad alium translatum* fingitur. Nec ſi factum quodpiam ejus aut conſenſum quis obtenderit, cauſam obtinuerit, quandoquidem (*c*) *non videntur qui errant conſentire*; eorum *voluntas nulla eſt*; nec Chriſti familiam Eſavi exemplo collata divinitus πρωτοτοκια in cujuſquam gratiam prodigere fas fuit unquam, aut æternum fuerit. Cum igitur (*d*) *quod initio vitioſum eſt tractu temporis convaleſcere non poſſit*, quicquid præter officium, ſui divinæque dignationis oblita Chriſtiana plebs fecerit, ipſo jure irritum ſemper erit. A Clero (quo monitore ad officium impelli & divinæ voluntatis notitia imbui plebs debuit) jus ejus ad Magiſtratum, ſive ſupremum, ſive ſub ſummo conſtitutum, tranferri non debuit. Si enim (*e*) *culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti*, nec (*f*) *debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*, quis ab ἡγȣμενοις commiſſos fidei ſuæ Dei domeſticos de gradu dejici, & pudendo conſilio prodi (quaſi vero cuiquam *ſua* divinaque *conſilia in alterius injuriam mutare* licitum ſit) patienter ferat? A Chriſtiano denique Magiſtratu ſubditæ plebis jus in ſemet translatum dici nullo modo poteſt. Cum enim reipublicæ qua Eccleſia continetur, tutor datus ſit, qui univerſis ejus bonis & commodis invigilet, omnes ac ſingulos paterno (ut ſic dicam) ſinu foveat; eoſque a temere invadentibus pro virili tueatur; nunquam (niſi per nefas) de invadenda, aſſignataque a Domino ſorte quomodocunque ſpolianda fraternitate cogitaverit. Imo ne (ſi omnimoda bonorum ſuorum ceſſione, quam colere ex officio tenetur, poteſtatem ditare parata ſit, aut actu ipſo univerſa ſua transfundat) ex æquo & bono permiſerit: Si enim (*g*) *in eos extra ordinem animadvertitur qui evidenti fraude pupillorum bona alienaverint*, quas divinæ Majeſtati pœnas non debeat, qui (everſo quod primitus per Apoſtolos inſtituerat regimine, eaque quæ dignitati ſuæ & honori eſſe uni-

---

(a) *Cant.* 2. 2. (b) *Reg. juris* 116. (c) *Cod. de jure C.* 8.
(d) *Reg.* 29. (e) *Reg.* 36. (f) *Reg.* 74. (g) *L.* 9. *D. de tutelis.*

univerſorum Dominus voluerat, abdicare compulſa plebe) totum id quantum quantum eſt ſui arbitrii fecerit? Cum (a) *alterius circumventio alii non præbeat actionem: Nemo vero (b) ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poſſit*: fruſtra quis a volentibus transfuſa, quæ ad alios, quomodocunque tranſierunt, eoſque (c) *qui ſciant & conſentiant fraudari non videri* cauſabitur; ſiquidem (d) *errantium* ſuaque ex errore negligentium nec ſcientia nec *voluntas* proprie loquendo eſſe poteſt. Cum igitur (e) *malæ conſuetudines, neque ex longo tempore, neque ex longa conſuetudine confirmentur, non videbitur quiſquam id cepiſſe, quod ei* (ſi officio fungi velit) *alii reſtituere neceſſe fuerit*..

Sed quid eo nos delabi, aut *translationes* quæ nunquam fuerunt, aut quibus (ut Eccleſiæ regimen Magiſtratus fidelis attingat) nunquam opus fuit, comminiſci neceſſe eſt? Si (quod compertiſsimæ veritatis eſt) plebis univerſæ (ex Apoſtolorum præſcripto longaque trium ſæculorum praxi) commune cum Clero, licet ſub Clero, jus ubique fuit: cum (f) *in toto & pars contineatur*, & *semper specialia generalibus inſint*, poteſtatum quarumcunque fidelium, quantum quantum eſt, aut eſſe poteſt ἀξίωμα, fraternitatis (in qua eminent, cuique in pietate & juſtitia ſecundum Deum regendæ divinitus inſtitutæ ſunt) jus ex neceſsitate nunc complectitur, imo ab initio ſemper complecti debuit, ut ut enim nullum (niſi forte Abgarum aliquem) qui in poteſtate poſt Chriſto nomen datum manſerit, actuale corporis ſui membrum, ſpiritualemque Dominici gregis ſive ovem, ſive arietem (tantiſper dum priora tria Chriſtianiſmi ſæcula decucurrerunt) viderit Eccleſia; quandoquidem quotquot pietatem amplectebantur ſimulac profeſsionem ediderant, vel diſcingi, vel ad martyrium trahi neceſſe erat, nec ulli Chriſto militanti, per leges ethnicas, eodem quo ante fidem ſteterat, gradu conſiſtere fas erat, potentialia tamen Eccleſiæ membra (vel ab ipſis ejus incunabulis) fuerunt Reges, Principes, cujuſcunque generis Magiſtratus, in fidei obſequium ſuo quiſque tempore tranſituri: quos ubi Domino ſuo peperit pia mater, ceu gloriæ coronam capiti ſuo cœlitus impoſitam, mirabunda ſuſpexit, ex officio coluit, eodemque quo Iſraelis (ſub Veteris Teſtamenti pædagogia) principes aucti fuerant, uti jure probavit. Exinde ſuas, eaſque (cum piorum principes eſſent) præcipuas in Eccleſiæ (in cujus ſe commodum natos noverant) regimine, Clero & fraternitate univerſa gratulantibus, obiere partes; ſuas (quas ante agnoverant cum Clero fraternitatis Seniores) omnibus & ſingulis illibatas reliquerunt: nec enim (continuo poſt Eccleſiæ corpori inſitos Principes & Magiſtratus) *Eccleſiaſtici viri* fraternitatis cujuſque *Seniores*, qui (ante concluſos Evangelica *Sagena* Reges, & poteſtates) ubicunque Chriſti nomen colebatur, Deo ſervierant, ſolitas cum Clero pro communis Domini ſacrario & populo curas participare, ſeque ſtrenuos doctrinæ ac diſciplinæ vindices præſtare deſierant; ſed ex abundanti acceſſerant novorum ſub Auguſtis *Seniorum*, præfectorum ſcilicet, Vicariorum, Præſidum, Conſularium, minorumque in Curiis municipalibus magiſtratuum, qui

(a) *Reg.* 49. (b) *Reg.* 134. (c) *Reg.* 155. (d) *Novell.* 134. c. 1. (e) *Reg.* 51. (f) *Reg.* 113. 147.

qui *Principales* & *Seniores* urbium & *locorum* dicti ſunt, officia; hinc Concilium Carthagine A. D. 403. Auguſti 25. congregatum de (*a*) *convenientis per magiſtratus*, *vel Seniores locorum* Donatiſtis Epiſcopis decretum condidit. Concilium aliud ibid. A.D.407. Junii 13. contractum (*b*) *eligentibus Senioribus a Nova Germania inter* Numidas Maurentio Epiſcopo reo judices dari decrevit. *Univerſos cunctarum provinciarum curatores magiſtratus*, *&* *ordinis viros*, *nec non &* *actores*, *procuratores vel Seniores ſingulorum locorum* A. D. 411. ineunte, *admonitione convenit* cognitor in Catholicorum & Donatiſtarum cauſa ab Honorio conſtitutus Marcellinus Tribunus (*c*). Anno denique 458. Novembris 6. a Baſilio Præfecto (*d*) *principales vel Seniores urbium ſingularum*, *tam Curiarum*, *quam reliquorum corporum* ad *albos quos conſcripſit vetuſtas*, *proferendos compelli* juſsit Majorianus Auguſtus. Nihil autem mirum ſi Chriſtianiſmum ex æquo cum Clero complexi Magiſtratus, & in republica privati, mutuo decertantes conatu, quantum in ipſis fuit, ne quid res Eccleſiæ detrimenti caperet, cavendum putaverunt. Si quid præcipitante annorum lapſu ſequior ætas alterutrorum juri detrimenti inferre auſa eſt, præter ſummi Legislatoris placitum totiuſque ipſi ex animo addictæ antiquitatis mentem factum cum ſit, pro infecto habendum, imo cum indignatione exſufflandum eſt. Utinam vero in hunc unum ſcopum cum principibus & Eccleſiarum rectoribus privati quique colliment, ut illam ipſam Chriſtianæ diſciplinæ & regiminis formam temporibus noſtris reſtituant, quam nulla Regum umbra protecta, nullo Magiſtratuum ſepimento munita, alienarum a vero Dei viventis cultu poteſtatum incumbentibus ſubinde procellis ubique gentium quaſſata Eccleſia expreſsit, ſuaque ætate admirabundus Origenes luculentis his verbis delineavit (*e*), *Θαυματεται τιν και βυλευσαμενον, και ανυσαι δυνηθεντα πανταχυ συςησασθαι εκκλησιας τυ θευ, παροικυσας εκκλησιαις των καθ' έκαςην πολιν δημων, ὕτω δε και βυλην εκκλησιας θευ βυλη τη καθ' έκαςην πολιν συνεξεταζων, ευροις αν τινες μεν της εκκλησιας βυλευται αξιοι ειτιν, ει τις εςιν εν τω παντι πολις τυ θευ, εν εκεινη πολιτευεσθαι, οι δε πανταχυ βυλευται υδεν αξιον της εκ κατατυξεως ύπεροχης, ην ύπερεχειν δοκυσι των πολιτων, φερυσιν εν τοις εαυτων ηθεσιν, ὕτω δε και αρχοντα εκκλησιας έκαςης πολεως αρχοντι των εν τη πολει συγκριτεον*, *Mirabitur* veri ſtudioſus *eum qui molitus eſt & præſtare potuit*, *ut Eccleſiæ Dei conſtituerentur*, *cum populorum qui per ſingulas urbes habitant*, *cætibus degentes*: *ſic etiamſi Dei Eccleſiæ ſenatum cum civitatis cujuſque curia componas*, *annon quidam Eccleſiæ Senatores digni ſint qui in Dei civitate* (*ſi qua in univerſo ſit*) *verſentur*, *Senatores vero qui ubique ſunt*, *nihil inſtitutionis excellentia* (*qua reliquis civibus præcellere videntur*) *in moribus dignum præ ſe ferant ipſe comperies*; *eodem modo Eccleſiæ rectorem cum urbis cujuſque præſide conferre oportet*. Quaſnam vero Senatus Eccleſiaſtici functiones proprias, ut olim fuiſſe, ſic nunc & in perpetuum eſſe debere dixerimus (*f*)? *αυτυς* (*θελοντας καλως βιυν*) *το τηνικαδε αυτυς εισαγυσιν*, *ιδια μετα ποιησαντες ταγμα των αρτι αρχομενων και εισαγομενων*, *και υδε-*

(a) *Cod. Eccl. Afr. c.* 91. (b) *c.* 100. (c) *Collat.* 1. *diei* 6. 5.
(d) *Novell. de Curial.* (e) *Adverſ. Celſum lib.* 3. (f) *Ibid.*

ουδεπω το συμβολον των αποκεκαθαρθαι ανειληφοτων, ετερον δε το των κατα το δυνατον παραστησαντων ἑαυτων την προαιρεσιν, ουκ αλλο τι βουλεσθαι η τα χριστιανοις δοκουντα παρ᾽ οις εισι τινες τεταγμενοι προς το φιλοπευστειν τους βιους και τας αγωγας των προσιοντων, ἱνα τους μετα τα επιρρητα πραττοντας αποκωλυσωσιν ἡκειν επι τον κοινον αυτων συλλογον, *eos* qui recte vivere volunt, *tunc introducunt, privatim eorum qui nuper cœperunt, & admiſſi ſunt, nec adhuc ſymbolum quod ipſos purgatos deſignet, ſumpſerunt, agmen inſtruunt; aliud vero eorum qui arbitrium ſuum pro virili præparant, nec aliud quid, quam quod Chriſtianis placeat volunt, a quibus quidam conſtituti ſunt qui de accedentium vita ac moribus inquirant, ut eos qui vetita admittunt, a communi conventu arceant*. Hæc ille ante 1400. & quod excurrit annos, ad perpetuam memoriam ſcriptis mandavit; quæ ab iis potiſsimum hodie notari velim, qui (laxata Chriſtianæ diſciplinæ fibula) nullos (ne contagio labem faciat) ſequeſtrandos, aut ad tempus a menſæ Dominicæ participatione abſtinendos, quotquot Sacramenta divina invadere parati ſint, nullo diſcrimine habendos, *Sancta Sanctis* (quod ubique ab initio Diaconi in ſynaxibus proclamabant) nequaquam reſervanda, ſed vel invitis ingerenda hoc obtentu pronunciare audent, ne cuiquam (denegato vitæ edulio & ſalutari per ſe antidoto) mortis cauſa fiant; cum enim (*a*) *filiorum panem, ſanctaque canibus projici; margaritas porcis* objici (ſciſcente Chriſto ipſomet) nefas ſit; qui *indigne panem Dominicum manducant* & *calicem* hauriunt (*b*), *judicium ſibi manducare & bibere*, reoſque *corporis ac ſanguinis Domini* haberi neceſſe ſit, quibus paſsiva divina uſurpandi licentia arridet, qua fiducia ſecuritati nullo conſcientiæ morſu in perniciem ruentium blandiantur, quam reverenter Dominum cujus ſacramenta calcantibus obtrudunt, habere poſsint, quo judicio pudendam & inauditam univerſis retro ſæculis novitatem, velut in majorum, quotquot ab Apoſtolorum temporibus vixerunt deſpectum ac contumeliam, venditent, viderint: nobis quibus & veritas & charitas cordi eſt, utramque noſtra temeritate prodere, conſenſum patrum unanimem quomodocunque aſpernari, a via regia vel ad momentum latum unguem abſcedere, religio fuerit. Moniti ſemper meliora ſequemur. Quod Deus optimus maximus faxit. Amen.

T 2 JOAN-

(a) *Matth.* 7. 6. 15. 26. (b). 1. *Cor.* 11. 27. 29.

JOANNIS FRANCISCI CONFORTII

IN GROTIANI LIBRI CAPITA

EXERCITATIONES

TOTIDEM CRITICAE.

AD CAPUT VII.

EXERCITATIO CRITICA.

I. Argumentum hujus capitis paucis pertexitur.
II. Repetitur Synodorum Eccleſiaſticarum origo primum ab eo ſtatu, quo Eccleſia continetur, deinde a Concilio, quod Hieroſolymis Apoſtoli coegerunt.
III. De Synodorum convocatione. Etſi Concilia a ſummis Rerumpublicarum Rectoribus ad explicandam fidem congregari poſſint, ea tamen a Divino jure auctoritatem habent ſuam.
IV. De jure Principum in decernendis Fidei rebus ſine ullis Synodis. Hoc jus exploditur. Sophiſma ſolvitur, quod Grotius obvertit.
V. Explicantur exempla Principum, quos ſine Synodis de Fide cognoviſſe Grotius arbitratus eſt. Primum de Theodoſio diſputatur.
VI. De Æliano Africæ Proconſule agitur, cui quæſtionem de Donatiſtis Conſtantinus mandaſſe dicitur.
VII. Expromitur, quid ex mandato Honorii Imperatoris Marcellinus egerit in colloquio Carthaginienſi, quod inter Donatiſtas & Catholicos habitum eſt.
VIII. Diluitur duplex ratio, in qua Grotius nititur. Prima ex eo ducitur, quod ſæpe neceſſe non eſt, Synodos congregari ad exponenda Religionis dogmata.
IX. Altera eſt, quod Concilia ſæpe Eccleſiis tranquillitatem ademerint. Id falſum eſſe docetur. Quænam ſint Concilia jure ſociata: Oſtenditur in iis poſitam fuiſſe Eccleſiarum incolumitatem & concordiam. Rejiciuntur exempla, quæ contra facere videntur.
X. De auctoritate Principum, quæ ad ipſas Synodos reſpiciat. Hoc primum declaratur, iis non licere Paſtorum delectum habere, qui ſoli in Synodis de dogmaticis rebus ſententiam ferant.
XI. Item Principibus tribui non poteſt judicium de ſacris in Synodis.
XII. Quorſum Principes & præſertim Gallicani ſpectarunt, cum ad confirmandas Synodos acceſſerunt.

JAmvero Arminianus noſter orditur dicere de Synodis Paſtorum œcumenicis & topicis, ſed hoc conſilio, ut auctoritatem, quæ in iis ineſt, omnium Patrum & piorum Imperatorum conſenſu firmatam debilitet aut etiam comminuat. Primum agit de illarum origine. Arbitratur autem, in tabulis tum veteris tum novi Fœderis nullum inveniri aut exemplum aut præceptum, ex quo Paſtorum concilia initium cepiſſent: Et quoniam id multis dixerat, tum concludit, ea primum fuiſſe ſociata ex iis legibus, quæ jubent res univerſas, quæ ſpectant ad ſingulas communitates, deliberari in omnium conventu. Has leges eſſe natas ab illo naturæ jure exiſtimat, quod humanis juſſis præcipi & abrogari poteſt. Cur ita ſit, argumento illud eſt, quod nullus Paſtorum conventus, niſi ſummis Magiſtratibus auctoribus, cogi poſſit in Catholico orbe. Hæc cum expoſuiſſet, porro explicare aggreditur Chriſtianorum Principum poteſtatem, quæ ad gerendam Religionem penes eos reſideat ſine ullis Synodis, deinde eam, quæ ipſis adſcribenda eſt ante Synodos & in Synodis, poſtremo illam, quam poſt Synodos iidem ſibi vindicant.

Quod primo poſitum eſt loco, his Arminianus expedit. In Principum manu poſitum eſt, de univerſa Religione & hujus partibus judicare & leges dicere, quin ad id, quod agunt, ab ullis Paſtorum conventibus inſtituantur: Si enim contra res ſe ha-

habeat, de ſummo imperio aliquid delibatur, quod nec Divina, nec humana jura patiuntur. Iſtud ſane ipſum ditionis ſuæ fecerunt Hebræi Reges, & veteres Romani Imperatores, Conſtantinus, uterque Theodoſius & Honorius. Atque ſæpenumero neceſſe non eſt illos, penes quos ſummum eſt imperium, Paſtorum concilia cogere ad ferendas leges de ſacris. Nam triplicem ob cauſam illa congregari ſolent, ut ſcilicet conſilium a Paſtoribus petatur, ut complurium Eccleſiarum conſenſio exploretur, ut denique ordo conſervetur gerendarum rerum per publicos conſeſſus. Verum in univerſis his cauſis tale momentum non eſt, quod prorſus ad id efficiendum pertineat quod inſtat. Sic non oportet rem illam, quæ perſpicua ſit & in œcumenicis conciliis ſatis explicata, amplius cognoſci in aliis Paſtorum conventibus. Conſilium enim petitur in dubiis negotiis, in quibus animus non providet quid deliberari fas ſit. Præterea in Synodis de illo dogmate, quod in quæſtionem venit, haud facile conſenſus Eccleſiæ diſpicitur, ſi ea in factiones ſeſe diviſiſſet, quarum ſingulæ ſint frequentiſſimæ. Contra idem ille conſenſus, niſi factiones obſint, plane perfici poteſt, ſi Paſtores ſeorſum explicent quid ſentiant idque litteris expromant, quod apud veteres in more fuit ad declarandam concordiam in fidei rebus. Denique ordo agendarum rerum per conventus ab humanis legibus originem ducit, quas ſummis Regibus abrogare licet, ſi ita faciendum ſit è Republica. Hæc ad eum locum ſpectant, an conciliis opus ſit in Chriſtiano orbe. Accedit autem, quod illa ſæpe nullam Eccleſiæ utilitatem afferunt, quin etiam eidem mirandum in modum nocent. Namque uſu plerumque venit, ut, tot coactis Synodis, Eccleſia ad conciliandam inter diſſidentes amicitiam nihil profecerit, & quod malorum caput eſt, in difficiliores & diuturniores concertationes fuerit implicita. Teſtis eſt univerſa Chriſtiana antiquitas, e cujus monumentis exempla in rem proferre Grotius ſtudet. Itaque ex his, quæ diſputat, prorſus efficit operæ eſſe pretium, ſi ſummi Principes, qui bene Eccleſiæ conſultum velint, de Fide interdum decernant ſine ullis Eccleſiaſticis Synodis, tametſi earum alias ſaluberrima ſit auctoritas.

Deinde Arminianus differit de illa Principum poteſtate, quæ ad ipſas Synodos reſpicit. Hæc in duplici jure verſatur. Primum eſt, ab iis, qui Reipublicæ præſunt, Paſtores eſſe deligendos, qui in Synodos veniant. Alterum eſt, ab iiſdem judicia cum imperio ferri poſſe de iis quæſtionibus, quæ referuntur in Synodis. Utrumque jus multis ab illo expoſitum eſt.

Reſtat vero, ut tandem declaret, quid par ſit politicos Populorum Rectores agere poſt dimiſſas Synodos. Atque non modo audaces concluſiones ducit, ſed exempla parum accommodata affert, cur illis per omnes leges liceat judicium requirere, quod a Synodis redditum ſit, idque ipſum reiicere, ſi ſcripturis ſacris eſſe contrarium animadverterint. Ex quo addit, fas eſſe, Principes, niſi totum Synodorum judicium abolere velint, quidquid ipſis viſum ſit, mutare, aut adjungere, tanquam de ſententia negotium ſit, quam politicus Senatus dixerit. Ea eſt epicriſis Chriſtianorum Principum, quam de Synodicis ſententiis ferunt. Hanc tamen aut ipſi exercent, aut aliis frequentioribus Synodis committunt, & poſtremam ſibi cognitionem attribuunt. His ab Arminiano explicata eſt ea agendi ratio, quæ a ſummis politicis moderatoribus inſtituenda ſit, ſive res, de qua certamen eſt, ad univerſam Religionem, ſive ad unum dogma reſpiciat:

II. Nos igitur omnia perſequamur, quæ Arminianus obſtrepit, ſed hujuſmodi oratione, quæ ſine ulla obtrectatione procedat. Primum ille Eccleſiaſticarum Synodorum originem repetit ab illo naturæ jure, quod quælibet hominum ſocietas ſibi tribuit, ut, ſi quæ res omnium ſint communes, in multorum concilio conſultentur, & decernantur. Hoc quidem naturæ jus dicit, non præcipuum illud, quod æternum eſt, nec unquam mutari poteſt, ſed alterum illud, quod ex hominum factis natum eſt & ab Imperio vim & firmitatem habet. Id ipſum dilucide explicavit, & veluti rem, quæ peculii eſſet ſui, Juſtus Hen. Boehmerus evulgavit in *diſſertationibus juris Eccleſiaſtici*

ſtici antiqui diſſ. 3., in *emendationibus* & *additamentis ad Jo: Schilteri inſtitutiones juris Canonici*, & in *originibus præcipuarum materiarum juris Eccleſiaſtici*. Is arbitratur, veteres cujuſque Regionis Chriſtianos ad conſervandam Religionis diſciplinam communi ſeſe pacto obſtrinxiſſe, ut iis loco legum & canonum eſſent quæcunque in Eccleſia ſua ſciſcerentur: hinc paræcianas Synodos eſſe ortas. Quoniamque inter univerſas Eccleſias, quæ in unaquaque Orbis provincia ortæ fuerant, hoc ipſum fœdus fuit ictum, tum provinciales Synodos convocari cœpiſſe, a quibus tandem ortum duxerunt frequentiores illæ, quæ œcumenicæ appellantur. Contendit vero ad ea omnia, quæ in his Synodis deliberata erant, vim & auctoritatem acceſſiſſe non ex imperio; quod in iiſdem non inerat, ſed ex pacto, in quo omnes Chriſtiani conſenſerant. Sic Grotii veſtigiis Boehmerus, contra quos verum fontem aperiamus neceſſe eſt, ex quo Eccleſiaſticarum Synodorum origo eſt haurienda. Hunc vero facile inveniemus, ſi optimum illum Eccleſiæ ſtatum diſpiciamus, quem beatiſſimus Chriſtus inſtituit. Is juſſit, Eccleſiam contineri Apoſtolis, iiſque, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ut illorum ductu & auſpicio regeretur in Divinorum officiorum diſciplina & in Religionis doctrina. Sic enim Petrum Apoſtolorum principem affatur *Joan.* 27. 15., Βόσκε τὰ ἀρνία μου . . . ποίμαινε τὰ πρόβατά μου *Paſce agnos meos . . . . paſce oves meas*. Apoſtolus autem Paulus *Act.* xx. 28. his univerſos Epiſcopos alloquitur, Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos paſcere Eccleſiam Dei*. Atque Chriſtus promiſit, ſeſe operam daturum ut eos, dum in munere gubernandæ Eccleſiæ verſarentur, ſemper regeret vi ſua, ratione, poteſtate, mente, numine ſive quod eſt aliud verbum, quo magis ſignificemus, quod volumus. Nam apud Matthæum xxviii. 20. ipſos in hujuſmodi certam ſpem ita erexit, Ἰδοὺ ἐγὼ μεθ᾽ ὑμῶν εἰμι, πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας, *Ecce ego vobiſcum ſum omnes dies uſque ad conſumationem ſeculi*. Igitur iſtud eſt Eccleſiæ regimen, ut omnia, quæ ad Religionem ſpectant, Epiſcoporum conſenſu adminiſtrentur. Cumque hic conſenſus in Synodis facilius exploretur, plane intelligi par eſt, Synodos niti in Divino jure & ab eodem initium cepiſſe. Habemus nimirum ipſum Catholicæ Eccleſiæ ſtatum, & quidem Divinitus conditum, a quo veluti a ſummo rei capite Concilia Eccleſiaſtica ortum ſuum repetierunt. Cur autem præceptum aut exemplum quæramus? Neque enim hoc ipſum deſideramus. Nanque Apoſtoli, cum commota eſſet quæſtio de moſaicis legibus, ad eam explicandam congregati ſunt in concilium, cujus hiſtoriam Lucas *Actor.* xv. 1. diſerte deſcribit. Quidam ex Judæis Antiochenſibus ſentiebant, neminem Gentilium poſſe ad ſalutem pervenire, niſi circumcideretur, totique Moſis Legi pareret: Alii contra cenſebant. Ananias ſane Judæus Izati Adiabeno, viro Ethnico apud Joſephum *Ant. Jud.* xx., 2. dicebat, *eum poſſe* χωρὶς τῆς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, *ſine circumciſione Deum colere*: Et Tryphon alter Judæus apud Juſtinum conceſſit, ethnicos homines beata vita fortunandos eſſe in ævo ſempiterno, ſi morum præcepta ſervarent. Nam Juſtino ſic prædixit, Μένοντι γάρ σοι ἐν ἐκείνῳ τῷ τῆς φιλοσοφίας τρόπῳ καὶ ζῶντι ἀμέμπτως, ἐλπὶς ὑπελείπετο ἀμείνονος μοίρας. *ſi in illo Philoſophiæ perſtitiſſes genere atque extra reprehenſionem vixiſſes, reliqua tibi eſſet ſpes fortunæ beatioris*. Inter has igitur Judæorum factiones, quæ diſſentiebant de poteſtate Moſaicarum legum, Antiochiæ ortum eſt certamen. Paulus & Barnabas, qui eandem urbem adiverant, rem cognoſcendam ſuſceperant: Cum vero diſſidentes Judæi, perturbatis animis, illorum judicio non ſtetiſſent, optime ſancitum eſt, ut in Apoſtolorum & Presbyterorum hoc eſt Epiſcoporum conventu ea referretur. Coactus eſt Hieroſolymis hic conventus. In eum veniunt Petrus, Jacobus, Paulus, & Joannes Gal. ii. 9. 10. De cæteris Apoſtolis Divini ſcriptores non commemorant: Illi forte Hieroſolymis aberant. Ad eos convocati ſunt omnes Presbyteri ſive Antiſtites, quos Apoſtoli finitimis Eccleſiis præfecerant, aut aliis Eccleſiis, quæ in dies oriebantur, præficiendos deſignaverant. De his apoſtolici temporis Presbyteris tanquam Epiſcopis

omnes ediſſerunt ; qui Eccleſiaſticam Hierarchiam defendunt contra Calvinianos . Synodo præerat Petrus , quod ſatis oſtendunt Iſaacus Caſaubonus *in exerc.* XVI. *contra Baronium* , & Samuel Baſnagius *in Ann. politico-Eccleſ.* ad An. I. Nam primus ſententiam dixit . In more enim receptum erat , ut qui in ſenatu princeps eſſet , primo loco cenſeret. Sic in ſenatu Berytenſi is, qui omnium præſidem agebat, primus contra Ariſtobulum & Alexandrum Herodis liberos judicavit apud Flavium Joſ. *Ant. Jud.* XVI. , 17. Redeamus ad apoſtolicam Synodum . In ea proferuntur ſententiæ . Atque veroſimile eſt non modo Apoſtolos, ſed etiam Presbyteros hoc eſt Epiſcopos cenſuiſſe. Nam utrique de ea re, quæ agebatur, in concilio deliberare & conſultare cœperunt. Conditur decretum , Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν , μηδὲν πλέον ἐπιτίθεναι ὑμῖν βάρος κ. λ. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis* , *nihil ultra vobis* (piis ex Gentibus) *imponere oneris* . Quid porro requiramus, quod deeſſe videtur , quominus hic Apoſtolorum conventus exiſtimetur loco œcumenicæ Synodi ? Aut cur non arbitremur , Apoſtolos illam coegiſſe , ne Eccleſia ad decidendas Religionis controverſias exemplo careret , idque magis , quod illorum quiſque certum de dogmate judicium ferre poterat ? Obiicit Grotius in §. 11. *Apoſtolorum cœtum collegium fuiſſe , non Synodum : presbyterium quoque unius Urbis Synodum vocari non poſſe . . . Conſultos eſſe & reſpondiſſe Apoſtolos , quorum auctoritati conſenſum ſuum adjecerunt Presbyteri & Fratres Hieroſolymitani.* . Videamus vero , quid Synodi nomine ille intelligat . Scribit in §. 1. Synodum hoc idem valere , atque conventum , qui ad communem rem agendam aut *ex ſolis Eccleſiarum Paſtoribus* , aut *ex illis præcipue inſtituitur* . Arripimus id a Grotio , quo facilius eum obſtrictum teneamus . Perſpicuum ſcilicet eſt , Apoſtolos non fuiſſe Paſtores unius Urbis , ſed totius orbis , quem a Deo in doctrina Religionis & in morum diſciplina inſtituendum acceperant : ex quo illi univerſæ Eccleſiæ perſonam ſuſtinebant . Ergo , ſi quando Apoſtoli ad communem explicandam fidem congregabantur , is conventus non collegium , ſed Synodus erat . Ad hoc prorſus negandum eſt , Presbyteros , qui hieroſolymitano concilio aderant , unius Urbis Eccleſiæ ſenatum conſtituiſſe , eoſque ipſos nec conſultos fuiſſe , nec judicaſſe . Nanque cum illi de dogmate , quod diſputabatur , cum Apoſtolis conſultare aggreſſi eſſent , profecto par eſt intelligi , eoſdem dixiſſe quidquid ſentirent & tanquam judices cenſuiſſe . Hoc explicate Divinus ſcriptor docet v. 6. Συνήχθησαν δὲ οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου , *convenerunt vero Apoſtoli & Presbyteri* eum in finem , *ut de hoc dogmate viderent* , & deinde , ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις , καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ , *placuit Apoſtolis & Presbyteris cum omni Eccleſia* . Sic enim paucis refelluntur , quæ Grotius objecit . Accedit , quod in iis , quæ Boehmerus addidit , ne perexiguum quidem momentum eſſe videtur . Is attulit , eos qui Antiochiæ de moſaicis legibus decertarunt , conventum hieroſolymitanum tanquam arbitrum ſibi elegiſſe , ejuſque judicio ſeſe obtemperaturos promiſiſſe ita ut ex compromiſſo ea res cognoſceretur . Iſtud vero ſudit ſine ullo auctore . Divinus quidem ſcriptor Lucas id ſolum memoriæ mandavit v. 2. Γενομένης οὖν . . . . συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτοὺς ἔταξαν κ. λ. *Orta diſputatione non exigua Paulo & Barnabæ ſtatuerunt , ut hi Hieroſolyma ad Apoſtolos & Presbyteros adirent , interrogaturi eos de negotio , quod in quæſtionem venerat* . Tacuit vero , quinam hoc conſilium iniverint , ut Synodus Apoſtolorum & Presbyterorum ſententiam rogaretur . An illi qui contendebant , perlato novo Fœdere , nullam eſſe vim moſaicis ritibus ? An qui contra ſentiebant ? Hos fuiſſe declarat antiquiſſimus codex Actorum Apoſtolicorum , quo Theodorus Beza uſus eſt . Nam ad locum , qui ex Luca prolatus eſt , in eo codice iſta adiiciuntur , Ἔλεγε γὰρ ὁ Παῦλος , οὕτως μένειν , καθὼς ἐπίστευσαν , διισχυριζόμενος . οἱ δὲ ἐληλυθότες ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ , παρήγγειλαν αὐτοῖς τῷ Παύλῳ καὶ Βαρνάβᾳ καί τισιν ἄλλοις , ἀναβαίνειν πρὸς τοὺς ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους εἰς Ἱερουσαλὴμ , ὅπως κριθῶσιν ὑπ' αὐτῶν περὶ τοῦ ζητήματος τούτου , *Paulus adfirmans dicebat , ut ſic manerent , ſicut crediderant* (hoc eſt , ut qui circumciſi non erant , non circumciderentur) , *Qui vero ex Hieroſolymis venerant , denuntia-*

tiabant illis , Paulo & Barnabæ , & aliis quibuſdam , ut adſcenderent ad Apoſtolos & Seniores Hieroſolymam , judicium ſubituri coram illis de hac quæſtione. Atque ſive utraque Judæorum diſſidentium factio, ſive alterutra judicio ſeſe ſubjecerit Apoſtolorum & Presbyterorum, qui in Hieroſolymis verſabantur , certe nullum compromiſſum fecit, ex quo illis judicandi auctoritas mandaretur : Nanque tantum conſtituit, id quod quærebatur, ad eum Judicem eſſe deferendum , ad quem ex Divina lege pertinebat. Quin etiam ipſa Synodus Apoſtolorum & Presbyterorum ex ea poteſtate, quam acceperat a Chriſto, judicavit : itaque decretum , quod condidit, non modo perferendum curavit ad Antiochenſes, qui ipſam conſuluerant, ſed ad omnes Eccleſias, quæ erant in Syria & Cilicia . Hæc quum docuerimus , ſatis effecimus loco œcumenici concilii fuiſſe conventum illum Apoſtolicum , qui coactus eſt ad explicandam quæſtionem de auctoritate legum moſaicarum : Quoniamque hoc convenit , facile eo pervenimus, ut dicamus , idem concilium optimo fuiſſe exemplo cur veteres Patres exiſtimarent, Catholicam Eccleſiam hujuſmodi Divino regimine contineri , in quo quæſtiones de Religione omnium Epiſcoporum conſenſu hoc eſt in Synodis deciderentur,

III. Sequamur Arminianum noſtrum. Is in §. III. certamen inivit cum Gomariſtis, inter quos nonnemo arbitratus eſt , divino jure Paſtorum conventus eſſe cogendos ad decernenda Religionis negotia. Contra ipſe putavit, hos conventus niti in illis naturæ legibus , quæ ſæpe mutantur , hoc eſt in hujuſmodi legibus , quæ ab Imperio vim ſuam habent. Protulit in rem præſentem id argumentum, quod concilia Epiſcoporum ſociari non poſſint , niſi ſummi Magiſtratus ſiverint . Sic ille , qui omnia ex more confundit & perturbat . Nanque in Eccleſiaſticis Synodis diſiungamus oportet , quæ plane diſcrepant, hoc eſt originem, poteſtatem, quæ penes ipſas reſidet, & convocationem . Origo divina eſt . Univerſis enim Catholicis ſententia eſt , Synodos Epiſcoporum quæ ad exprómenda Religionis dogmata congregari ſolent , cum illo regiminis genere conſentire, quod in Eccleſia Chriſtus conſtituit : ex quo certum habent, illas ex evangelico jure ortum ducere. Hoc quidem prorſus ita cenſent. De poteſtate autem nemini dubium eſſe poteſt, quin a Chriſto Summo Eccleſiæ Pontifice & Rectore Synodis credita ſit. Illa vero verſatur in iis explicandis quæ ad Religionem & morum diſciplinam pertinent. Quocirca decretis de Fide, quæ in œcumenicis conciliis conduntur, Chriſtiani & pii omnes Imperatores obtemperant, eademque ſummo publicæ auctoritatis præſidio afficiunt. Id enim agant neceſſe eſt, ſi in officio manere velint. Veniamus ad Synodorum convocationem . Atque orthodoxi Reges & Imperatores Synodos coegerunt , ſæpe Romani Pontificis admonitu, ſæpe vero aliorum Præſulum rogatu, quin etiam eaſdem in aliud tempus diſtulerunt, ſi hoc eſſe è Religione & Reipublicæ tranquillitate perſpexerint. Hinc Conſtantinus maximum Eccleſiæ præſidium tulit convocandis Paſtorum cœtibus . De illo Euſebius in libro primo cap. XXXXIV. (*Vit. Conſt.*), Ἐξαίρετον δὲ τῃ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τ παρ᾽ αὐτοῦ νεμων φροντιδα, διαφερομένων τινῶν πρὸς ἀλλήλους κατὰ διαφόρους χωρας, οἷά τις κοινὸς Ἐπισκοπος ἐκ Θεοῦ καθεσταμενος, συνόδους τ τοῦ θεου λειτουργῶν συνεκροτει , *Verum Eccleſiæ Dei præcipue curam gerens, quum per diverſas provincias quidam inter ſe diſſentirent , ipſe veluti communis omnium Epiſcopus a Deo conſtitutus, Miniſtrorum Dei Concilia congregavit* . Qui vero a Conſtantino ſuſceperunt Imperium Romani Orbis , illi ſimili pietatis ſtudio ad defendendam Religionem advigilarunt . Iidem leges tulerunt , in quibus cogendorum conciliorum tempora fuerunt præſtituta . Juſtinianus ſancivit in Novellis CXXIII. cap. XIIII & CXXXVII. cap. VII. quas legimus in libro III. Baſilicorum Tit. I. cap. XX. & XXI. item in Nomocanone Photiano Tit. VIII. cap. VIII. , Ἅπαξ ἢ δὶς τοῦ ἔτους τῷ Ἰουνίῳ, ἢ τῷ σεπτεμβρίῳ γίνεσθαι συνόδους των μητροπολιτων παρὰ τοῖς Πατριάρχαις, καὶ των ἐπισκόπων παρὰ τοῖς μητροπολίταις, καὶ ἐξετάζεσθαι τὰς αἰτίας, ἃς οἱ ἐπίσκοποι , καὶ οἱ κληρικοὶ, οἱ μοναχοὶ πρὸς ἀλλήλους ἔχουσι, περί τε πίστεως , καὶ κανόνων , καὶ πραγματων ἐκκλησιαστικῶν , καὶ ἄλλων , *Ut ſemel aut bis quotannis* (in menſe) *Junio aut Septembri Metropolitanorum apud Patriarchas & Epiſcoporum apud Metropolitanos celebrentur Synodi*,

nodi , in quibus cauſſæ , quas Epiſcopi , Clerici & Monachi adverſus ſe invicem habent, examinentur : & de Fide , Canonibus , ac Eccleſiaſticis aliiſque rebus tractetur . Pergit vero , οἱ δὲ ἄρχοντες, καὶ αἱ τάξεις αὐτῶν μὴ ἐπιτιθέμενοι τοῖς μητροπολίταις , καὶ Ἐπισκόποις ὑπερτιθεμένοις ποιεῖν τὰς συνόδους , ἢ μὴ μηνύοντες τῇ βασιλείᾳ , ἐσχάτως τιμωροῦνται, *Præſides eorumque cohortes niſi Metropolitanos & Epiſcopos Synodos celebrare differentes urgeant, aut Imperatori* (eam rem) *ſignificent , ſupremo afficiantur ſupplicio* . Tenemus nempe , quomodo Principes id poteſtatis fecerunt ſuæ , ut Synodos convocarent , & de iiſdem cogendis leges juberent. Sed quo jure , quæramus . Synodorum convocatio res media eſt , quæ eo loco exiſtimanda ſit , quaſi de eadem Divinæ leges nihil præceperint. Iſtud ſatis accipimus ab Apoſtolo Luca , qui cum Hieroſolymitani Concilii hiſtoriam percurreret & omnia commemoraret , quæ ſervanda fuerunt in eo habendo , nullam illius mentionem iniecit qui Apoſtolos & cæteros Antiſtites convocaverit : Quod ſane Divinus ſcriptor non tacuiſſet , ſi magni referre ad conciliandam illi conventui auctoritatem reputaſſet . Hoc ſcilicet , quod eſt convocare Paſtorum Synodos, in evangelico jure neglectum eſt . Ex quo idem ipſum in Principum manum facile venit. Ad eos enim omnia pertinent , quæ geruntur in Republica , niſi ſi in Divina Lege aliis committantur . Acceſſit quod Chriſtianis Populorum Rectoribus id munus divinitus mandatum eſt , ut Eccleſiam in fidem ſuam recipiant, eamque fortiter defendant. Hoc autem officium ab iis impleri ſæpe non poteſt , niſi Paſtorum concilia congregentur , in quibus , cum explicata ſint Religionis dogmata , Eccleſiæ tranquillitas adjungatur . Exprompta eſt ratio imperatoriæ auctoritatis , quæ in congregandis Synodis conſiſtit. Talis enim eſt , ut illud non ſequatur , quod Grotius ex eadem efficere ſtudet , Eccleſiaſticas Synodos a publici juris fonte originem & poteſtatem ſuam haurire .

IV. Sed pergamus . Diſputandum enim eſt de jure , quod ad regendam Religionem ſummis Magiſtratibus ineſt ſine ullis Synodis . Nam Arminianus putavit , illos poſſe cognitionibus de fide præeſſe , de quovis dogmate cenſere , & de omnibus Religionis rebus publicas leges ſciſcere , quin ullos Paſtorum cœtus conſulerent. Illud ſcilicet contendit, quod univerſo Catholico nomini adverſatur, idemque ipſum quod tum in proluſione , tum in criticis hiſce exercitationibus exploſimus . Hoc autem modo edifferit. Si ſine Synodis , inquit, Principes non poſſint de ſacris decernere , profecto iidem a Synodis Imperium accipere videntur . Sed hoc affirmari nefas eſt , quoniam nullum Imperium penes Eccleſiam reſidet . Ergo illis jus eſt de ſacris cognoſcere & edicere ſine Antiſtitum ſenatu. Quam feſtive & breviter! Credidit Arminianus, Religionem in numero eſſe eorum negotiorum quæ Principum Imperio adminiſtranda ſint, ex quo ſumpſit, eos, niſi poſſint de Religione leges jubere ſine Synodis , iſto in loco eſſe exiſtimandos , quaſi Imperium a Synodis repetant . Ecquis hæc dabit? Perſpicuum eſt ex iis , quæ alias diſputavimus , Religionis eam eſſe naturam , ut ab Imperio ſit libera & ſine ullo dominatu geratur. Illa enim

. . . . . *mentes habitare & pectora gaudet*

in quæ vis nulla pervadit . Accedit quod Eccleſiaſtica concilia eum in finem ſocientur, ut doctrina, quam Chriſtus pertulit, communi omnium Paſtorum conſenſu explanetur & Populis promatur . Neque enim in iis ampliſſimus Paſtorum Ordo ullum Imperium adminiſtrat , ſed doctoris & interpretis munere fungitur . His ita conſtitutis verendum non eſt , ne Imperium tanquam a Synodis delatum ſummis Magiſtratibus eſſe videatur, ſi dicamus , eos in Paſtorum Synodis eſſe inſtituendos ad illa Religionis dogmata , quæ in certamen venerunt , ut eadem publicis legibus jubeant , & contra diſſentientes defendant. Paucis ſophiſma explicatum eſt .

V. Prolata ſunt deinde ab Arminiano Romanorum Imperatorum exempla . Initium a Theodoſio magno capitur , qui poſt C.Politanam Synodum omnium factionum , in quas Eccleſia ſcindebatur , Epiſcopos evocavit , formulas Fidei ab ipſis conſcriptas ſibi deferri juſſit , eas implorato Dei numine requiſivit , quamque de iiſdem con-

conſultaret, eam approbavit quam orthodoxi Patres conceperant. Videamus modo, quid hæc ad Grotii conſilium hiſtoria valeat. Theodoſius Orientis Imperator a Gratiano iis temporibus renunciatus eſt, cum in plures Hæreticorum & maxime Arianorum ſocietates Orbis diviſus erat. Catholicæ Eccleſiæ hoc malum intulerant Conſtantius & Valens, quorum alteri εὐκολίαν (*levitatem*), alteri μοχθηρίαν (*iniquitatem*) obiecit in *libro* v. *Hiſt. cap.* VII. Theodoretus. Pius ille Princeps ægre tulit, populos omnes, qui Imperio parebant ſuo, non in unam fidem conſpirare, quam ſanctiſſima Nicæna Synodus declaraverat. Itaque, dum Theſſalonicæ verſabatur, anno Chriſtianæ Epochæ 380. legem juſſit, quam *auream ſanctionem*, *pium & ſalutare edictum* Cardinalis Baronius appellavit. In ea Populos ſuos imperavit eam Religionem ſibi habere, quam Romana & Alexandrina Eccleſia ſequebatur. Omnia tum egit conſilio & ductu Acholii Theſſalonicenſis Antiſtitis, quod Jacobus Gothofredus evincit *in commen.* ad iſtam legem, quæ primo loco poſita eſt in Titulo Codicis Theodoſiani *de Fide Catholica*. Pergit Imperator perficere quod inſtituerat. Nam ſibi ominabatur omnes Eccleſias in una Nicæna Fide conſentientes & perpetuis amicitiis ſociatas. Convocavit C-Politanum concilium, quo univerſi ferme Præſules Orientis venerunt. In eo, perlatis de Eccleſiaſtico regimine canonibus, Nicæna Religio ſummo omnium conſenſu firmata eſt. Teſtes ſunt Socrates in *Libro* v. *Hiſt. cap.* VIII., Sozomenus in *Libro* VII. *cap.* VII. & Theodoretus in *Libro* v. *cap.* VIII.. Ad hoc C-Politani Concilii decretum Imperator aſſenſione ſua acceſſit, quam Socrates his expreſſit, Τούτοις καὶ ὁ βασιλεὺς ἐγεγένετο σύμψηφος, *Quæ Synodus cenſuerat, ea Theodoſius ſuffragio ſuo approbavit*. Legem porro condidit, in qua eos omnes, qui Nicænæ & C-Politanæ Fidei non parebant, ab Eccleſiis exterminari ſuis præcepit. Audiamus Sozomenum in eodem libro cap. IX., Καὶ τὰ μὲν ὧδε τῇ συνόδῳ ἔδοξε, καὶ ὁ βασιλεὺς ἐπεψηφίσατο, καὶ νόμον ἔθετο, κυρίαν εἶναι τὴν πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ συνεληλυθότων, παραδοθῆναι δὲ τὰς πανταχῆ Ἐκκλησίας τοῖς .... μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ὁμολογοῦσι θεότητα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, *Et hæc quidem conſtituta ſunt in hunc modum. Imperator vero ea ſuffragio ſuo comprobavit, legemque pertulit, ut fides eorum, qui Nicææ olim convenerant, rata eſſet: utque omnibus in locis Eccleſiæ iis traderentur, qui.... unam eandemque Deitatem confiterentur Patris ac Filii & Spiritus Sancti*. Ea lex deſcripta eſt in Titulo Theodoſiani Codicis de Fide Catholica, ex quo accipimus eandem ad Auxonium Proconſulem Aſiæ fuiſſe miſſam: In hanc ſententiam concepta eſt, *Epiſcopis tradi omnes Eccleſias mox jubemus, qui unius Majeſtatis atque virtutis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum confitentur, ejuſdem gloriæ, claritatis unius: nihil diſſonum profana diviſione facientes, ſed Trinitatis ordinem, Perſonarum adſertionem & Divinitatis unitatem: Quos conſtabit communione Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Timothei nec non intra Ægyptum Alexandrinæ Urbis Epiſcopi eſſe ſociatos.... Omnes autem, qui ab eorum, quos commemoratio ſpecialis expreſſit, fidei communione diſſentiunt, ut manifeſtos hæreticos ab Eccleſiis expelli, neque his penitus poſthac obtinendarum Eccleſiarum Pontificium facultatemque permitti, ut veræ ac Nicænæ Fidei Sacerdotia caſta permaneant, nec poſt evidentem præcepti noſtri formam malignæ detur locus aſtutiæ*. Atque hactenus magnus Imperator ita ſe geſſit, ut de doctrina Religionis judicare, eandemque ex ſententia condere ſua non auderet. Nam primum Nicænam fidem adſcivit & publicæ auctoritatis præſidio vindicavit. Quoniamque in ſpem venerat, pleroſque fore, qui cum Catholicis amicitiam conciliare poſſent, ea de cauſa Synodum C-Poli ſociavit. Quum autem iſtud conſilium feliciter non ſuccederet, nicænam fidem, quæ in nova Synodo firmata fuerat, iterum pertulit, & in eos qui diffidebant, pœnas ſancivit. Catholicæ nimirum Fidei defenſorem patronum & tutorem, non judicem & interpretem in Theodoſio Eccleſia nacta eſt. Perſequamur quæ deinde Imperator egerit. Dum enim ſalutaribus illius juſſis Ariani ab Eccleſiis depellerentur, iidem quaſi perditis omnibus rebus, ita maxime tumultuabantur. Hoc cognito ille ſenſit, dandam eſſe operam, ut tranquillitas Eccleſiæ redderetur ſine ulla Nicænæ Fidei fraude. Id

ipſum

ipſum Nectario C-Politano Antiſtiti aperuit. Sic enim a Socrate accipimus, Ὁ Βασιλεὺς Νεκτάριον τὸν Ἐπίσκοπον μεταπεμψάμενος, ἐκοινολογεῖτο πρὸς αὐτὸν, πῶς ἂν γένοιτο μηχανὴ, ὅπως ἂν μὴ διαφωνοίη ὁ Χριστιανισμὸς, ἀλλ' ἑνωθῇ ἡ Ἐκκλησία, *Imperator accito Nectario Epiſcopo ſollicita deliberatione cum eo tractavit, quonam modo Chriſtiana Religio diſſenſionibus liberari, & Eccleſia ad unitatem revocari poſſet*. Deliberatum eſt, ut Imperator, evocatis præcipuis omnium factionnm hæreticis, eos interrogaret, an judicio ſtare vellent illorum veterum Doctorum, qui ante Arium floruerunt. Didicerat enim is a Nectario, priſcis Patribus eandem eſſe mentem, atque illis, qui Nicænæ Synodo adſuerunt. Cum igitur ex eo conſilio res ageretur, Hæretici magnum inter ſe certamen ſuſceperunt, dum alii antiquos Patres optimos Fidei auctores haberent, alii contra ſentirent. Quid Theodoſius faceret? Illis ſcilicet injunxit, ut libellos darent, in quibus fidem complecterentur ſuam. Conſcribunt hos libellos Catholici, Eunomiani, Ariani & Macedoniani. Iis acceptis Princeps in cubiculum diſceſſit, in quo, remotis arbitris, Deum exoravit, ut πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἐπιλογὴν *ad veritatis delectum* opem præberet. Cum deinde libellos omnes perlegeret, cæteris rejectis, eos laudavit quos Catholici attulerant. Hoc memoriæ proditum eſt apud Socratem in libro v. Hiſt. Eccl. cap. x., Εἶτα ἕκαστον τῶν γεγραμμένων δογμάτων ἀναγνοὺς, τὰ μὲν ἄλλα πάντα ὡς χωρισμὸν τῆς τριάδος εἰσάγοντα μεμψάμενος ἔῤῥηξε. μόνην δὲ τὴν τοῦ ὁμοουσίου ἐπαινέσας ἐδέξατο, *Poſthæc* (Imperator) *perlectis uniuſcujuſque dogmatis libellis, cætera quidem dogmata, utpote quæ Trinitatis diviſionem inducerent, damnavit, chartaſque laceravit: ſolam vero Conſubſtantialis Fidem LAUDAVIT atque SUSCEPIT*. Hæc Grotius in ſententiam ſuam ita detorquet, ut efficiat, Theodoſium de dogmate Religionis ſine Synodis deliberaſſe & cenſuiſſe. Quis hoc aſſeveraret, niſi Arminianus? Nam Ordo Sacerdotum, qui evangelicus rerum Divinarum diſceptator eſt, ſemel & iterum illud dogma pronunciaverat, idque ipſum Theodoſium docuerat. In duobus enim conciliis Nicæno & C-Politano Catholica fides ſatis erat explicata: Imperator Synodicis decretis auſcultans eam aſcivit & publicarum legum præſidio texit. In eodem defendendæ Religionis ſtudio ille erat, quo tempore libellos Fidei, quos ad ſeipſum deferri juſſit, perlegendos ſuſcepit: Quod quum is ageret, non eo ſpectavit, ut dogma quaſi dubium cognoſceret, (hoc enim dudum liquebat), ſed ut rem intelligeret, in qua Hæretici ab orthodoxis diſcreparent, eaque cognita videns & gnarus Religionem vindicaret. Quocirca non obivit ullas Judicis partes, ſed ejus, qui Catholicam fidem defendit & laudavit.

VI. Profert deinde Arminianus Conſtantinum magnum, quem dicit, cauſam Donatiſtarum ad Ælianum Africæ Proconſulem detuliſſe. Hoc enim alterum exemplum eſt piorum Imperatorum, ex quo conficit, eos ipſos de ſacris judicaſſe, aut Magiſtratus in locum ſuum ſubſtituiſſe, qui de iiſdem cenſerent ſine ullis Paſtorum conventibus. At enim vir clariſſimus de more ſive decipitur, ſive alios fallit. Nam Conſtantinus quidquid in Africa Catholici & Donatiſtæ decertabant, primum Concilii Romani, tum Arelatenſis judicio commiſerat. Id ſatis ſuperque proditum eſt *in proluſione*. Sed videamus, an ullas partes Proconſuli Conſtantinus mandaverit. Miltiades Pontifex maximus in Concilio Romano cenſuerat, Cæcilianum Carthaginenſem Antiſtitem ab omni crimine eſſe integrum, contra vero Donatum ejus accuſatorem ſuprema ſententia percuſſerat: Quumque obiiceretur, Felicem Aptungenſem Præſulem, qui Cæcilianum conſecraverat, Ethnicis Tyrannis Sacros Codices tradidiſſe, eamque ob cauſam conſecrandi munere legitime fungi non potuiſſe, hoc qualecumque crimen non eſſe requirendum Miltiades decrevit. Nanque putavit, Felici Aptungitano in gerendo Sacerdotio ita verſari licuiſſe, ut id ratum eſſet, quod adminiſtraret, quamdiu Eccleſia eum non abdicaſſet. Statim Donatiſtæ de iſto judicio, quod ſapienter Miltiades protulerat, apud Imperatorem queruntur, qui præcipuam rem Arelatenſi Synodo cognoſcendam mandavit: Hæc autem erat, an Cæcilianus jure Epiſcopum ageret, quamvis Antiſtites, qui eum conſecraverant, ea crimina ſibi conſciſcerent, quorum accuſa-

cuſabantur. Sed porro pientiſſimus Princeps os Donatiſtis obſtruere ſtudebat. Itaque quæſtionem de Felice Aptungitano haberi præcepit, primum a Vero Præfecturæ Africanæ Vicario, tum ab Æliano Proconſule. Verum ea quæſtio politica erat, an Felix temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum cum ethnicis Magiſtratibus gratiam iniiſſet iiſque ſacros libros cremandos dediſſet. Oportebat enim interrogari Curatores & Duumviros Civitatis Aptungenſis, qui acta municipalia confecerant eo anno cum ille in jus fuerat vocatus. Optatus Milevitanus in libro primo adverſus Parmenianum, *Quia*, inquit, *in ipſa cauſſa jamdudum duorum videbantur laborare Perſonæ & Ordinati & Ordinatoris, poſtquam Ordinatus in Urbe purgatus eſt, purgandus adhuc remanſerat Ordinator. Tunc Conſtantinus ad Ælianum Proconſulem ſcripſit, ut remotis neceſſitatibus publicis de vita Felicis Aptungitani publice quæreretur*. Quid eſt quærere publice de vita Felicis Aptungitani, niſi teſtes rogare de ratione vitæ, quam ille inſtituerat, & acta municipalia inſpicere, in quibus probatio aſſervanda erat delictorum, ſi quæ forte idem admiſiſſet? Iſtud autem publicum negotium erat & publicis Magiſtratibus committi debebat. Hoc quidem ſignificavit Auguſtinus in Epiſtolis 152. & 162., *An forte, ſicut quidem dixit; non debuit Epiſcopus proconſulari judicio purgari? Quaſi vero ipſe ſibi hoc comparaverit, ac non Imperator ita quæri juſſerit, ad cujus curam, de qua rationem Deo redditurus eſſet, res illa maxime pertinebat*. Atque prorſus ita erat, ſiquidem Conſtantini ævo Antiſtites in communibus delictis non alios Judices habebant, quam Provinciarum Præſides. Primus Conſtantius quæſtiones de Epiſcoporum delictis exercendas Synodis commiſit in lege, quæ eſt XII. *in Codice Theodoſiano de Epiſcopis, Eccleſiis & Clericis*, *Manſuetudinis noſtræ*, inquit, *lege prohibemus in Judiciis Epiſcopos accuſari . . . Si quid eſt querelarum, quod quiſpiam defert, apud alios potiſſimum Epiſcopos convenit explorari, ut opportuna atque commoda cunctorum quæſtionibus audientia commodetur*. Arianis Arianus ipſe Conſtantius favebat, ut ſi qui forte ab Athanaſianis hoc eſt Catholicis accuſarentur, e judiciis facile elabi poſſent, quin eos in ſingularem fidem ſuam recipere videretur. Nam tum temporis in Synodis frequentiores erant Ariani Antiſtites, quam Orthodoxi. Ex quo perexigua huic legi auctoritas fuit apud pios Principes, qui a Conſtantino imperium geſſerunt. Sed illuc revertamur. Cognovit ſcilicet Ælianus Africæ Proconſul non de eo quod caput cauſæ erat, ſed de facinore, quod coram ethnicis Magiſtratibus Felix commiſiſſe dicebatur. Nanque nihil ſupra hoc ipſum ei mandatum erat. Nemo igitur, qui iſta novit, niſi garriendi ſit impunitas, Conſtantinum proferre poteſt tanquam Principem, qui cognitionibus de Religione publicos Magiſtratus præfecerit.

VII. Tandem Grotius accedit ad Imperatores Honorium & Theodoſium, qui Flavium Marcellinum Africam ea cum poteſtate miſerunt, ut, Catholicis & Donatiſtis Epiſcopis Carthaginem ad colloquium evocatis, ipſe univerſæ diſputationi judex præeſſet. Mirum quantum in eo exemplo momentum eſſe arbitratur ad amplificandam Principum auctoritatem, quod in Carthaginenſi iſto colloquio non de levibus rebus, ſed de Religione & de Eccleſia decertaretur. Sic ille omnia alioſum accipit, atque a Chriſtianis Principibus geſta fuerunt. Adeo Hollandicorum Ordinum conſilio deſerviebat. At ſi eam hiſtoriam accurate perſpiciamus, ſatis videmus Marcellinum Africam petiviſſe ut de iis cognoſceret, quæ in factis verſabantur, quumque eadem inveſtigaſſet, leges quas Imperatores tulerant in Donatiſtas, prorſus confirmaret & Synodorum decretis publicam auctoritatem attribueret. Deſcribamus mandata, quæ Marcellinus accepit. Leguntur enim in Collatione Carthaginenſi, quam publici juris fecerunt primum Papirius Maſſonius, & mox P. Pithœus, *Cognitione* I. num. 4. & *Cognitione* III. num. 29. *Inter Imperii noſtri maximas curas*, inquiunt Honorius & Theodoſius, *Catholicæ legis reverentia, aut prima ſemper, aut ſola eſt. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conſiliis ordinamus, niſi ut verum Dei cultum orbis noſtri plebs devota cuſtodiat: ut etiam Donatiſtas vel terrore vel monitu olim implere conveneret, qui Africam, hoc eſt Regni noſtri maximam partem, & ſecularibus officiis fideliter ſer-*

ſervitutem, vano errore & diſſenſione ſuperflua decolorant. Nos tamen, eadem frequentius non piget replicare, quæ omnium retro Principum devota in Deum definivit auctoritas, ne temporibus noſtris, ſi quid forte in injuriam legis Catholicæ fuerit generatum, juſto judicio hoc nobis poſſit imputare poſteritas. Nec ſane latet conſcientiam noſtram ſermo cœleſtis Oraculi quem errori ſuo poſſe proficere ſcæva Donatiſtarum interpretatio profitetur; qui quamvis depravatos animos ad correctionem mitius invitaret, aboleri eum tamen etiam ante juſſimus, ne qua ſuperſtitionibus præſtaretur occaſio. Nunc quoque excludendam ſubreptionem ſimili auctoritate cenſemus. Illudque merito proficemur, libenter nos ea, quæ ſtatuta fuerant, ſubmovere, ne in Divinum cultum nobis ſe quiſquam auctoribus æſtimet poſſe peccare. Et quamvis una ſit omnium & manifeſta ſententia, Catholicæ legis plenam veritatem recto hominum cultu & cœleſti ſententia comprobatam, ſtudio pacis & gratiæ, Venerabilium Virorum Epiſcoporum Legationem libenter admiſimus, quæ congregari Donatiſtas Epiſcopos ad cœtum celeberrimæ deſiderat Civitatis, ut electis etiam Sacerdotibus, quos pars utraque delegerit, habitis diſputationibus, ſuperſtitionem ratio manifeſta confutet . . . Cui quidem diſputationi Principe loco te (Marcellinum alloquuntur) *Judicem volumus reſidere. Quicquid etiam ante in Mandatis acceperis, pleniſſime meminiſti, omnemque vel in congregandis Epiſcopis, vel evocandis, ſi adeſſe contempſerint, curam te volumus ſuſtinere: ut & ea, quæ ante mandata ſunt, & quæ nunc ſtatuta cognoſcis, probata poſſis implere ſolertia, id ante omnia ſervaturus, ut ea, quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit Antiquitas, vel Parentum noſtrorum auctoritas religioſa conſtituit, vel noſtra Serenitas roboravit, novella ſubreptione ſubmota, integra & inviolata cuſtodias.* Ex iis mandatis nata eſt lex illa, quæ poſtremo loco reperitur *in Codicis Theodoſiani Titulo de Religione*. Repetamus ab origine ſua quicquid Imperator agere voluerit. Anno 409. ſanxerat, Donatiſtas pro arbitratu eam Religionem ſibi habere, quam maxime probarent. Hoc enim pertulerat, aut quia crediderat, Donatiſtas ἐθελοθρησκείᾳ *religionum libertate* conceſſa, facile cum Catholicis amicitiam inituros, aut quia verebatur, ne iidem, ſi Principem ſibi adverſum exiſtimarent, partibus faverent Attali Tyranni, qui in Africam profecturus erat ingenti cum exercitu. Tantus enim metus Imperatori injectus fuit, ut Imperio cedere & Orientem petere pararet, niſi Conſtantinus, qui ad bellum inferendum ab Attalo erat miſſus, Heracliano Africæ Comite rem fortiter gerente, mortem oppetiiſſet. Utcumque res ſe habuerit, profecto illud evenit, ut Donatiſtæ, propoſita iis impunitate, licenter in Catholicos ſævirent & ad ſuperbiam ferociamque inſoleſcerent. De iis cohibendis captum eſt conſilium in Carthaginenſi Synodo, quam Africani Patres anno 410. coegerant. Deliberatum eſt, ut Legati mitterentur, qui Imperatori nuntiarent, ſeſe nefaria omnia pati a Donatiſtis. Patrum hoc decretum viſitur in Codice Africanæ Eccleſiæ in canone 107. Rogantibus Legatis Honorius oraculum illud ſuſtulit, ex quo arbitrium cujuſcumque colendæ Religionis Civibus delatum erat. De hoc oraculo tollendo ſcripta eſt lex 51. in Codicis Theodoſiani Titulo de Hæreticis ad Heraclianum Comitem, *Oraculo penitus remoto, quo ad ritus ſuos hæreticæ ſuperſtitiones obrepſerant, ſciant omnes ſanctæ Legis inimici plectendos ſe pœna & proſcriptionis & ſanguinis, ſi ultra convenire per publicum execranda ſceleris ſui temeritate tentaverint.* Deinde idem Imperator mandata ſcripſit ad Flavium Marcellinum, Tribunum & Notarium, virum ſane pietate & dignitate eximium. In iis legem inſtauravit, quæ Religionum libertatem ademerat. Hoc valent verba illa Imperatoris, *Nec ſane conſcientiam noſtram latet ſermo cœleſtis Oraculi quem* (ſermonem) *errori ſuo poſſe proficere ſcæva Donatiſtarum interpretatio profitetur, qui quamvis depravatos animos ad correctionem mitius invitaret, aboleri eum tamen etiam ante* (nempe hac lege) *juſſimus, ne qua ſuperſtitionibus præſtaretur occaſio . . . ne in Divinum cultum nobis ſe quiſquam auctoribus æſtimet poſſe peccare.* Hæc quum Honorius Marcellinum monuiſſet, eum judicem præfecit colloquio, quod a Donatiſtis & Catholicis haberi juſſit in Carthaginenſium Urbe: Sed formulam addidit, *Ut ea, quæ circa Catholicam Legem vel olim ordinavit Antiquitas, vel*

vel Parentum noſtrorum Auctoritas religioſa conſtituit, *vel noſtra Serenitas roboravit*, *novella ſubreptione ſubmota*, *integra & inviolata cuſtodias*. Hæc declarant, Marcellinum datum eſſe Judicem cum formula, hoc eſt eorum, quæ in factis conſiſtebant, cognitorem, non juris arbitrum, & quæſitorem de iis, quæ ad Fidem pertinebant. Duplex erat certamen, quod Donatiſtis erat cum Catholicis, alterum erat de factis hoc eſt de delictis, quæ objecta fuerant Cæciliano Epiſcopo Carthaginenſi, & aliis Epiſcopis, qui eum conſecraverant, alterum erat de jure ſeceſſionis, quam a Catholicis Donatiſtæ fecerant. Quoniam enim Donatiſtæ ſic habebant, veram eſſe Eccleſiam, quæ ex bonis, non ex malis ſociaretur, facile efficiebant, eos omnes non contineri Catholica Eccleſia, qui ſequuti fuerant Cæcilianum judicio ſuo multorum criminum conſcium. Utrique certamini finem impoſuerant concilia duo Romanum, & Arelatenſe, quorum decretis publicam vim Conſtantinus magnus adjunxerat. Hæc omnia, quæ centum ante annos acta fuerant, ordine repeterentur oportebat, ut Schiſmaticis audacia frangeretur. Auguſtinus in Libro III. contra Julianum, *Id*, *quod ante centum ferme annos Majores noſtri* (Catholici) *cum iis* (Donatiſtis) *egerant*, *jam Populorum memoriam non tenebat*. *Hæc neceſſitas compulit*, *ut ſaltem geſtis noſtra collatione confectis eorum contunderemus verecundiam & reprimeremus audaciam*. Igitur coactus eſt Carthaginenſis conventus, ut Africani omnes in memoriam redirent eorum, quæ geſta erant de controverſiis, quæ temporibus Honorii & Theodoſii inter Africanos Epiſcopos intercedebant. Hæ quæſtiones erant de delictis Antiſtitum, & de Eccleſia, è cujus complexu Catholicos omnes Donatiſtæ divellebant. Conventui præfuit Marcellinus tanquam decretorum, quæ Synodi condiderant, & legum publicarum vindex, ea nimirum poteſtate, ut *integra & inviolata cuſtodiret*, *quæ olim ordinavit antiquitas*, & Imperatorum *auctoritas & ſerenitas roboravit*. Sic prorſus Marcellini munus explicavit Jacobus Gothofredus in Commentario ad Legem, quæ ſuprema eſt *in Titulo Cod. Th. de Religione: facti quæſtio*, (verba ſunt Gothofredi) *in collatione Carthaginenſi vertebatur*, *atque ſecularis cognitor de facto tantum datus erat Marcellinus*, *qui ſcilicet facti quæſtionem diſcingeret*, *non juris ſeu de Fide quæſitor*; *cui notio & cognitio data erat*, *unde & Cognitor dicitur l. 55. de Hæreticis*, *non juriſdictio*, *denique cognitor ſeu Judex cum formula*, *non juris arbiter*. Nobis ægre eſt, in actis Collationis Carthaginenſis deſiderari decretum, quod Marcellinus pronunciavit. Si illud enim non deeſſet, profecto liqueret, Marcellinum Imperatoris mandatis obtemperaſſe, nec quid novum de illo ſchiſmate decreviſſe, ſed omnia præſidio auctoritatis ſuæ vindicaſſe, quæ antiquitas ſanxerat. Hoc tamen habemus, cur non valde de hujuſmodi jactura doleamus. Nam ab Auguſtino accipimus, quid Marcellinus in decreto expreſſerit ſuo: *Complexus eſt*, inquit Auguſtinus in Brev. cap. 25. *omnia*, *quæ de prolixa trium dierum actione potuit recordari*, *in quibus quædam non eo ordine*, *quo geſta ſunt*, *commemoravit*, *omnia tamen veraciter poſuit*, *confutatos a Catholicis Donatiſtas omnium documentorum manifeſtatione pronuncians*. Ampliſſimus ſcilicet Tribunus & Notarius, quum breviter perſequutus eſſet omnia, quæ Catholici Donatiſtis objecerant, eadem, quæ Synodi, Imperatores & Proconſules in ipſos decreverant, paret, inquit, Donatiſtas a Catholicis eſſe ſuperatos, eoſque impudenter agere, ſi diutius in errore ſuo inſiſtant. Hac prolata ſententia Imperatorum leges contra Donatiſtas renovavit in edicto, quod deinde pertulit, & in extremis membranis Collationis Carthaginenſis reperitur. Quumque ſic ſe geſſiſſet, non judicis, ſed vindicis munus obivit, qui rebus olim judicatis politicam firmitatem addendam curavit. Atque ea eſt tutela, in quam Eccleſiæ tranquillitas Chriſtianis Regibus & Imperatoribus tradita eſt. Expoſita igitur eſt celebris hiſtoria, ex qua nemo, niſi cui ratio non conſtet ſua, efficeret Principes de Religione judicaſſe & leges ſcripſiſſe ſine Paſtorum Synodis.

VIII. Reſtat ut videamus de duplici rationis concluſione, quam Grotius deinde objecit. Prima eſt, nullas ſæpenumero fore cauſas, ob quas Paſtorum concilia cogantur ad ea dogmata explicanda, quæ in dubium vocantur. Hoc enim quum poſuiſſet,

deinde conficit, penes Chriſtianos Principes reſidere auctoritatem conſtituendæ Religionis ſine Eccleſiaſticis conventibus. Atque hic locus confidenter & audacter a Grotio explicatus eſt. Nam nihil magis Evangelico juri contrarium dicere potuit, quam Paſtorum Synodos eo ſpectare, ut conſilium Principibus præbeant tanquam ſummis ſacrorum moderatoribus, eaſdemque ex humanis legibus convocari cœpiſſe. Qui enim de Synodis hoc ſenſit, is profecto exiſtimat, eas conſeſſus eſſe politicos, eorum ſimiles, in quibus publica & privata civium negotia conſultantur. Quam plena audaciæ omnia! Quanta ubique temeritas! Nam ad ſummam perſpicuitatem in novi Fœderis libris docemur, ſacros Paſtorum cœtus initium capere ab illa Eccleſiæ temperatione, quam Chriſtus condidit, eoſque a Deo poteſtatem habere ſuam, quæ ſane ſolam Religionis adminiſtrationem complectitur. Hæc enim dilucide efficiunt, Synodos jure ſociatas locum in orbe Catholico tenere interpretis, judicis, & cognitoris, qui Divina auctoritate præditus Religionem tradat, decernat & conſtituat, quamquam eædem illæ in publica Principum tutela & fide nituntur. Concedimus equidem ſæpe cauſas non eſſe, quamobrem Paſtores ex univerſis orbis provinciis congregentur. Iſtud vero non ex iis rationibus, quas Grotius attulit, ſed hoc modo efficiendum eſt. Explanator & diſceptator eorum dogmatum, quæ ad Religionem pertinent, univerſus eſt Antiſtitum Ordo, qui, dum eo munere fungitur, falli neſcius eſt. Hic autem ordo aut in œcumenicis conciliis cenſere ſolet, aut rem ita agit, ut omnes Antiſtites, ſeparatim quiſque, judicium ſuum pronuncient, vel Romano Pontifici acquieſcant, qui tanquam univerſæ Eccleſiæ princeps decreverit antea quid cæteri ſequantur. Hoc pluribus nec ſemel expoſitum eſt, ut nos pigeat illuc orationem noſtram redire. Ex his ſequitur, non oportere, ad omnia expromenda dogmata contra eos, qui diſſentiunt, conventus Antiſtitum convocari. Si enim id, quod agitur, perſpicuum apertumque ſit & inter omnes ferme Eccleſias conveniat, cur concilia & præſertim œcumenica conſocientur? Cur orbis commoveatur? In hanc ſententiam Auguſtinus in libro IV. ad Bonifacium cap. XII. n. 34. Tom. X. *Nunquid*, inquit, *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit: cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit*. Vid. Inſt. noſtras Dogmat.

IX. Sequitur ut videamus, ſi placet, quid valeat altera concluſio, ad quam Grotius ſic pervenit. Vetus eſt querela, inquit, Synodos eo tandem evaſiſſe, ut Eccleſiis tranquillitatem adimerent eaſque longum in certamen coniicerent. Antiſtites enim ira & odio vacui non erant, ſed ex præjudiciis ſuis judicabant, aut factionibus partium ſtudebant. Plena exemplorum eſt hiſtoria. Quot malis Eccleſiam affecerint Concilia Antiochenum, Cæſarienſe & Tyrium ſub Conſtantino, ac Epheſinum ſub Theodoſio ecquis non meminerit? Atque res infelicius ſuccedet, ſi, quod factitatum eſt, iidem in Synodis Judices aſſident, qui alicujus nomen detulerint. Sic enim ſummis ſtudiis decertatur & pacis ſpes omnis tollitur. Habenda eſt ratio temporum: neque enim concilia convocari par eſt, niſi cum Eccleſias ab iis nihil pertimeſcere facile providetur. Ergo Chriſtiani Principes curæ ſuæ optimum pretium faciunt ſi temere concilia non cogunt, ſed de dogmate, quod diſputatur, ipſimet inſpectis ſcripturis & veterum Patrum ſententiis judicium ſuum expromant, idque ex conſilio eorum, qui in ſacris diſciplinis excellunt. Hactenus Arminianus, quem acutum ſane & doctum virum miramur hoc ſumpſiſſe ad concludendum, ex quo confici nullo modo poteſt quod agebat. Etſi enim demus, Synodos Paſtorum Eccleſiis nocuiſſe eaſque diuturnis diſſenſionibus implicuiſſe, tamen non colligitur, Chriſtianos Principes eſſe adeundos, qui de rebus Religionis conſultent & judicent. Illud enim ſolum efficitur, Principes, ſi ea ſint tempora, in quibus Synodos convocari non deceat, id eniti prudenter debere, ut Romanus Pontifex rem, de qua negotium eſt, cognoſcat, ejuſdemque judicium in quo pii omnes Antiſtites orbis conquieverint, tanquam ſupremum Catholicæ Eccleſiæ oraculum exiſtiment & publico præſidio defendant. Redeamus

ad

ad Synodos, quarum habendarum mos apoſtolicus ex divino jure proficiſcitur, & ad Eccleſiæ quidem tranquillitatem incolumitatemque maxime accomodatus eſt. Hoc Romanorum Pontificum XXXVI. teſtimoniis evincit Joannes Launojus in Epiſtola ad Jacobum Malateſtam Pariſienſem Theologum. Saluberrimam Eccleſiaſticorum Conciliorum auctoritatem Licinius noverat, qui, cum Chriſtianam Religionem odiſſet, perlata lege prohibuit, ne illa ſociarentur. Quod ille veræ pietatis hoſtis egerit, apud Euſebium proditum eſt in vita Conſtantini in libro I. cap. LI., *Licinius primum Dei quidem Miniſtros ſub ditione ſua degentes, qui nihil unquam criminis adverſus imperium ipſius commiſerant, obſcure & callide circumvenit, varias adverſus eos calumnias inveſtigans. Cumque nullum ipſi crimen ſuppeteret, nec haberet, quod viris illis poſſet objicere, lege præcepit*, μηδαμῇ μηδαμῶς ἀλλήλοις ἐπικοινωνεῖν τοὺς Ἐπισκόπους, μὴ δ᾽ ἐπιδημεῖν αὐτῶν ἐξεῖναί τινι, τῇ τοῦ πέλας Ἐκκλησίᾳ, μηδὲ γε συνόδους ἢ βουλὰς καὶ διασκέψεις περὶ τῶν λυσιτελῶν ποιεῖσθαι, *ne Epiſcopi unquam inter ſe de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius ſibi vicini Eccleſiam ventitare liceret, & Synodos & Concilia & diſceptationes de communibus negotiis habere*. Patres Licinianam legem ita habuerunt, quaſi ea ad conclamandam Eccleſiæ ſalutem ſpectaret. Inter eos Euſebius, quem paulo ante nominavimus, ſic pergit, *Neque enim majoris momenti controverſiæ* (τὰ μεγάλα τῶν σκεμμάτων) *aliter quam per Synodos componi poſſunt. Et alioquin Deo infeſtus tyrannus* (ὁ Θεομισής) *cum Principi Dei amantiſſimo Conſtantino adverſari in omnibus ſtuderet, hæc noſtris imperavit. Nam Conſtantinus quidem Sacerdotes Dei pacis & concordiæ mutuæ cauſſa in unum convocabat idque in honorem ejus, cui ſacra faciebant. Licinius vero, dum optima quæque convellere molitur*, διασκεδάζειν τὴν σύμφωνον ἁρμονίαν ἐπειρᾶτο, *concentum Eccleſiarum perturbare tentavit*. En, Synodis interdictis, Patrum querelas, qui eas pacis & concordiæ conciliatrices in Eccleſia exiſtimabant. Attamen oratione noſtra Synodos jure congregatas reſpicimus. Hujuſmodi vero eas eſſe conſtat, quæ a Catholicis Præſulibus apoſtolicum in morem habentur, nec temere, ſed, rebus deliberatis & ſublato ſtudiorum certamine conſultant de ſacris. Quod ſi agatur de Synodis œcumenicis, porro neceſſe eſt, ut in iis univerſus ferme piorum Epiſcoporum Ordo ſedeat, & libere ſententiam pronunciet, præſide Romano Pontifice. In his Synodis poſita eſt Religionis & diſciplinæ incolumitas, ac omnium Eccleſiarum communis concordia. Verum hæc bona magno in diſcrimine verſantur, ſi in Eccleſiaſticis conventibus Præſules, qui judices adſunt, hæretici ſint & partibus ſuis faveant; aut ſi pie vivant, iis tamen non liceat libere ex fide cenſere ſua, aut denique conventibus qui ſunt œcumenici, Romanus Pontifex non præſit. Quæ cum ita ſint, perperam Grotius cauſam ſuam agit, qui ad conflandam Eccleſiaſticis Conciliis invidiam illud commemorat; quod, regnante Conſtantino magno, Antiochiæ coactum eſt. Hoc enim Concilium contra Euſtathium Nicænæ Fidei Patronum convenit anno 329. quod recte putavit Jacobus Gothofredus in Diſſertationibus ad librum II. Philoſtorgii, aut certe anno 330. quod ſenſit Henricus Valeſius in Adnotationibus ad Euſebianum librum III. de vita Conſtantini cap. LIX. Cum in eo Euſtathius Antiochenus Epiſcopus eſſet abdicatus, tanta ſeditio commota eſt, ut tota Civitas in duplicem factionem diviſa pene conficeretur civili bello. Id memoriæ mandatum eſt a Socrate in libro primo Hiſtoriæ cap. XXIV. An igitur univerſæ rei auctores extiterunt Catholici Antiſtites? Quinimo Euſebiani ſive Ariani pium Epiſcopum, coacto concilio, abdicarunt, quo nicænam fidem facilius ſubverterent. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios ſub initium, *Fuit quidam Euſtathius Epiſcopus Antiochiæ, vir confeſſione clarus . . . quem homines Arianæ opinionis ita apud Conſtantium* (Conſtantinum) *ficta calumnia accuſarunt, quaſi in matrem Principis contumelioſus fuiſſet*: Paulo poſt idem Athanaſius hiſtoriam belli, quod Ariani Eccleſiæ Catholicæ intulerunt, ab eo tempore, cum Euſtathius abdicatus eſt, exorditur, tanquam a primo eorum facinore: quod cum ipſis ex ſententia ceſſiſſet, cætera prona deinceps & facilia eſſe ominarunt. Itaque nihil huic Antiocheno Concilio commune eſt cum illis, quæ ab orthodoxis Epiſcopos aguntur

 tur

tur ad conſtituendam pietatis diſciplinam. Sequitur Synodus Cæſarienſis & Tyria, ex qua & Grotius argumentum obtrectandi omnes Eccleſiaſticos conventus capit. Sed nequicquam hoc molitur. Nanque Præſules, qui Tyri convenerunt, omnes ferme ad Arium acceſſerant, & Athanaſium nicænæ Religionis eximium defenſorem vatiniano odio proſequebantur. Deſpondebant ſibi, ſi hominem perderent, maximam rem è re ſua peracturos. Itaque eum falſis criminibus in invidiam adduxerunt & ſumma injuria condemnarunt. Hæc Patribus illis Conſtantinus magnus exprobavit in Epiſtola, quam ad eos conſcripſit & apud Socratem in hiſtoria lib. I. cap. XXXIV. evolvimus: Sic enim eos alloquitur, Εγὼ μὲν ἀγνοῶ κ. λ. *Quæ a veſtro Concilio per tumultum & tempeſtatem judicata ſunt, equidem neſcio. Videtur tamen per turbulentam quandam concitationem veritas eſſe labefactata, dum ſcilicet ob mutuam inter vos contentionem, quam invictam atque inſuperabilem eſſe vultis, nec veritatem, nec ea, quæ Deo grata ſunt, conſideratis*. Poſtremo affertur Epheſina Synodus II. ut, quum ea Religioni fraudem facere conata ſit, præjudicium accipere poſſimus, quid de univerſis conciliis cenſeamus. Sed quem præterit, in Epheſiorum Urbe tum cætum quendam extitiſſe tumultuarium, in quo vis omnia præpropere adminiſtravit? Quamvis enim œcumenicum concilium ageretur, ei tamen Dioſcorus Alexandrinus Præſul, non legati præfuerunt, quos Romanus Pontifex miſerat. Ad hoc Barſumas Archimandrita omnium Judicum princeps fuit, idem qui, quum Epiſcopus non eſſet, cum Epiſcopis conſidere non poterat ad ferendum judicium de fide. Hæc Theodoſius juſſerat, pius quidem Imperator, ſed qui facile falli poſſit ab iis, quibus familiariter uti ſolebat. Accedit, quod recitatæ non fuerunt Epiſtolæ Romani Pontificis, altera quam ad Flavianum C-Politanum Antiſtitem, altera vero quam ad Concilium ſcripſerat de dogmate quod quærebatur. Dioſcorus enim quidquid animo moliebatur, ex ſententia gerebat. His cœptis Legati intercedebant: ſed ille propoſito inſiſtebat, & Epiſcopis, qui conſilio non favebant ſuo, vim inferri a Monachis & Militibus patiebatur. Itaque Euthyches hæreticus criminis abſolutus eſt, & Flavianus ſanctiſſimus Præſul judicium ſubivit. Habemus quænam ſint concilia, quæ ad commovendas potius diſſenſiones, quam ad eas ſedandas conveniſſe Grotius objecit. In iis enim aut Hæretici Judices extiterunt, aut ordo ille ſervatus non eſt, quo catholica Eccleſia continetur. Itaque contra omnes illæ Synodi, quæ jure ſociantur, Eccleſiis pacem conciliant & Religionem conſervant. At enim, inquit Grotius, qui alicujus nomen detulerunt, iidem in conciliis ſententiam pronunciant: Quamdiu hic vetus mos abrogatus non ſit, facile accidit, ut, qui in ſententiarum diverſitate ante Synodos fuerant, deinde ab Eccleſia ſeceſſionem faciant, & certamina cœptent. Sic Arminianus, cujus iſtam obtrectationem paucis obteramus neceſſe eſt. Atque duo explicate ſejungenda ſunt, quæ ille confundit, an cauſſæ in Concilio verſentur, quæ de certis perſonis diſceptantur, an vero negotium ſit de explicanda religione & diſciplina Eccleſiæ. Si nimirum in Synodo quæſtiones exerceantur de Eccleſiaſticis viris, nefas eſt eos Judices cenſere, quos illi jure recuſare poſſent, quorum nomina delata fuerunt. Quum quæreretur de Cæciliano Præſule Carthaginenſi, Conſtantinus Magnus huic cognitioni præfecit non Epiſcopos Africanos, qui cum Cæciliano vel amicitias vel inimicitias gerebant, ſed Epiſcopos Gallicanos, qui Romæ cum Melchiade Pontifice judicium de homine ferrent. Beatiſſimus Eccleſiæ Doctor Athanaſius Tyriæ Synodi Epiſcopos rejecit & ad Conſtantinum ſeſe recepit. Apud Sozomenum *in libro* II. *Hiſtoriæ cap.* 25. legimus, Ο' δε λογισαμενος .... οὔτε ἀσφαλὲς δικάσασθαι πρὸς πλῆθος κατηγόρων παρὰ δικασταῖς ἐχθροῖς, φεύγει εἰς Κωνσταντινούπολιν, *Ille vero* (Athanaſius) *cum noſſet* ... *nec tutum ſibi fore adverſus tantam accuſatorum multitudinem coram inimicis Judicibus cauſſam dicere*, C-*Polim abſceſſit*. Joannes Chryſoſtomus, quamvis in Synodum ad Quercum plus vice ſimplici ſit vocatus, tamen nunquam vadimonium obivit. Nam iis, qui vocaverant, apud Photium *in Bibl. cod.* LIX. reſpondit, *Si apertos hoſtes judicum ordine ſubmoveritis, præſto ſum, meque ſiſtam, ut ſi quis me accuſarit, cauſſam dicam: ſi id facere detrectabitis,*

tis, *quoties citabitis*, *nihil proficietis*. Sin vero in Concilio referatur de Religione & univerſæ Eccleſiæ diſciplina, ea res, quum omnium ſit communis, ab univerſis Catholici orbis Epiſcopis agenda eſt: Neque enim refert, ſi qui Antiſtites ante concilium ſententiam ſuam pronunciaverint, iiſque, qui contra ſentiebant, fortiter interceſſerint, ne officium desererent ſuum. Nam quidquid ad Religionem pertinet, hoc explicandum eſt conſenſu ſingularum Eccleſiarum, quæ ab Apoſtolica fide nunquam deſciverunt. Hic enim conſenſus Chriſtianæ doctrinæ divinus eſt interpres & explanator. Tertullianus quidem & Irenæus priſci Doctores contra Hæreticos dogmata expromebant ex communi fide, quam iidem *auctoritatem Catholicarum Eccleſiarum* appellabant. At quod omnes Eccleſiæ ſentiunt, iſtud cognoſci non poteſt, niſi Antiſtites interrogentur, qui iis præſunt. Ex quo neceſſe eſt, ut omnes Epiſcopi, niſi aperte defecerint, Eccleſiæ quiſque ſuæ fidem proferant & de dogmate, quod declarandum eſt, libere cenſeant. Sic rationem inſtituerunt ſuam œcumenica omnia concilia, quæ optime Eccleſiarum tranquillitati & Religionis ſaluti proſpexerunt.

X. Hæc de jure, quod Chriſtianis Principibus tributum eſt ſine Paſtorum conciliis. Videndum eſt de altera eorundem auctoritate, quæ ad ipſas Synodos reſpicit. Ea enim ab Arminiano perinde expoſita eſt, ac ſi Principes duo efficere poſſent, & e numero Paſtorum eorumque omnium, qui in rerum divinarum diſciplinis excellunt, eos deligere, qui ſoli in Synodis veniant, & porro in ipſis Synodis ſententiam ferre de Religione. Cum primum illud perſequitur, plane dicit ad Synodos diœceſanas veterum more adiviſſe omnes Presbyteros, quos Eccleſia complexu quæque ſuo continebat, & ad Metropolitanas illos Epiſcopos, qui provinciam adminiſtrabant: ſin vero œcumenicæ Synodi convocarentur, univerſos Metropolitanos fuiſſe admonitos, ut ad eas accederent, eoſque Epiſcopos ex provinciis evocarent, quos iidem legiſſent. Repetit deinde tres illas habendarum Synodorum cauſſas, quas paulo ante commemoraverat. Atque exiſtimat, judicio Principum Paſtores eſſe renunciandos, qui mittantur cum in Synodos, quæ ab iis coguntur ad capiendum conſilium de ſacris, tum in illas, quæ publicam condendorum canonum poteſtatem exercent. De Synodis autem, quæ pro exploranda Eccleſiarum conſenſione congregantur, ille ſic habet, Principes prudenter huic negotio conſulere, ſi illis Paſtoribus id ipſum commiſerint, quos aut unaquæque Eccleſia, aut alii Paſtores probaſſent. Hæc autem Arminiano eſt prudentia Principum ſive bene agendi ratio. Quod ſi enim de jure quæratur, is putat dubium non eſſe, quin in quaslibet Synodos illi ſolum Poſtores venire poſſint, quos Principes arbitratu ſuo ceperint. Iſta omnia Grotius percurrit, quæ nunc refellenda ſuſcipimus. Atque is quidem de conventibus Paſtorum diſputabat, in quibus de ſacris conſultari neceſſe ſit. Hos ſociari in more eſt, ut decernatur vel de negotiis unius Eccleſiæ & de cauſſis, quæ ad Clericos tanquam Clericos reſpiciunt, vel de Religione & diſciplina divini cultus, de qua diviſione ſupra diximus. De conventibus prioris generis nobis cum Arminiano certamen non eſt. Damus equidem ei, penes Chriſtianos Principes reſidere auctoritatem ſacros Paſtores eligendi, qui in iis judicent. Ea enim auctoritas hoc ſpectat, ut Eccleſiarum tranquillitati & Canonum ſanctitati conſulatur ab illis Paſtoribus, quos inter cæteros gerendæ rei eſſe aptiores Chriſtiani Principes cenſuerint, iidem, qui ſacrorum omnium ſunt tutores & Patroni. Iſtud univerſa hiſtoria comprobat, ex cujus monumentis teſtimonia afferri non vacat. Verum in Synodos in quibus referri ſolet de Fide, omnes ferme Catholici Orbis Antiſtites vocentur oportet ſine ullo delectu, ſiquidem Religio communi omnium Eccleſiarum judicio expromenda eſt. Si quæ enim de Fide ſcita ſint in Conciliis, in quibus unius Provinciæ vel Nationis Præſules convenerunt, ea non exiſtimantur a ſupremo Religionis cognitore & Judice fuiſſe edita, niſi reliquorum Epiſcoporum conſenſio acceſſerit. Optime Vincentius Lirinenſis in Common. pag. 279. edit. Rittershus. *In ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc enim vere proprieque Catholicum* (*quod ipſa vis nomi-*

miniſque ratio declarat) quod omnia fere univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem & conſenſionem. Sequemur autem univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia, antiquitatem vero ita, ſi ab his ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos majores & Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt, conſeſſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certe pene omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur. Quocirca veteres Imperatores, cum œcumenicas Synodos convocabant, ad ſingulos Metropolitanos epiſtolas mittebant eoſque monebant, ut id ipſum univerſis Provinciæ Epiſcopis nuntiarent, de quo more in Proluſione. Jamvero facile omnia explicantur, quæ contra Arminianus objecit. Nulla lex proferri poteſt, inquit, in qua politicis Populorum moderatoribus interdictum ſit, quominus ipſimet univerſos Paſtores judicio ſuo deligant, qui in Eccleſiaſticas Synodos congregentur. At cur ea lex a nobis quærenda eſt, quum, ſi Eccleſiæ ſtatus ſpectetur, Religio in communi omnium fere Paſtorum conſenſu nitatur. Sancitum enim eſt in Divino jure, Eccleſiam univerſis Epiſcopis gubernari. Huic legi ſi Principes pareant, ſatis intelligunt, ſibi non licere delectum Paſtorum facere, qui de Religione deliberent in Synodis. Sed nonne par eſt (ſic enim Arminianus pergit) a Chriſtianis Rerum publicarum Rectoribus illos Paſtores eligi, quos de ſacris conſulant, aut eos, qui publicam in Synodis juriſdictionem gerant. Nimirum pro certo habet Arminianus, Paſtores, cum conveniunt, id agere ut civilem juriſdictionem adminiſtrent & quaſi a conſiliis declarent, quid Principes decernant, iiſque de cauſſis Synodos ſociari in publica Eccleſia. Videat quorſum evadit. Hoc enim quum ſentiat, quaſi perfrictæ frontis homo contemnit quid in evangelico jure conſtitutum ſit, quid univerſa antiquitas cenſeat, & quid Catholicum omne nomen credat. Antiſtites enim in conciliis, in quibus quæritur de Religione, ſacrorum Judicum loco ſedent & ſine ullo imperio publico divinum obeunt munus. Hoc oppoſuit Ambroſius Auxentio Ariano, cum ab eo ad diſputationem in ſenatu Principis inſtituendam provocatus eſt, *At certe*, ait, *ſi vel Scripturarum ſeriem Divinarum, vel vetera tempora pertractemus, quis eſt, qui abnuat, in cauſſa Fidei, in cauſſa, inquam, Fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare:* Et paulo poſt, *Si conferendum de Fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas Leges ante præmiſit, ſed liberum dedit judicium Sacerdotibus*. Omittimus complura illa, quæ in eandem ſententiam deſcripta ſunt in Proluſione. Inſiſtamus enim in cæteris, quæ deinde Arminianus perſequutus eſt. Nihil moramur, quid *in Defenſore ſuo pacis* exiſtimaverit Marſilius Patavinus, prodromus certe inter eos, qui res novas moliti fuerunt. Neque nos movent exempla Regum Iſraelitarum qui Prophetas pro libito lectos conſulebant. Nam ſatis expoſuimus in Proluſione, an jus, quod Regibus Iſraeliticis erat in ſacris, idem tribuendum ſit Chriſtianis Principibus. Nihil porro refert, quod Conſtantinus Magnus è Gallia Epiſcopos cognitores dederit, qui in Romano Concilio de Cæciliano Antiſtite Carthaginenſi cognoſcerent. Quærebatur enim de negotiis, quæ ad ſolam africanam Eccleſiam pertinebant. At enim Grotius commemorat Theodoſium Magnum, qui ad C-Politanum Concilium Macedonianos evocavit, itidem alterum Theodoſium & Valentinianum, qui juſſerunt Dioſcorum cum ſolis decem Epiſcopis ad Epheſinum concilium ire & Theodoretum ab eo ſubmoverunt, denique Stephanum Papam Reges rogantem, ut è Galliis Epiſcopos mitterent, qui in Romanum Concilium convenirent. Hæc breviter requiramus. Atque Theodoſius magnus non eo conſilio Macedonianos evocavit, ut iidem cum Catholicis Epiſcopis in Concilio conſiderent & de Fide pronunciarent. Novimus equidem id quod pius ille Princeps voluerit, e Socrate in Hiſtoria lib. IV. cap. VIII. *Ἐλπίσας δὲ*, inquit Socrates, *δύνασθαι καὶ τοὺς ἀπὸ Μακεδονίου ἑνῶσαι τοῖς αὐτοῦ, καὶ τοὺς ἐκείνης τῆς αἱρέσεως προεστῶτας ἐκάλεσε*, *Quoniam in ſpem venerat* (Imperator), *Macedonianos Fidei ſuæ poſſe ſociari, eorum quoque Antiſtites convenire imperavit*. Imperator nempe

in

in animum induxerat, Macedonianos ab Hæreſi avocare & Catholicis in amicitiam adſcribere. In hoc ſtudium ille incubuit, dum in Synodo verſabantur, quod ab eodem Socrate memoriæ proditum eſt, O' ὀυν Βασιλευς, καὶ οἱ τῆς ἀυτου πιστεως Ε'πίσκοποι παντοῖοι ἐγένοντο ὁμονοῆσαι ἀυτοις τοὺς περὶ Ε'λεύσιον, *Imperator igitur cum Epiſcopis partis ipſius omni ope adnitebatur, ut Eleuſium* (Macedoniorum principem) *eoſque, qui cum illo erant, ad partes ſuas traduceret*. Quumque rem ex ſententia non ceſſiſſe ille videret; paſſus eſt hæreticos è Concilio decedere. Ex iis perſpicuum eſt, Macedonianos non fuiſſe evocatos ad conſultandum & decernendum, ſed potius ad colloquium, in quo rationum momentis nicænam fidem doceri poſſent. Sic Theodoſius Magnus, e cujus ratione bene inſtituta alter Theodoſius abivit. Hic enim cum ad convocandam Epheſinam Synodum acceſſit, multa peregit, quæ divino juri eſſent contraria. Inter ea commiſit, ut in Synodum eos Epiſcopos congregaret, qui hæretico Eutycheti faverent & ab eadem depelleret, qui e Flaviani Sanctiſſimi Epiſcopi partibus ſtarent. Hoc valent duo reſcripta, quæ ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum miſſa ſunt & *in Actione prima Concilii Calchedonenſis* leguntur. Imperatorem enim fefellerant nefarii homines, quos in amicitiam receperat ſuam: Ex quo ille tanquam auctor proferri non poteſt, quem Chriſtiani Principes ſequantur. Reſtant litteræ, quas ad Pipinum ſcripſit Stephanus Papa. Demortuo Paulo primo in Pontificatum Conſtantinus frater Totonis Ducis Nepeſini invaſerat: ad Sacerdotium ſummum admotus fuerat a Georgio Epiſcopo Præneſtino, quem ad hoc vi coegerat, conventu finitimorum Epiſcoporum habito, qui in ipſum conſentiret: Creaverat Diaconos, Presbyteros & Epiſcopos. Quumque poſt annum de illo abdicando ageretur, vocatis contra Totonem Longobardis, in rerum perturbatione Waldibertus Presbyter Pontificatum arripuit. Utroque dejecto Pontifex maximus creatus eſt Stephanus IV. vir patria Siculus & pietate eximius. Is in concilio decernere voluit de Antipapis, & de auctoritate illius Sacerdotii, quod Conſtantinus multis contulerat. Eam ob cauſſam litteris Pipinum rogavit, ut Epiſcopos è Gallia, quot ipſe deligeret, Romam mitteret. Venerunt Gallicani Antiſtites Willicarius Senonenſis, Lullus Moguntinus, Gavienus Turonenſis, Addo Lugdunenſis, Herminardus Bituricenſis, Daniel Narbonenſis, Tilpinus Remenſis, Herulfus Lingonenſis, Herembertus, Bubulfus, Giſebertus & Joſeph. Hæc prodit Anaſtaſius Bibliothecarius & leguntur in Actis Concilii Romani. Itaque non quærebatur de explicanda fide, quæ res ad omnes Eccleſias pertinet, ſed de fortuna Antipaparum & de firmitate rerum, quas iidem peregerant. Quæ quum ita ſe habeant, plane concludimus, ad ea concilia, in quibus decreta Fidei condenda ſint, univerſum ferme Epiſcoporum ordinem eſſe evocandum, ſingularia licet Eccleſiarum & Clericorum negotia iis Epiſcopis committi poſſint, quos Chriſtiani Principes elegerint.

XI. Proximum eſt, ut videamus, an Principibus in Synodis tribui poſſit judicium de ſacris. Hoc Grotius illis plane adſcribit ob id ipſum quod iidem Religionis, quam ſibi habet Reſpublica, ſint judices & rectores. Sed eas conditiones dicit, ut, ſi in Synodis de expromendo dogmate quæratur, Principes una cum Epiſcopis in eo requirendo laborent & quovis loco cenſeant, quin liberam ſentiendi copiam aliis imminuant: ſin vero referatur vel de rebus, de quibus in divino jure nihil ſcitum ſit, vel de inveſtigando Eccleſiarum conſenſu, tum illi quidem Synodis præſint eaſque regant, ſed a pronuncianda ſententia abſtineant ſua. Præſtat enim ipſos, poſtquam cognoſſent quidquid Synodi decreverint, tandem judicium ſuum reddere idque lege jubere. Atque ſic prorſus Grotius exiſtimat, ſi Principes ad Synodos adeant, quas convocaverint. Nam, cum ad eas adminiſtros & magiſtratus ſuos mittunt, ille putat in more fuiſſe, ut his vel judicandi poteſtas mandaretur, qualis commiſſa fuit Judicibus in Concilio Calchedonenſi, qui de concipienda Fidei formula cum Epiſcopis conſultarunt, vel ſola regendi facultas crederetur, qua præditi erant Dionyſius in Tyria Synodo, & Candidianus Comes in Epheſina. Iſta Grotius, contra quem

quem ſæpe eundem locum urgeamus neceſſe non eſt. Nanque ad perſpicuitatem cum in proluſione, tum in criticis his exercitationibus explicatum eſt, ſacrorum regimen, in quo continetur judicium de Religione, non politicis rerum Rectoribus, ſed ſacris Paſtoribus fuiſſe mandatum, qui illud gerunt Dei mente, ratione, ductu & auſpiciis. Hac exiſtimatione ampliſſimus Paſtorum cœtus uſus eſt apud veteres pioſque Imperatores & Reges, qui nunquam commiſerunt, ut de Religione decernerent. Nanque de iis, quos contra egiſſe Grotius putat, veluti de Conſtantino magno in Nicæna Synodo, de Marciano ſive hujus magiſtratibus in Calchedonenſi, & de Carolo Magno in Francofortenſi ſatis ſuperque diſſeruimus.

XII. Diſſeramus tandem de eo judicio, quod ex ſententia Grotii a Chriſtianis Principibus inſtituendum ſit de iis quæ in Conciliis jam dimiſſis acta ſunt. Nam ſi in Synodis divinum aliquod dogma expromptum ſit, Arminianus cenſuit, Principum eſſe requirere, an utrique Tabulæ ea conſentiant, quæ Paſtores decrevere: ſin vero in Synodis de Eccleſiaſtica politia aut diſciplina id ſcitum ſit, quod in ſacris libris non continebatur, ad Principes pertinere dixit, ut iis, quæ conſtituta ſunt, legis vim adjungant, aut eorum aliqua tantum probent, quæ Eccleſiæ & Reipublicæ ex uſu eſſe exiſtimaverint. Protulit Arminianus veterum Synodorum morem, quæ ad Romanos Imperatores omnia retulerunt. Hi enim, quæ geſta fuerant, publice ſolebant βεβαιοῦν *confirmare*, ἐπιψηφίζεσθαι *calculo probare*, ἐπισφραγίζεσθαι *obſignare*, κρατύνειν *ſtabilire*, κρατιοῦν καὶ ἐπικυροῦν *firma & rata eſſe jubere*. Addidit monumenta, quæ ex Gallicanæ Eccleſiæ hiſtoriis accepit. Docemur enim ex iis, Reges, qui Galliis imperabant, in eo fuiſſe officio, ut quæ topicæ Synodi decreverant, ipſi vel omnia reciperent, vel eorum tantum aliqua confirmarent. Recitatis his monumentis Grotius effecit, penes Chriſtianos Principes jus reſidere mutandi Synodica omnia, tum quæ ad totam Religionem, tum quæ ad Religionis, quam Civitas aſcivit, partes reſpiciant.

Refellamus hæc. Atque quorſum orthodoxi Principes ſpectaverint, cum ipſorum ſæpe Patrum rogatu Synodis auctoritatem adjecere ſuam, ex antiquitate intelligi facile poteſt. Synodi quidem duplicis generis decreta edebant. Si enim in iis de aliquo Religionis dogmate judicatum eſſet, Imperatores id quod ſcitum erat, ſtatim lege ſua firmabant, quin ullam cognitionem inſtituerint. Hoc enim agebant, ut Eccleſiæ judicium defenderent & contra eos, qui ei ſtare negabant, publicas ſanctiones ferrent. Sin vero condebantur canones, in quibus Eccleſiæ politia & Chriſtianorum diſciplina conſtituerentur, hos optimi Principes ratos quidem eſſe jubebant, poſtquam de iis, quæ decreta fuerant, diligenter conſultaverint. Providendum enim erat, ne novi canones iis, qui antiquiores erant, derogarent, aut quum ad Clericos alioſque cives pertinerent, politicam Reipublicæ gubernationem perverterent. Hic locus ſatis pertractatus eſt in proluſione. Quoniam vero Grotius in hoc capite Gallicanos Reges Carolum Magnum & Carolum Calvum potiſſimum objecit, ſeparatim diſſerendum eſt de jure, quod illi exſeruerunt in confirmandis Nationis ſuæ Synodis. Promamus primum monumenta, ad quæ Grotius ſpectavit. Carolus Magnus anno DCCCXIII. quum Eccleſiæ diſciplinam inſtaurare in Galliis ſummo ſtudio exoptaret, Epiſcopos ditionis ſuæ juſſit in Synodos congregari apud Urbes Arelatenſem, Moguntinam, Remenſem, Turonenſem & Cabilonenſem. Dicto audientes Antiſtites conventus in iis Urbibus cogunt & canones concipiunt, quos ad Carolum mittunt. Eum autem ita alloquuntur, ut Imperatorias verſari partes dicant in emendandis & confirmandis Synodis. Nam conventus Arelatenſis, *Hæc igitur*, inquit, *ſub brevitate, quæ emendatione digna perſpeximus, quam breviſſime adnotavimus, & Domino Imperatori præſentanda decrevimus, poſcentes ejus clementiam, ut ſi quid hic minus eſt, ejus prudentia ſuppleatur, ſi quid ſecus, quam ſe ratio habet, ejus judicio emendetur, ſi quid rationabiliter taxatum eſt, ejus adjutorio Divina opitulante clementia perficiatur*. Conventus Moguntinus in eandem ſententiam, *Quatenus*, ait, *ea quæ paucis perſtrinximus capitulis, a veſtra auctoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas ita dignum eſſe judicaverit, & quid-*

quid

quid in eis emendatione dignum reperitur; *veſtra magnifica imperialis dignitas jubeat emendari*. Hujuſmodi auctoritatem, quam Carolo Magno Gallicani Antiſtites detulerunt, Carolus Calvus ſibi vindicavit anno DCCCLVI. Hic enim canones LXXX. quos meldenſis Synodus ediderat, ex Primorum Regni conſilio perpendendos ſuſcepit in Villa Sparnaco ad Matronam Fluvium, eorumque tantum XIX. probavit, rejectis LX. aliis. Atque Canones illi XIX., quos Rex delegit, *capitula excerpta* vocantur in *volum.* III. *Conc. Galliæ*, & in *collectione Capitularium*. Ad iſta, horumq. ſimilia, quæ Gallicani Reges gèſſerunt, Grotius reſpexit, cum in Principum eſſe poteſtate dixit, ut conciliis adderent, aut de iis demerent, quæ addenda vel demenda eſſe judicaverint. Nos igitur videamus an recte illius ſe habeat ratio.

Leguntur Gallicanæ Synodi Arelatenſis, Moguntina, Rhemenſis, Turonenſis & Cabilonenſis in volumine XIV. Conciliorum editionis Venetæ. In iis Carolo Magno arbitrium delatum eſt in probandis vel in emendandis iis, quæ ſcita fuerant. Nullus tamen canon editus erat, qui de Religione decerneret. De diſciplina tantum Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopi conſilia contulerant. De quinque illis Synodis Eginhardus in Chronico an DCCCXIII. *Concilia quoque juſſu Caroli Imperatoris ſuper ſtatu Eccleſiarum corrigendo per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt: quorum unum Moguntiaci, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabiloni, quintum Arelati congregatum eſt*. Ex his verbis perſpicuum eſt, ipſum Carolum Epiſcopis ſolum illud commiſiſſe ut *ſtatum Eccleſiarum corrigerent* ſive de componenda Eccleſiarum politia conſultarent. Quamobrem, habitis Synodis, Imperator conventum Aquiſgrani coegit, in quo canones recitari omnes juſſit, quos Epiſcopi in diverſis Urbibus condiderant, & ex iis eximium capitulare decerptum evulgavit. Eginhardus enim ſic pergit, *Conſtitutiones, quæ in ſingulis Synodis factæ ſunt, collatione coram Imperatore in illo conventu* (Aquiſgranenſi) *habita, qui noſſe voluerit, in ſupradictis Civitatibus invenire poterit, quamquam & in archivo palatii exemplaria illarum habeantur*. Sed Cronographus Moiſſiacenſis apud Antonium Pagium ad A. 813. diligentius rem memoriæ prodidit, *Mandavit Carolus, ut quidquid in unaquaque Synodo Epiſcopi definiſſent, ad Placitum conſtituti Imperatoris renuntiaſſent; quod ita factum eſt, & in ipſo anno menſe Septembri jam dictus Carolus fecit conventum magnum Populi apud Aquas palatium de omni Regno vel Imperio ſuo, & convenerunt Epiſcopi, Abbates & Comites & Senatus Francorum ad Imperatorem in Aquis, & ibidem conſtituit Capitula num. 46. de cauſſis, quæ erant neceſſaria Eccleſiæ Dei & Chriſtiano Populo*. Extat quidem *Capitulare*, quod in *capita* 46. tribuitur. Sed in animum noſtrum induci non poteſt, hoc ipſum eſſe illud, quod Chronographus Moiſſiacenſis ſignificavit. In eo enim Imperator non edixit *de cauſſis Eccleſiæ Dei & Chriſtiano Populo neceſſariis*, ſed de pœnis, quas politicus Judex ex edicto Regio repetebat. Ad hoc in capitularibus alterum eſt Caroli Magni, quod tamen XXVI. capitibus continetur. Sed nihiloſecius omnia capita decretis quinque Synodorum ita conſentiunt, ut ex his deſcripta eſſe videantur. Igitur ſi iſtud *Capitulare* idem ſit, quod Aquiſgrani Imperator pertulit, in verbis Chronographi Moiſſiacenſis loco numeri XLVI. ſubrogari neceſſe eſt numerum XXVI. ſiquidem nota X. in alteram notam L. mutari potuit.

Ad Synodum Meldenſem accedamus, cujus plurimos canones Carolus Calvus improbavit. Eam Synodum habuere tres Metropolitæ Wenilo Senonenſis, Hincmarus Rhemenſis & Rodulfus Bituricenſis eorumque provinciales Antiſtites. Atque hi omnes primum vicem temporum doluerunt, in quibus Milites aliique cives in Eccleſiaſtica prædia invaſerant, idque facinus cauſſam eſſe pronuntiarunt, cur a Northmannis aliiſque barbaris Gentibus univerſa Gallia tot malis afficeretur: Deinde pro conſervandis Eccleſiarum prædiis canones LXXX. ediderunt, & Carolum Calvum admonuerunt, ut leges, quæ ad eam rem pertinerent, a Carolo Magno & Ludovico perlatas vim habere ſuam juberet. Hæc omnia quum Synodus ſanxiſſet, ad Regem retulit, qui in Sparnaco Villa Rhemenſis Eccleſiæ ex iis canonibus quos Epiſcopi ediderant, tantum XIX. delegit, quibus publicam auctoritatem

tribueret. Hoc enim apud Regem egerunt Regni Primores, qui Eccleſiaſticas fortunas ſibi eripi ægre patiebantur. Paucis id expreſſit inſcriptio illa, quæ excerptis Canonibus a Carolo Calvo in volumine Capitularium grandiuſculis litteris adjuncta eſt, *Hæc quæ ſequuntur, capitula excerpta ſunt a Domno Carolo Domni Ludovici Imperatoris Filio, & Principibus ejus, ex capitulis quæ anno 846. ediderunt Epiſcopi in Synodis Wenilo ſcilicet cum ſuffraganeis ſuis, Urſmarus cum ſuffraganeis ſuis, Hincmarus cum ſuffraganeis ſuis, Gunthaldus cum ſuffraganeis ſuis, Amalo cum ſuffraganeis ſuis: & oblata ſunt eidem Principi, ſicut ipſe juſſerat, collecta ad relegendum in Sparnaco Villa Rhemenſis Eccleſiæ. Et quia factione quorundam motus eſt animus ipſius Regis contra Epiſcopos, diſſidentibus Regni ſui Primoribus ab eorundem Epiſcoporum admonitione, & remotis ab eodem concilio epiſcopis, ex omnibus illis capitulis hæc tantum obſervanda & complacenda ſibi collegerunt, & Epiſcopis ſcripto tradiderunt dicentes: non amplius de eorum capitulis acceptaſſe, quam iſta & iſta ſe velle cum Principe obſervare*. Ergo Carolus Calvus, ſi pleroſque Canones ex iis rejecit, quos meldenſis Synodus ediderat, in hujuſmodi decretis verſabatur, in quibus non de Fide, ſed de Eccleſiarum rebus agebatur. Gallicani enim Reges exemplo Romanorum Imperatorum de ampliſſimo Epiſcoporum ordine ita exiſtimabant, quaſi de ſacro quodam Magiſtratu, penes quem Eccleſiæ regimen reſideret. Illi quidem non patiebantur, concilia in Galliis perferri, niſi quæ nutu ſuo probarentur: Attamen hanc auctoritatem ita adhibebant, ut decreta, quæ ad fidem pertinebant, ſtatim aſciſcerent & in eos qui contra ſentiebant, politicas ſanctiones imponerent, ſed de decretis, quæ ad conſtituendam diſciplinam concepta fuerant, antea cognoſcerent, an veteribus canonibus & Regni legibus conſentirent. Nanque in ſciſcenda fide, quæ una eſt, Epiſcoporum ordo tanquam judex credebatur, qui falli neſciret: At diſciplina res media putabatur, quæ mutari poterat, & ſæpe mutata fuerat, quinimo cum ea politicus Regni ſtatus ita conjunctus erat, ut ex novis canonibus facile perturbari poſſet. In Francofordienſi Synodo dum referebatur de imaginum cultu contra Græcos & de Fide contra Elipandum Epiſcopum Toletanum & Felicem Epiſcopum Urgellenſem ſoli Epiſcopi iis de rebus conſultabant & decernebant. Carolus Magnus aderat, ſed tanquam is, qui ad Chriſtianæ Religionis dogmata inſtituebatur. Cum autem de diſciplina quæri cœptum eſt, Imperator non modo intererat iis, quæ gerebantur, ſed conſilia cum Epiſcopis capiebat & cum iis canones edebat: in canonibus ſexto & ſeptimo ſic legitur, *ſtatutum eſt, definitum eſt a Domno Rege & a ſancta Synodo*. Igitur perſpicuum eſt, Gallicanos Reges non omnia, quæ in Synodis conſtituebantur, judicio ſuo ſubjeciſſe, ſed ea tantum, quæ vel diſciplinam vel politiam ſpectabant. Hanc tamen illorum auctoritatem Grotius confuſe accepit, ut conſilio ſuo deſerviret. Conſulendus eſt Petrus de Marca in lib. VI. cap. XXII. *de concordia Sacerdotii & Imperii*.

CA-

AD

CAPUT VIII.

EXERCITATIO CRITICA.

I. Omnia ſub unum obtutum adducuntur, quæ Grotius perſequutus eſt in hoc capite.

II. Reiicitur arbitrium, quod ille Principibus defert, condendæ cujuslibet Religionis in Regno ſuo, idque multis argumentis: Primum argumentum.

III. Sècundum argumentum.

IV. Tertium argumentum.

V. Quæ audacter in eam rem a Grotio allata fuere, facile diluuntur.

VI. Auctoritas, quam orthodoxi Principes inter ſacrorum diverſitates ſibi tribuerunt, non ad arbitrium conſtituendæ publicæ Religionis referenda eſt, ſed ad tutelam Chriſtianorum ſacrorum, quæ iis a Chriſto data fuerat.

VII. Ratio agendi cum Gentilibus, quæ Conſtantino Magno fuit, non imperatorium Religionum arbitrium declarat, ſed argumento eſt, eum Principem ita præſidium Chriſtianæ Religioni tuliſſe, ut publicæ Imperii incolumitati ſimul conſuleret.

VIII. In eandem, ac Conſtantinus, ſententiam rem geſſerunt Conſtans & Conſtantius.

IX. Item cæteri Imperatores.

X. Quidquid de Judæis perlatum eſt, hoc iidem Imperatores non jure adminiſtrandæ publicæ Religionis, ſed partim conſilio non perturbandæ Reipublicæ, partim ſtudio defendendi Chriſtiani nominis pertulerunt.

XI. Publicis legibus vetitæ fuere omnes omnium hæreticorum ſodalitates, non modo eorum, qui ſuperſtitioni operam dabant, aut dogma Civitatis tranquillitati contrarium docebant.

XII. Accedit, quod in Principatu ea poteſtas ineſt, ut a quibuſcunque hæreticis civiles pœnas ſumere poſſit. Solvuntur quæ contra Arminiani obiiciunt.

XIII. Explicatur quo jure Africani Proconſules inter diverſas Donatiſtarum ſectas ſententiam pronuntiaverint.

XIV. Reiiciuntur exempla, quæ a Grotio expromuntur ad vindicandam poteſtatem, quam Principibus mandat ſciſcendi cujuslibet dogmatis. De lege Honorii contra Pelagianos.

XV. Docetur quid orthodoxi Principes ſtuduerint, cum leges condiderunt, in quibus contentiones de Religione vetuerunt. De Conſtantino & de Marciano. Enarratur Titulus Theodoſiani Codicis, de his, qui ſuper Religione contendunt.

XVI. Quam impudenter Grotius in cauſſam ſuam Heraclium Imperatorem attulit, qui inter Monothelitas & Catholicos de dogmate decrevit. De eo Imperatore Eccleſiæ judicium.

XVII. Pauca dicuntur de Meletio Antiocheno & Baſilio Magno, cujus locum Grotius interpolavit.

XVIII. Aggreditur Grotius diſſerere de Principum jure in iis conſtituendis, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam & gubernationem pertinent. Oſtenditur Principes eam rem ex Eccleſiæ & canonum mente peregiſſe.

XIX. Non eſt Principibus deferendum arbitrium mutandorum canonum. Contra Grotius obiicit, politiam Eccleſiæ Principum legibus fuiſſe conſtitutam, ſecus atque canones jubebant.

XX. Ad eum refellendum vetus Eccleſiæ temperatio exponitur. Hæc fere civilem politiam ſequebatur, licet in aliquibus Regionibus ab ea recederet, prout è Religione hoc negotium eſſet. Id probatur ex ſacra politia Italicæ & africanæ Eccleſiæ: quæ cum civili ſtatu non conſentiebat. Adduntur auctoritates Innocentii I. & Juſtiniani Imperatoris, qui ſenſerunt vel in ipſis Aſianis Eccleſiis non oportuiſſe, ordinem ſacrarum dignitatum eundem eſſe ac ordinem civilium Magiſtratuum.

XXI.

XXI. De canonibus Calchedonenſis Synodi. Conciliatur canon XII. *cum canone* XVII. *contra quem nunquam Principes egerunt. XXII. Expromitur vetus Eccleſiæ diſciplina de conſtituendo in ſingulis Civitatibus Epiſcopo. Ea ſæpe abrogata eſt non Principum juſſis, ſed contrariis Eccleſiæ moribus.*

I. HActenus Grotius ex iis, quæ in ſummo inſunt imperio, primum illud expoſuit, quod in reddendo de ſacris judicio conſiſtit, nunc ad alterum illud aggreditur, quod in Religione publicis conſtituenda legibus verſatur. Putat autem penes ſummos Magiſtratus non modo poteſtatem reſidere condendi publici juris de iis, quæ Deus nec juſſit, nec vetuit, ſed etiam de iis, quæ ſcita ſunt in Divinis Legibus, ſive ad totam Religionem, ſive ad ejus partes reſpiciant. Hoc, quod poſtremum eſt, primo loco ille perſequitur. Igitur cum Arminianis ſuis arbitratur, ad ſummos Magiſtratus pertinere, ut eam Religionem legibus haberi jubeant, quam ipſi delegerint, idque jus Europæos omnes Reges ſibi vindicaſſe, qui ex Chriſtianis ſectis, quæ ſibi optima eſſe videtur, illam in ſua quiſque ditione aſciverunt, additque Sacros Paſtores & Cives non poſſe in Civitatis templis contra docere, atque civiles leges imperaverint; ſin vero talis Religio juſſa ſit, quæ ſacris Scripturis ſit contraria, eos bene rationem inſtituere ſuam, qui Principibus quidem non obediant, ſed nihiloſecius nihil publice audeant, ſed ſeparatim ſibi & aliis in privatis conventibus conſulant. Cumque totam eam rem ſummis Magiſtratibus attribuat, porro exiſtimat, his illud eſſe integrum, ut, quemadmodum faciundum eſſe e Republica cenſent, Gentiles cultus, & hæreticos cœtus tollant aut tolerent, allatis pluribus Principum exemplis. At de hujuſmodi conventibus prohibendis edicit, qui aut ſuperſtitionem colunt, aut civitati plane nocent, aut a pace abhorrent, facile ut quiſque intelligat, ceteras in Republica Religionis cauſa ſociatas factiones ex ipſius ſententia ab imperio eſſe liberas, quod Arminiani omnes explorate ſciſcunt. Hæc Grotius dixit, ex quibus deinde efficit, id quod ab iis ſequitur, eorundem Principum jus eſſe præſtantiſſimum, ut de Religionis partibus, ſive de quovis dogmate leges ſancire poſſint, quod is non modo Hebræorum Regum, ſed Caroli Magni aliorumque Chriſtianorum Regum rebus geſtis confirmat: ex quo concludit, civilium legum auctoritate non modo quæſtiones eſſe ſublatas, quæ inutiliter agebantur, ſed etiam voces, quæ Sacris Scripturis uſui non fuerunt ad explicanda & exprimenda dogmata.

Deinceps Grotius ediſſerit de jure ſummorum Magiſtratuum in ſanciendis iis, quæ in Divinis tabulis prædefinito nec jubentur, nec vetantur, & ad Eccleſiæ diſciplinam optimamque gubernationem pertinent. Hujuſmodi leges Rerumpublicarum orthodoxi Domini ſæpe rogarunt ſine canonum conciliorumque auctoritate: optime tamen ab illis negotium confectum eſt qui ex canonum ſcitis ſanctiones de ſacris pertulerunt: nanque habuerunt, quod ſequerentur, conſilium, & magis magiſque Eccleſiis placuerunt. Hæc ille, qui negat, Eccleſiæ ineſſe poteſtatem legum figendarum. Eam enim illorum eſſe, qui ſummo imperio Rempublicam adminiſtrant: Eccleſiam ſolum canones ſcribere, quibus ſuadet, non imperat quod faciundum eſt. Ipſam nihiloſecius hujuſmodi eſſe loco, ut Principes ei Imperium mandare poſſint, quantum ſatis eſt ad condendas leges, quod ſi conceſſum ſit, hoc eandem non ita habere, quaſi illi qui conceſſerunt, eo ipſo ſeſe abdicaverint, nec corrigere aut abrogare valeant, quidquid de ſacris perferatur. Quæ cum Arminianus conſtituiſſet, deinceps adſtruit Principes canonum ſanctionibus non teneri, eaſque ſæpe ſuſtuliſſe aut mutaſſe: Quo jure Orthodoxi Imperatores contra atque in Calchedonenſi Synodo canone XII. erat decretum, multas Eccleſiaſticas metropoles erexerunt, aliique plurium Civitatum præfecturam uni Epiſcopo dederunt, tametſi antiquiſſimus Canon id vetuiſſet. Exiſtimat autem, hoc potiſſimum argumento univerſam canonicam diſciplinam eſſe in Principum manu & ditione, quod Eccleſiaſticarum paræciarum ordo civiles & publicas leges ſequatur: eo enim ſpectat Calchedonenſis canon decimus ſeptimus. Sic Grotius.

II.

II. Omnia igitur diſpiciamus. Primum ea poteſtas, quam penes Principes reſidere Grotius cenſet, mutandæ & deligendæ arbitratu ſuo Religionis, ſummo eſt exitio & fraudi non modo Reipublicæ, ſed iis ipſis, qui Imperio præſunt. Nanque tollitur id, in quo Civitatis ſalus atque ipſius principatus incolumitas nituntur. Sit enimvero publicus Dei cultus in manu & arbitrio Principum: proximum eſt, ut Cives facile exiſtiment, nullam eſſe Religionem ratam & conſtantem, quam ſibi habere debeant, ſed poſſe ad hanc, atque ad illam animum adjungi, quamcumque ſummi Magiſtratus legibus imperaverint. Hinc ſequitur, ut iidem rerum divinarum diſciplinam in numero eorum reponant, quæ media dicuntur, ſive nec bona, nec mala, atque ita cenſentur, quemadmodum publicis legibus conſtituuntur. Suſpicamur enim id quod accidit. Henricus VIII. Angliæ Rex veterem Eccleſiæ formam immutavit: Romanum enim Pontificem eo ſacræ præfecturæ munere abdicavit, quam ei gerendam Chriſtus mandavit in univerſo Catholico orbe. Demortuo Henrico Edvardus VI. novam Chriſtianam ſectam adſcivit, quam orthodoxi omnes repudiabant. Cumque ei Maria Regina ſucceſſiſſet, veterem Catholicamque Fidem in Angliam recepit, oppreſſis eorum partibus, qui, Eduardo Rege, floruerant. Poſt eam ſapientiſſimam Angliæ Dominam Regnum Eliſabetha ſuſcepit, quæ Religionem eandem quam Frater Eduardus edixerat, publica lege pertulit atque Imperii ſui diuturnitate confirmavit. Quid autem Regni Proceres & Principes Cives? Sacra ſcilicet mutarunt ad Regum & Reginarum voluntatem, eamque rerum Divinarum doctrinam ſequuti ſunt, quæ Imperantis Domini juſſu ſancita fuerat. Nanque in animum induxere ſuum, rem, quæ agebatur, ejuſmodi eſſe, quæ utcumque haberi poſſet. Quod ipſum Anglis objecit Joannes Clericus in libello quem conſcripſit *contra indifferentiam Religionum*. Sic enim Angli de Religione. Verendumque eſt, ne omnium Regnorum & Rerumpublicarum cives idem, quod illi, ſentiant, ſi ſummi Magiſtratus de ſacris perinde pertulerint, quaſi in ſua eſſent vi & poteſtate. Quin etiam illud in proclivi eſt, ut ſibi perſuadeant, ipſos Reges inveniſſe quidquid ſacrum & ſanctum eſt ad continendos in officio populos. Hoc autem cum crediderint, facile deſpicatui ducent Religionem, qua ſublata Fides etiam & ſocietas humani generis & una eminentiſſima virtus juſtitia exploditur: quod ſatis probatum eſt a compluribus viris doctis, quos commemorat Joannes Albertus Fabricius in *Syllabo argumentorum & delectu ſcriptorum* qui pro Chriſtiani cultus veritate decertarunt.

III. Jamvero preſſius cum Grotio agamus. Chriſtiana Religio una eſt, perpetua & conſtans: Deum enim habet auctorem, interpretem & judicem, eundemque loquentem per ampliſſimum Epiſcoporum ordinem, qui falli non poteſt in ejus expromendis decretis & præceptis. Hoc cum inter omnes Catholicos conveniat, quod ſatis effecimus, plane ſequitur, in iis, qui ſummo imperio Civitatem gerunt, jus non ineſſe, ut de Religionis illius ſcitis ſive abrogandis ſive mutandis decernere poſſint. Iidem enim Dei loco Rempublicam adminiſtrant diviniſque legibus obedire debent: Principum quiſque contra peſſimos aſſentatores Arminianos monendus eſt, ne quidquam juris eſſe ſui arbitretur quod Dei juſſis ſit contrarium. Bene Imperatorem ille affatur.

Diis te minorem, quod geris, imperas,
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dii multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Atque ineptiſſima eſt, Arminiane, ratio tua. Nanque, aut nos fallimur, affirmas Principum arbitrio deligendam eſſe Religionem, quæ publice habeatur, eoſque ipſos jure rem gerere, tametſi a Divinis Legibus diſcedant: quod ſi faxint, id caves ne Chriſtiani Cives illis obediant. At quis unquam docuit, Principes tum etiam jure agere, cum legem jubent, cui parere Cives non debent, ſi bene ſibi proſpectum velint; ſin autem pareant, crimini apud Deum obligantur? Quodnam juris genus eſt, ex quo alii ad officium vocari non poſſint? Hoc potius immane nefas & facinus eſt, ad quod audendum

Do-

Dominos tuos Hollandiæ Ordines impellis. Dominos iterum dicimus tuos. Nanque cæteri Europæ Reges, etiam qui ab Eccleſia Catholica ſeceſſerunt, non modo non ſuſtinuerunt aggredi quod in eorum eſſe poteſtate contendis, ſed aperte dixerunt, eam rem ad ſeipſos non pertinere, quam ipſis attribuis. Ipſe Britanniæ Rex Jacobus, ad quem, poſtquam ſcilicet Roterodamenſis aſſeſſor es creatus, magnis itineribus adiviſti, auſus non eſt ſibi arripere, quod, te auctore, Ordines Hollandiæ Imperio ſuo aſſeruerunt. Teſtis eſt Iſaacus Caſaubonus in epiſtola 863. tibi amiciſſimus, qui, cum loqueretur de Fidei decreto, quod ediderant Hollandiæ Proceres, *Videtur*, inquit, *hac formula jus decernendi de capitibus Fidei civili Magiſtratui tribui, quod neque priſci Imperatores, neque Rex ſereniſſimus Britanniæ ſibi unquam vindicarunt*.

IV. Pergamus porro. Grotius cum Arminianis ſuis arbitratur, Religionem politicam rem eſſe, quæ a ſummis Magiſtratibus conſtituenda ſit, ut quamcumque illi legibus ſanxerint, non liceat contra ſacris Paſtoribus docere in publicis templis, ut ut fas ſit eos dicere quod ſentiant in privatis conventibus. Quid nimirum templa & loca publica a privatis disjungit? Chriſtus enim, cum propagandæ Religionis Apoſtolis munus demandavit, eo in univerſis orbis Civitatibus eoſdem fungi juſſit ſine ullo delectu & locorum diſcrimine: *Diſcedentes*, inquit apud Matthæum x. 7. *κηρύσσετε, λέγοντες, ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, prædicate dicentes, appropinquaſſe Regnum Cælorum*. Atque idem ſatis Apoſtolis injunxit, ut divinarum rerum diſciplinas, quas acceperant, populos publice docerent ſecus atque Gentium Magiſtratus juberent. Nanque mandavit, ut illi non modo in ſynedriis & Conciliis hominum, ſed coram Regibus & politicis Rectoribus Religionis ſuæ doctrinam promerent, eamque ad rem Numinis ſui præſidium deſpondit. Sic enim eos affatur apud eundem x. 18., *Ὅταν δὲ παραδιδῶσιν ὑμᾶς, μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσητε. δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί λαλήσετε. Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν, τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν, Cum vero agent vos*, (ad Præſides & Reges), *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis illa hora quid loquemini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Quid plura quæramus? Perſpicuis deinde verbis Chriſtus vetuit, ne Paſtores, quos ipſe renunciaverat, doctrinam ſuam diſſimularent eandemque tacerent ea quidem de cauſa, quod pertimeſcerent, ne in Populorum invidiam adducerentur; Πᾶς, inquit, *οὖν ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω κἀγὼ ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Ὅστις δ᾽ ἂν ἀρνήσηταί με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς, omnis, qui conſitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt*. Hæc quidem, quibus ſignificavit, omnes Chriſtianos, non modo Paſtores in hujuſmodi eſſe officio, ut eam, quam ab ipſo didicerant, religionem libere evulgarent in hominum cœtibus hoc eſt tum privatis, tum publicis. Quod cum iis mandatum ſit, illud apparet, Rerumpublicarum Dominis imperium non eſſe, ut arbitratu ſuo edicant de hac vel illa adſciſcenda Religione, prohibeantque, ne contra publice doceatur.

V. At quid Grotius affert? Porro dicit, *mutato Regis animo Religionem mutari, neque id periculum in ſacris dumtaxat, ſed in aliis quoque rebus obtinere. Qualis enim artifex, tale opus: qualis Rex, talem legem: ſed ob periculum abutendi jus ſuum nemini denegandum*. Exiſtimat ſcilicet Religionem eodem eſſe loco, atque ea omnia, quæ ad Civitatem pertinent, ut bene illa geratur, ſi ſapientes & pii Reges Reipublicæ præſint, male vero ſi rerum divinarum ignari atque impii imperium adminiſtrent, quod probare ſtudet Auguſtini teſtimonio, Regum Hebræorum exemplis & primorum Chriſtianorum modeſtia, qui publici juris Religionem ſuam nunquam facere ſuſtinuerunt contra civiles leges. Ita Grotius. At contra Chriſtiana Religio ab omni mutationis diſcrimine liberari debuit. Nanque par fuit, ut illius explanandæ regendæque provincia iis committeretur, quibus datum eſſet, ne in ea adminiſtranda ullus error obrepe-

re poſſit. Etenim Deus apud Eſaiam LXI. 8. plane portendit, ſe cum hominibus fœdus percuſſurum, quod nunquam deficeret, *Fœdus*, inquit, *perpetuum* (עולם *holam*) *feriam eis*, quo in oraculo Eccleſiam ſignificari Chriſtus *apud Lucam* IV. 17. docuit. Quænam autem perpetuitas eſſe poteſt novi Fœderis, niſi Chriſtiana Religio, quæ in eo perlata eſt, ita tegatur, ut nunquam intereat? Præterea omnibus perſpicuæ ſunt Chriſti pollicitationes, in quibus Eccleſiæ incolumitas deſpondetur. Qui vero Eccleſia ſoſpes ſit, niſi illius regimen apud eorum ſenatum reſideat, qui falli non poſſit? Neque enim ab aliis negotiis, quæ ad Civitatem ſpectant, argumentum capiendum eſt: politicarum enim rerum ordo perpetuus a Deo promiſſus non eſt: In eo conſtituendo ſi legumlatores erraverint, non iisdem malis cives afficient, atque ſi de ſacris nefarias leges pertulerint. Agitur enim publica tranquillitas, magna quidem res, ſed quæ comparanda non ſit cum Divini cultus doctrina in qua non ſolum civilis & mortalis, ſed cœleſtis & ſempiterna hominum ſalus verſatur. Itaque mutationis quidem periculum efficere non poteſt, quominus Reipublicæ ſtatus a politicis Rectoribus gubernetur, licet eadem de cauſſa Chriſtianæ Religionis adminiſtratio iis eſſet credenda, qui ſine errore eam conſervarent. Quid Auguſtinus tum in Epiſtola CLXVI., tum in *libro adverſus Creſconium*? Is ſane non cenſuit, arbitrio Regum ſciſcendam eſſe in Republica Religionem, nec putavit eos qui male de Religione edixerint, jure rationem ſuam inſtituere, etiamſi ipſis non ſit obtemperandum. Reſpexit eximius Doctor ad illud Regum officium, ex quo publica Eccleſiæ tutela afferenda eſt. Declaravit enim diverſa Regum ſtudia, dixitque, eos qui prædíti ſunt pietate, probum Dei cultum fortiter vindicare & legibus ſuis defendere, ſed qui ad improbitatem defecerint, hos non modo Eccleſiæ præſidio non eſſe, ſed operam dare, ut impietatem ſuam in Civitate aſciſcant ſummo cum ſcelere & magna cum Numinis injuria. Proferuntur deinde exempla Hebræorum Regum, quorum alii ſuperſtitionem induxerunt, alii, ea abolita, Jehovæ cultum inſtaurarunt. Quis autem, niſi Arminianus, cenſuerit, eos omnes jure, quod inerat in principatu, egiſſe? Principes enim Iſtraelitæ, quum Theocraticam Rempublicam regerent, non veri Reges, ſed Proreges erant: ſacram enim Dei veluti politici Dominatoris vicem procurabant. Quocirca ipſis dumtaxat jus erat ad iſta peragenda, quæ Deus mandaverat, non autem ad ea, quæ Deus vetuerat. At enim, inquit Grotius, ſi Religio Jehovæ ſervaretur, hoc laudi Regibus tribuitur, ſin vero ab ea Populus deficeret, id iisdem crimini adſcribitur in Sacræ Hiſtoriæ tabulis. Iſtud nimirum prorſus ita ſe habebat, ex quo tamen male concludetur, a divinis Hiſtoricis Regum legitimam quandam declarari arbitrii auctoritatem, quæ ipſis eſſet in deligendis ſacris. Nam potius efficiendum eſt, ipſis tutelam fuiſſe creditam Divinæ legis, ita ut qui Jehovæ Religionem ſartam tectam præſtabant, laudibus efferrentur, qui vero eam perderent, maledictis afficerentur. Sed Grotius nos dicendo urget, veterem Eccleſiam, quæ frequenti populo & fortiſſimis viris non deſtituebatur, *nunquam vi publicum Religionis uſum arripuiſſe*. Quid autem conficiet? Nemo enim intelligit, quomodo veterum Chriſtianorum modeſtia argumento eſſe poſſit, jus Principibus fuiſſe delatum, quod ad ſanciendas arbitrio ſuo Religiones pertineret. In primis quidem ſeculis Chriſtiani bellum pro ſacris ſuis non ſuſceperunt, idque ex ea pietate faciundum exiſtimarunt, quæ Imperatoribus iniqua jubentibus morem quidem non eſſe gerendum, ſed nunquam vim opponendam docebat. Quumque illi ita ſe gererent, officium non deſeruerunt propagandæ Religionis ſuæ in ſingulis Romani orbis provinciis & in univerſis vel frequentiſſimis Civitatibus.

VI. Jamvero refellamus quod Grotius ediſſerit de Principum auctoritate inter ſacrorum diverſitates. Ille enim arbitratur, romanos Imperatores ſæpe diſcrepantes Religiones in Republica libere haberi ſiviſſe, ſæpe iis interdixiſſe, quidquid vero decernerent, id hujuſmodi arbitrio factitaſſe, quo Divinus cultus ab iisdem regendus erat in Civitate. Hoc jure egiſſe ei videntur plerique a Conſtantino Auguſti, qui modo Gentilibus, Judæis & Hereticis *ἐθελοθρησκειαν Religionum libertatem* dederunt, modo eam negarunt. Sic nimirum Grotius quum jus quoddam finxiſſet regendæ ad libitum Principum

cipum & conſtituendæ publicæ Religionis, ad illud referri omnia jubet, quæcunque Romani Imperatores de ſacris ſanxerunt. At enim orthodoxis Principibus nunquam in opinionem venit, eam ſibi poteſtatem eſſe datam, quam ipſis Grotius attribuit. Illi enimvero publici Divini cultus præſidium dumtaxat ſibi delatum voluerunt. Nam ſapienter in animum induxerunt, ſibi Chriſtum injunxiſſe, ut ejus doctrina ſine fraude eſſet. In hoc officio verſati ſunt, cum caverunt, ne Chriſtianum nomen quidquam detrimenti caperet, aut cum operam dederunt, ne diſcrepantes ab eo Religiones in Civitate reciperentur: Id ipſum autem ſic geſſerunt, ut ſæpe eas tolerarent, neque legibus prohiberent, ſi nimirum contra facere nec e Republica eſſe, nec ad veræ pietatis profectum conducere cenſuiſſent. Talis Chriſtianorum Imperatorum ratio fuit in iis ſciſcendis, quæ de Gentilium & Judæorum ſuperſtitionibus, itidem de Hæreticorum cœtibus juſſerunt. Iſta deinde ordine dicere aggrediemur, eo libenter equidem, quod Arminianus paucis omnia perturbat. Ordiamur ab exponenda Gentilium fortuna a temporibus Conſtantini ad Theodoſium magnum: Non plures enim Imperatores ille commemoravit.

VII. Conſtantinus magnus quum intellexiſſet, ſeſe ſtatim abrogandis Gentilium Religionibus non eſſe parem, prudenter rem peragendam curavit. Plures enim leges ſcripſit, quibus aliquas ſuperſtitiones ſuſtulit: ſed earum ferendarum cauſſas ſatis probabiles faciebat, ne Gentiles ſuſpicarentur, bellum Diis inferri ſuis. Sæpe apud Gentiles ſummi Magiſtratus ſacra emendabant eorumque diſciplinam conſtituebant. Conſul Poſthumius Bacchanalia abolevit, in quibus viri fœminis permixti ad omne ſcelus & ad omnem libidinem agebantur. Is vero, coacta concione, his Populum alloquitur, *Quoties hoc Patrum avorumque ætate negotium eſt Magiſtratibus datum ut ſacra externa fieri vetarent? Sacrificulos vateſque foro, circo, urbe prohiberent? Vaticinos libros conquirerent comburerentque? omnem diſciplinam ſacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? Judicabant enim prudentiſſimi viri omnis divini humanique juris, nihil æque diſſolvendæ Religionis eſſe, quam ubi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur.* Ex eadem auctoritate, quæ Majorum more ſummis Magiſtratibus erat, Conſtantinus, quamvis Deorum cultum tollere non poſſet propter Rempublicam, tamen univerſas corruptelas & quidquid noxæ erat in ſacris, antiquavit. Primum duo templa cum omnibus ſignis evertit, in quibus Venus corruptiſſimo licentiæ genere colebatur, alterum in Phœnice apud Aphaca, in quo cuncta flagitia admittebantur & ipſi viri nefanda patiebantur & peragebant, alterum Heliopoli, in quo a fœdiſſimis Gentilibus uxores & filiæ ad ſtuprum devehi ſolebant. Suſtulit deinde in Ægypto quoſdam turpium Sacrorum Antiſtites, homines nimirum androgynos, quorum miniſterio Nilus eſſe placandus credebatur, ut uberior flueret. Tum ſolo æquavit templum, quod Æſculapio dedicatum erat Ægis in Cilicia. In eo enim nonnemo latitabat, qui, quum ſe Deum fingeret, homines ad ſummam impietatem inſtituebat. De his rebus Euſebius in *libris de vita Conſt. lib.* III. *cap.* LV. LVI. LVIII. *& lib.* IV. *cap.* 23. Præterea Conſtantinus templa ferme omnia pecuniis ſpoliavit, de iiſque elegantiora Deorum ſimulacra detraxit. Huic incepto prætendit conſilium, quod ſuſceperat de condenda urbe, quæ ab ipſo Conſtantinopolis vocata eſt. Nam in eam ærea ſigna tranſvecta fuere, ut ad ornatum ponerentur. Quæ vero aurea & argentea erant, ſtatim conflabantur, ut pecunia ex iis publica ſignaretur, quæ uſui eſſet maximo perficiendo operi. Hoc memoriæ prodidit ex Euſebio Sozomenus *in lib.* II. *Hiſt. cap.* 5. Mirum, quantum ea res Chriſtianum nomen juverit. Sic enim magnus Imperator tempore capto vim & dignitatem Religionibus ethnicis demebat, quamquam de templis ipſis evertendis legem ferre ſatis non erat. Plane Libanius *in orat. apolog.* 26. orbatos ſolum a Conſtantino Deos τοῦ πλούτου *divitiis* docuit. Idem in *orat. pro Templis* 3. τοῖς ἱεροῖς. inquit, ἐχρήσατο χρήμασιν, τῆς κατὰ νόμους δὲ θεραπείας ἐκίνησεν οὐδὲν ἕν, ἀλλ' ἦν μὲν ἐν τοῖς ἱεροῖς πενία. παρῆν δὲ ἴσαν ἅπαντα τ' ἄλλα πληρούμενα, *ſacris pecuniis uſus eſt, nihil vero de cultu ſolemni immutavit: verum penuria quidem in Templis erat: etenim omnia alia impleta videre erat*. Itaque non diligenter Hiſtorici Eccleſiaſtici Theodoretus *in lib.* 5. *cap.* 21. Oroſius in

lib. 7.

lib. 7. *cap.* 28. Hieronymus *in Chronico* aliique omnia ſana a Conſtantino aut occluſa, aut ſubverſa eſſe poſteris tradiderunt.

Hæc de Templis. Videamus quid idem Imperator de ſacrificiis conſtituerit. Euſebius in *lib.* IV. *cap.* 23. dicere videtur, omnia eum ſacrificia vetuiſſe: Καθόλου, inquit, δὲ τοῖς ὑπὸ τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ δήμοις τε καὶ στρατιωτικοῖς, πύλαι ἀπεκλείοντο εἰδωλολατρίας, θυσίας τε τρόπος ἀπηγορεύετο πᾶς, *Cunctis ſub Romano Imperio degentibus, tam plebeis, quam militibus occluſæ erant fores cultus ſimulacrorum, & quodvis ſacrificiorum genus interdictum*. Euſebium ſequuntur Oroſius in *lib.* VIII. *cap.* 28., Sozomenus in *lib.* III. *cap.* 16. omneſque novi rerum Eccleſiaſticorum Scriptores. At ſi bene teneantur quæ Conſtantinus Magnus de ſacris ethnicis edixit, ex iis efficitur, eum legem tuliſſe, quæ non omne ſacrificiorum genus prohiberet, ſed ſolum tolleret quidquid flagitii erat in iis factitandis. In utroque Codice ea lex deſideratur, quam tamen ipſe Euſebius in *lib.* II. *cap.* 45. his expreſſit, *Exinde*, inquit, *duæ leges uno eodemque tempore ſunt emiſſæ*: Ὁ μὲν εἴργων τὰ μυσαρὰ τῆς κατὰ πόλεις καὶ χώρας τὸ παλαιὸν συντελουμένης εἰδωλολατρείας. ὡς μήτε ἐγέρσεις ξοάνων ποιεῖσθαι τολμᾶν, μήτε μαντείαις καὶ ταῖς ἄλλαις περιεργίαις ἐπιχειρεῖν, μήτε μὴν θύειν καθόλου μηδένα, *altera, quæ prohibebat deteſtabiliora omnia in idolatria per urbes olim & per agros paſſim fieri ſolita, ita ut nullus deinceps nec ſtatuas Deorum erigere, nec divinationes & hujuſmodi vanas artes attentare, nec victimas cædere auderet*. In his verbis diſpicere eſt quid lex ſanxerit, & quem metum ea cum primum lata eſt, ethnicis Populis eorumque Sacerdotibus iniecerit. Non omnis quidem Deorum Religio abrogata eſt, ſed id dumtaxat vetitum, quod in ea erat flagitioſiſſimum. Nam τὰ μυσαρὰ τῆς εἰδωλολατρείας non ſonant *univerſa ſacrificia*, ſed ea, quæ in ſacrificiis ſunt deteſtabiliora. Contra Gentiles ipſorumque Antiſtites magno timore affecti initio crediderunt, omnes Religiones fuiſſe ſublatas, ita ut nec Diis ſtatuas ponerent, nec ſacra facerent, nec ullum genus exercerent illarum divinationum, quæ inter ipſos verſabantur. In ea animorum perturbatione parumper fuerunt, donec, cognito Conſtantini conſilio, animadvertiſſent, res ſuas eſſe ſalvas, ſi nefaria & ſceleſta omnia in Religionibus omitterent. Libanius *in orat. pro Templis*, ubi de Conſtantino loquitur, τὸ μὲν, inquit, ὡς οὐκ ἐπὶ τὰς θυσίας προῆλθε, παρείσθω. ἀλλὰ τίς οὕτω μεγάλην τὴν περὶ τὰ ἱερὰ χρήματα δέδωκε δίκην, *illud quidem quod ad ſacrificia vetanda non proceſſit, miſſum faciamus, ſed quiſnam tam magnas pœnas dedit ob ſacras pecunias Templis detractas*. Sophiſtes nimirum cum Conſtantino expoſtulavit, non illud quidem, quod is lege ſua ſacrificia vetuerat (demptum enim erat in ſacris, quod ex ipſa Gentilium philoſophia nefas eſſet), ſed quod pecunias Templis ademerat. Hæc quidem ſatis declarant, Conſtantino imperium gerente, ethnicis hominibus ἐθελοθρησκείαν *Religionum optionem* fuiſſe datam. Accedit quidem celeberrimum διάταγμα *edictum ad Provinciales de falſo Deorum cultu*, apud Euſebium *in lib.* II. *de Vita Conſt.* In eo pientiſſimus Imperator memoriam primum accuſavit aliorum Principum, qui ob Religionem in Chriſtianos cives bella moverunt, quæ recte *civilia* appellavit. Deinde Populis omnibus vel iis, qui in ſuperſtitione manebant, pacem & tranquillitatem eſſe voluit: μηδεὶς, inquit, τὸν ἕτερον παρενοχλείτω. ἕκαστος ὅπερ ἡ ψυχὴ βούλεται, τοῦτο καὶ πραττέτω, *Nemo alteri moleſtiam faceſſat: quod utique libitum fuerit, id agat*. Quumque his verbis Gentiles tolerari juſſiſſet in orbe Romano, porro negavit, ſe legem condidiſſe, in qua Religiones Deorum antiquaſſet. Poſtremo dixit, ſe Gentilibus vim non feciſſe, quæ eos a fraude revocaret, ne plurimam hominum multitudinem perdere cogeretur ob nimiam animorum pervicaciam: *Nemo*, ait, *ex eo, quod ipſe animo imbibit, alteri noxam pariat* . . . . . . *Hæc dixi & uberius ac prolixius* . . . *Præſertim cum nonnulli, ut audio, aſſerant ritus ac ceremonias Templorum & poteſtatem tenebrarum penitus eſſe ſublata*: ὅπερ συνεβούλευσα, ſic pergit, ἂν πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰ μὴ τῆς μοχθηρᾶς πλάνης ἡ βίαιος ἐπανάστασις, ἐπὶ βλάβῃ τῆς κοινῆς ἀνασώσεως ἀμέτρως ταῖς ἐνίων ψυχαῖς ἐμπέπηγε, *Quod profecto ſuaſiſſem omnibus hominibus, niſi pravi erroris violenta præſumtio in cladem atque in damnum reparationis generis humani quorundam mentibus nimis inſideret*. Ergo Imperator, quum ſine clade & bello omnia Gentilium ſacra

abrogare non poſſet, id conſilium cepit, ut eos libere in Religionibus verſari ſuis permitteret. Hoc ipſum politicæ Tolerantiæ genus Conſtantinus intellexit, cum in *oratione ad cætum ſanctorum*, quam Euſebius libris de illius vita attexuit, ſic Gentiles alloquutus eſt *in cap.* XI. Ἄπιτε δὴ δυσσεβεῖς, ἐφεῖται γὰρ ὑμῖν διὰ τὴν ἀτιμώρητον ἁμαρτίαν, ἐπὶ τὰς τῶν ἱερείων σφαγὰς, θοίνας τε καὶ ἑορτὰς, καὶ μέθας. προσποιούμενοι μὲν θρησκείαν. ἐπιτηδεύοντες δὲ ἡδονὰς, καὶ ἀκολασίας. *Abite igitur impii (id enim vobis licet, quandoquidem ſceleri veſtro nulla nunc pœna irrogatur) abite, inquam, ad victimarum cædes, & convivia, feſtoſque dies & compotationes, in quibus Religionis ſpecie voluptatibus & intemperantiæ indulgetis*. Iſta Conſtantinus, ad quæ ſi animum attendamus, prorſus comperiemus, eum Chriſtiani nominis rebus ita conſuluiſſe, ut tamen Ethnicos Populos impune Diis ſacrificare pateretur.

Reſtant divinationes, quæ apud omnes Populos erant in pretio. De iis Imperator pertulit in eandem ſententiam, atque de ſacrificiis edixerat. Ille enim ſeptimo anno, poſtquam Roma potitus eſt, A. V. 319. leges ſcripſit, quas legere licet *in Cod. Theod. tit. de Maleſic.*, alteram ad Maximum Præfectum Romæ, alteram ad Populum Romanum. In utraque ethnicos cives ſivit Haruſpicinam exercere non privatim, ſed publice: Nam ſancivit, ut ii omnes, qui Haruſpices conſulere vellent, hos adirent ad aras & delubra publica, nec evocare domum poſſent, contra autem ſi res acciderit, Sacerdotes ignis ſupplicio, & conſulentes pœna deportationis afficerentur. Paulo poſt id temporis, cum Sylveſter Romæ Pontificatu fungebatur, Senatui & Civibus licere juſſit Haruſpices quærere & conſulere, ſi quid de Cœlo iciſſet, & quidquid hi reſpondiſſent, ad ſeipſum referri, addiditque ne in privatis ædibus ſacrificia fierent. Ad eas leges eminentiſſimus Baronius reſpexit, qui affirmavit, eo tempore Conſtantinum a Chriſtianis ſacris animum avocaſſe & patrias ſuperſtitiones aſciviſſe. Atque ille quidem ita ſenſit contra univerſæ antiquitatis teſtimonium de perpetua fide, quam Chriſto Conſtantinus habuit. Quinimo hic in illis ipſis legibus, ex quibus ei crimen obiicitur, Ethnicorum Religionem appellavit *ſuperſtitionem*, *præteritam uſurpationem*, *& conſuetudinem*, quam Gentiles *ſibi exiſtimabant conducere*, ipſe vero repudiabat. Acceditque quod per idem tempus, cum ille defeciſſe dicitur, hoc eſt an. D. 319. 320. 322. cum ſarmaticum bellum gerebat & Pannoniam, Daciam, Myſiam & Aquilejam peragrabat, complures leges ad Populum Romanum miſit, quibus eum ad omnem humanitatem, & ad Chriſtianam pietatem inſtituit. Inter alias rogavit legem, quæ numero quarta eſt *Cod. Theod. tit. de Epiſcopis*, ut quiſque civium decedens Catholicis Eccleſiis tribuere teſtamento poſſit quidquid bonorum exoptaverit. Quis autem exiſtimet, Principem aut ethnicum aut ethnicæ ſuperſtitionis ſtudioſum a Chriſtianis gratiam inire voluiſſe? Igitur quod Conſtantinus de Haruſpicina ſancivit, aliorſum accipiamus neceſſe eſt, atque Baronius. In univerſis ſcilicet Romani orbis provinciis & potiſſimum in Italia omnes angebat cupiditas quærendi, quid exta, fulmina & omina portenderent. Ad hæc enim explicanda Haruſpices animum appellebant. Herodianus *in lib.* VIII. *cap.* 3. de Haruſpicina ſic loquitur, μάλιστα τῇ σκέψει ταύτῃ πιστεύουσιν οἱ Ἰταλιῶται, *potiſſimum vero huic conſultationi fidem Itali adhibent*. Eam enim divinandi artem Reipublicæ communiſque Religionis cauſſa eſſe colendam Romani cenſebant, quod *in lib.* 2. *de Divinat.* Tullius docet. His de cauſſis, ſi Imperator ſtatim edixiſſet, ne Romani haruſpices conſulerent, negotium ex ſententia conficere non poterat. Itaque in reſcriptis ad Maximum Urbi Præfectum eam divinandi diſciplinam permiſit, ita nihiloſecius, ut nec Reipublicæ, nec Religioni fraudi eſſe poſſet. Primum enim cavit ne hujuſmodi Sacerdotes in privatis ædibus reſponderent. Nanque a nullo hominum genere æque ſummum periculum eſt, ſi cœtus, concilia & ſecretas conſultationes eſſe patiaris. Deinde juſſit, eorundem reſponſa, antequam aperirentur, ad ſeipſum referri, ut videret, an quid continerent, ex quo cives rebus novis facile ſtuderent. Hac via & ratione Imperatoris conſilium proceſſit, non quia ſe ſummum Religionum eſſe moderatorem credebat, ſed quia, quum Chriſtianæ Eccleſiæ tutelam

divi-

divinitus creditam ſuſcepiſſet, id munus eſſe obeundum exiſtimavit ſine ulla Civitatum perturbatione & ſine civilium bellorum diſcrimine.

VIII. Jamvero non diverſa agendi ratio cum Gentilibus fuiſſe videtur Imperatoribus Conſtanti & Conſtantio. Hi quidem legem, quam de prohibendis *τοις μυσαροις rebus deteſtabilibus* in ſacrificiis Conſtantinus ſcripſerat, iterum pertulerunt *in leg.* III. *Cod. Theod. de Paganis*. Nam ſic dicunt, *Ceſſet ſuperſtitio: Sacrificiorum aboleatur inſania. Nam quicunque contra legem Divi Principis Parentis noſtri & hanc noſtræ Manſuetudinis juſſionem auſus fuerit ſacrificia celebrare, competens in eum vindicta & præſens ſententia exeratur*. In his enim verbis Principes non omnia ſacrificia, ſed inſaniam, quæ erat in iis, vetuerunt in eandem ſententiam atque illorum Parens Conſtantinus. Atque Conſtans quidem ſacras Deorum Ædes ſtare paſſus eſt. Is enim auctor eſt legis, quæ numero eſt III. *in Cod. Th. de Pag. Quamquam*, inquit, *omnis ſuperſtitio penitus eruenda ſit, tamen volumus, ut ædes Templorum, quæ extra muros ſunt poſitæ, intactæ incorruptæque conſiſtant. Nam quum ex nonnullis vel ludorum, vel Circenſium, vel Agonum origo fuerit exorta, non convenit ea convelli, ex quibus Populo Romano præbeatur priſcarum ſolemnitas voluptatum*. In ea lege Imperator de Templis egit, quorum plurima condita erant in agris & in viis Romanis, pertulitque ea non eſſe evertenda, ne Civibus celebrandorum ludorum cauſſa deeſſet. Etenim in annua die, in qua Deorum templa fuerant dedicata, ludi peragebantur. Dio de agonibus in die natali Templi, quod Marti erat poſitum, *lib.* LX. *pag.* 667. *edition. Wechel*, Ἐν γὰρ, inquit, δὴ τῃ τοῦ Αὐγούστου νουμενία, ἐν ᾗ ἐγεγένητο, ἠγωνίζοντο μὲν ἵπποι, οὐ δ'ἐκεῖνον δε, ἀλλ' ὅτι ὁ τοῦ Ἄρεως ναὸς ἐν αὐτῃ καθιέρωτο, καὶ διὰ τοῦτο ἐτησίοις ἀγῶσιν ἐπετίμητο, *Quæ enim equeſtria certamina Calendis Auguſti, in quibus templum Marti dedicatum eſt, exhibentur, inſtituta ſunt, propterea quod ea die Martis ædes conſecrata fuit*. Hoc ipſum explicavit in *lib.* VI. cap. 20. doctiſſimus Lactantius, *Ludorum*, inquit, *celebrationes Deorum feſta ſunt: ſiquidem ob nativitates eorum, vel Templorum novorum dedicationes ſunt conſtituti*. Redeamus ad legis ſententiam. Ergo Conſtans non ſivit, Templa ſubverti, quæ extra ſingulas urbes erecta fuerant. Hanc cauſſam attulit, ne ſi Populis oblectamentum illud interciperetur, quod ex annuis & priſcis ludis capiebant, quaſi conclamata Reipublicæ ſalute, ita Civitates commoverent. De Urbanis Templis Imperator non edixit. Nam omnium erat opinio, tolli ea non poſſe, præſertim Romæ, ne publico ornatui aliquid detraheretur. Fuit iis temporibus Julius Maternus Firmicus, qui Conſtanti & Conſtantio auctor erat, ut omnia Templa demolirentur *in lib. de errore profanarum Religionum ut ad Conſtantium ita & ad Conſtantem pag.* 68. 96. 97. *Ed. Wower*. At eum Conſtans ſequutus non eſt. Is tantum perdidit Aras & præſertim Aram Victoriæ in Senatu ſive in Curia Urbis Romæ, de qua ruina conqueritur Symmachus *in lib.* 10. *epiſt.* 54 ad Valentinianum. Detractis autem his idolis, ipſa Templa quamvis ſtarent, occluſa & exciſa eſſe videbantur. Sic intelligendus eſt Firmicus qui idolorum ruinas *Templorum excidia* vocavit. Nam in peroratione libri ſui his Conſtantem alloquitur, *Poſt excidia*, inquit, *Templorum in majus Dei virtute eſtis provecti, viciſtis hoſtes, propagaſtis imperium, ac mutato & contemto temporum ordine, hyeme tumentes ac ſævientes undas calcaſtis Oceani ſub remis veſtris: incogniti jam nobis pene maris unda contremuit & inſperatam Imperatoris faciem Britannus expavit*.

Accedamus ad Conſtantium, de quo ſic Grotius dixit, *Paganorum templa in orbe Romano non ante Conſtantii legem clauſa ſunt, quæ extat in utroque Codice*. Spectavit ille ad legem IV. *Cod. Theod. de Paganis*, in qua Imperator Taurum Pr. P. his alloquitur, *Placuit*, inquit, *omnibus locis atque urbibus univerſis claudi protinus templa, & acceſſu vetitis omnibus, licentiam delinquendi perditis denegari. Volumus etiam cunctos ſacrificiis abſtinere. Quod ſi quis aliquid forte hujuſmodi perpetraverit, gladio ultore ſternatur. Facultates etiam perempti fiſco decernimus vindicari, & ſimiliter adfligi Rectores Provinciarum, ſi facinora vindicare neglexerint*. Attamen nobis videtur, hanc legem nunquam fuiſſe perlatam, cujus conjectationis duplex eſt ratio, altera quod certum tempus non

 ſigna-

ſignatur, cùm ea promulgata ſit, altera vero, quod res ipſa, quæ vetita eſt, deinde in more Gentium eſſe perrexit. Legis quidem tempus ita notatum eſt in Codice Theodoſiano, *Dat. Kalend. Decembr. Conſtantio* IV. *& Conſtante* II. *AA. Conſſ.*, in codice autem Juſtinianeo Conſtantis conſulatus omittuntur. Quoniam vero Conſtantius tertium Conſul renuntiatus eſt, cum Conſtans ſecundum in eo honore fuit, id quod ex Annalibus conſularibus perſpicuum eſt, hac de cauſſa duobus modis lex ſignari poteſt, vel *Conſtantio* III. *& Conſtante* II. *AA. Conſſ.*, vel *Conſtantio A.* VI. *& Conſtantio Cæſ.* II. *Conſſ.* Hoc poſtremum Jacobus Gothofredus & Tillemontius probant, ſiquidem, cum Conſtantius Auguſtus ſextum erat Conſul, tum Conſtantius Gallus ſecundum Conſul creatus eſt. Si autem lex condita eſſe credatur Conſtantio III. & Conſtante II. Conſulibus, incidit quidem in annum A. V. 342. cum Taurus ad Præfecturam prætorianam nondum acceſſerat. Sin ea ad Conſtantium Auguſtum VI. & ad Conſtantium Cæſarem II. Conſules referatur, tum congruit anno 352. in quo nec Taurus Præfectus Prætorio erat. Nam quum Ammianus Marcellinus *in lib.* XIV. *cap.* II. doceat, Taurum anno 354. Quæſtorem Armeniam veniſſe, prorſus ſequitur, eum anno 353. Præfecturam gerere non potuiſſe. Igitur incertum tempus eſt, in quo Conſtantius de occludendis Templis edixit, id quod non facile accidere potuiſſet, ſi ille legem ſuam pertulerat. Huic argumento maximum illud aſtruitur, quod Templis honos ab Ethnicis habitus eſt, quamdiu Conſtantius imperio præfuit. Ipſe Princeps, quum Romam iviſſet poſt annum 357. teſte Marcellino in *lib.* XV. *cap.* 10. elegantiſſima Templa, quibus orbis metropolis erat ornata, contemplatus eſt, præſertim Templum Jovis Capitolini, & celeberrimum Pantheon diſpexit magna cum animi admiratione. Quinimo Gruterus marmor exſcripſit XXXVIII. 6. in quo legitur Memmius Vitraſius Orphitus ſemel & iterum Romæ Præfectus poſt annum 353. Apollini fanum dedicaſſe. Ad hæc Symmachus Gentilium Antiſtes in ea epiſtola, quam ad Valentinianum, Theodoſium & Arcadium ſcripſit, his Imperatoribus, qui Templa proſterni juſſerant, Conſtantium objecit quaſi eum, qui Deorum ædes permiſerat, eorunque Antiſtites non aboleverat, *Accipiat*, inquit, *æternitas veſtra alia ejusdem Principis facta, quæ in uſum dignius trahat. Nihil ille decerpſit ſacrarum Virginum privilegiis, decrevit Nobilibus Sacerdotia, Romanis cæremoniis non negavit impenſas, & per omnes vias æternæ Urbis, lætum ſecutus Senatum, vidit placido ore delubra, legit inſcripta faſtigiis Deum nomina, percontatus eſt templorum origines, miratus eſt conditores.* Ergo Templorum fores Romæ patebant, donec Conſtantius Rempublicam rexit. Quis autem in animum induxerit, Imperatorem tam otioſe ſe habere potuiſſe, ut ea in pretio eſſe pateretur, quæ occludi lege ſua imperaverat? Explicandus autem eſt Libanius, qui *oratione funebri in Julianum* de Conſtantio dixit, Ἱερὰ δὲ καὶ νεὼ, τοὺς μὲν ἔκλεισε, τοὺς δὲ κατέσκαψε, τοὺς δὲ βεβήλους ἀποφήνας, πόρνοις ἐνοικεῖν ἔδωκε, *ſacra vero & delubra partim clauſit, partim defodit & profana renuntiavit, & meretriculis habitanda conceſſit.* Atque Sophiſtes ad pauca quædam Templa reſpexit, quæ Conſtantius exemplo Conſtantini ſuſtulerat ob maxima forte Sacerdotum facinora, quæ divinæ rei factitandæ ſpecie impune committebantur. Quumque is in illo orationis loco verſaretur, in quo Julianum ſuum optime de Gentilibus meruiſſe contendebat, ad id efficiendum, ſummis verbis hoc efferebat quidquid Conſtantius de Religionibus Deorum edixerat, ut eo facile perveniret, quo inſtituerat. Quocirca idem Sophiſtes in eadem oratione plures Orbis Romani Civitates commemoravit, quæ in Templis ſuis Deos, imperante Conſtantio, coluerant, Ἰουλιανὸς, inquit, καὶ τῶν πόλεων, αἷς μὲν ἦν ἱερὰ μένοντα, καὶ προσορῶν ἥδετο, καὶ τοῦ τὰ μέγιστα εὖ παθεῖν ἀξίας ἐνόμιζε. τὰς δὲ ἀνεσπακυίας ἢ τὰ πλείω, μιαράς τε ἐνόμιζε, *Julianus eas urbes, quæ Deorum ſacra ſervaverant, & intuebatur cum voluptate & maximis beneficiis dignas eas eſſe judicabat, eas vero, a quibus vel omnia vel pleraque ſacra fuerant ſublata, deteſtabiles cenſebat.* Quomodo autem Civitates Deorum ſacra ſervare potuiſſent, ſi Templa omnia occludi Conſtantius juſſiſſet? Ab iis ſane pœnæ repetitæ eſſent, quod veterum nemo memoriæ mandavit.

Ante-

Antequam hinc abeamus, de altera Conſtantii lege dicendum eſt, quæ ſexta eſt *in Cod. Theod. de Paganis*. Ea ſic concepta eſt, *Pœna capitis ſubjugari præcipimus eos, quos operam ſacrificiis dare, vel colere ſimulacra conſtiterit*. De hac lege idem exiſtimandum eſſe videtur, atque de ea, quæ de occludendis Templis agebat. Deſideratur enim nomen Magiſtratus, ad quem miſſa eſt. Deinde perlata eſſe creditur Conſtantio A. VIII. & Juliano Cæſare Conſulibus hoc eſt anno 356. At enim veteres inſcriptiones apud Gruterum CCCIII. 1. 2. declarant Sacerdotes publice inſtauraſſe tum ſacra Leontica Conſtantio A. IX. & Juliano II. Conſulibus an. 357. tum Patrica ideſt Perſica Datiano & Cereali Conſulibus an. 358. Legitur porro antiquum marmor apud eundem Gruterum MLXXXVII. 4. & 5. eadem Leontica Euſebio & Hypatio Conſulibus an. 359. fuiſſe procurata. Ad hæc teſtis eſt Eunapius *in vit. Sophiſt. pag.* 153. quo tempore Conſtantius Rempublicam gubernabat, Anatolium Præfectum Prætorio Athenas venientem omnia ibi templa adiviſſe, nec dubitaſſe, quin Athenienſibus Diis ſacrificaret. Atque ſummus quidem Magiſtratus, ſi Imperator hujuſmodi Religiones vetuerat, ſane veritus fuiſſet, ne in iis verſaretur. Omnia iſta de duabus Conſtantii legibus diſputari oportuit, ex quibus quivis efficiet, illas quidem ab Imperatore fuiſſe conceptas, nec tamen propter Reipublicæ tempora perlatas: eaſdem vero in memoriæ ſcriniis repertas Theodoſium, alteram ſine certis temporis notis, alteram ſine Magiſtratu Codici ſuo attexuiſſe. Ergo dicendum eſt, Conſtantem & Conſtantium cum Gentilibus eo modo egiſſe, quo optimus illorum parens cœperat, ita ut ob tutelam, in quam Chriſtianum nomen ſuſceperant, de religionibus profanis vel corrigendis vel derogandis edicerent, eas tamen tollere non auderent, ne in ſummum diſcrimen Rempumblicam coniicerent, nec Chriſtianæ Eccleſiæ prodeſſent.

IX. Succeſſerunt Jovinianus, Valentinianus, Valens & Gratianus, qui ad Theodoſium Imperium Romanum rexerunt. De Juliano enim verbum non facimus, qui quum a Majorum Religione defecerit, Gentilium ſacra atque Deos coluit ſummo cum probro Imperatoriæ Majeſtatis. Atque illi quidem ethnicas ſuperſtitiones impune haberi in orbe Romano ſiverunt, & Populis ἐθελοθρησκείαν reliquerunt, ex quo nullas ab iis contra Gentiles in Theodoſiano Codice rogatas leges evolves. Nanque in legendo titulo de Paganis, ſacrificiis & Templis a Conſtantino Imperatore ſtatim ad Theodoſium proveheris. Sed quo jure iſti egerunt? Grotius cenſuit, illos eodem arbitrio Ethnicis ſacrorum ſuorum feciſſe poteſtatem, quo decernere potuerunt de quavis Religione publice aſciſcenda: eamque ob rem ipſis licuiſſe vel tolerare vel reiicere quos vellent Divinos cultus. At nemo, niſi Arminianus credet, in Principatu hujuſmodi eſſe auctoritatem, ſive mavis licentiam. Chriſtianis enim illis Principibus hoc fuit conſilium, ut præſidium, quo tegere Chriſtianum nomen deberent, prudenter ei afferrent. Nam omnia quidem agebant, quæ ad animos a fraude avertendos prodeſſe poterant, ſed tamen a politicis pœnis in eos, qui contra ſentiebant, ſanciendis abſtinebant. Jovinianus paucis menſibus imperavit, ſubrogatuſque eſt in locum demortui Juliani, qui, ſublatis Chriſtianorum Principum interdictis, Deorum cultum diu remiſſum revocaverat. Hunc enim facile abrogare non poterat ſine Militum ſeditione. Accedit, quod in animum induxerat, ex iis certaminibus, quæ ob Religionis diverſitatem Civibus inferrentur, Chriſtianam Eccleſiam non juvari, eoſque collaudabat, qui conciliandæ paci auctores erant inter homines diſſentientes de ſacris. De illo Socrates in *lib.* III. *Hiſt. Eccl. cap.* 25., βασιλεὺς πρόθεσιν εἶχε κολακείᾳ καὶ πειθοῖ τῶν διεστώτων τὴν φιλονεικίαν ἐκκόψαι, φήσας μηδενὶ ὀχληρὸς τῶν ὁπωσοῦν πιστευόντων ἔσεσθαι. ἀγαπήσειν δὲ καὶ ὑπερτιμήσειν τοὺς ἀρχὴν τῇ ἑνώσει τῆς Ἐκκλησίας παρέξοντας, *Imperator id ſibi propoſuerat, ut diſſidentium jurgia blanditiis & leni verborum perſuaſione extingueret: ajebatque, ſe nemini omnino, cujuſcumque fidei eſſet, moleſtiam exhibiturum, eos tamen præ ceteris amaturum atque in pretio habiturum, qui reparandæ in Eccleſia pacis auctores ac Duces ſe præberent*. Idem Jovinianus a Themiſtio Philoſopho ſummis laudibus afficitur in oratione, quam de illius conſulatu ſcripſit, διὰ τὸ ἐφεῖναι θρησκεύειν ὡς ἕκαστοι βούλονται,

νικ-

πινήσαντα τῶν κολάκων τους τροπους, *ob id quod*, *conceſſa cuique libera facultate colendi Numinis*, *prout vellet*, *adulatorum mores compreſſerit*. Itaque Theodoretus non ex hiſtoriæ fide loquutus eſt, cum in *lib.* v. *cap.* 21. dixit, *Ἰωβιανὸς δε τ̀ βασιλείαν παραλαβὼν, παλιν τ̀ τ̃ εἰδώλων ἐκωλυσε θεραπειαν*, *Poſtea Jovinianus Imperium adeptus ſimulacrorum cultum denuo prohibuit*.

Porro Valentinianus in Occidente & Valens in Oriente ex ejus Religionis, quam Chriſtus pertulit, natura non eſſe crediderunt, ut populos ad eam colendam cogerent: idque quum tenerent, latis legibus paſſi ſunt, cives privatim & publice in eo Divino cultu eſſe, quemcunque animo imbibiſſent. Sic in *lege* 9. *Cod. Theod. tit. de Maleficiis* Valentinianus, *Teſtes*, inquit, *ſunt leges a me in exordio Imperii mei datæ*, *quibus unicuique*, *quod animo imbibiſſet*, *colendi libera facultas tributa eſt*. Ad hanc legem reſpexit Ammianus Marcellinus, qui *in lib.* 30. *cap.* 9. de Valentiniano dixit, *hoc moderamine Principatus inclaruit*, *quod inter Religionum diverſitates medius ſtetit*, *nec quemquam inquietavit*, *neque ut hoc coleretur aut illud imperavit*. Itaque Symmachus *in lib.* 10. *Epiſt.* 54. ad Valentinianum juniorem, hujus Patrem ob ſancitam Religionum tolerantiam ita inducit, *Spectat ſenior ille Divus Parens culminis veſtri ex arce ſyderea lacrymas Sacerdotum* (Gentilium) *& ſe culpatum putat more violato*, *quem libenter ipſe ſervavit*. Valentinianum ſequutus eſt Valens, de quo Theodoretus *in lib.* v. *Hiſt. cap.* 21. *Ὁ δὲ Οὐαλης πασι ἐπετρεψε θρησκεύειν ᾗ βούλοιντο, καὶ τὰ θρησκευομενα θεραπεύειν*, *Valens vero omnibus permiſit colere ut vellent*, *iiſque Diis*, *quos colerent*, *obſervantiam exhibere*. Quod ipſum docet Themiſtius Philoſophus in *Oratione*, quæ a Dudithio Epiſcopo latine tantum evulgata eſt. Addimus Hieronymum *in Chronico* & Cedrenum anno Valentis ſeptimo, qui teſtes ſunt, eo Imperatore, Gentiles non modo agonem C-Poli, ſed *θυσιας καὶ πανηγύρεις ſacrificia & feſtos dies* egiſſe. Poſt Valentinianum & Valentem Gratianus, etiamſi, disiecto Victoriæ ſimulacro, prædia omnia ademiſſet, quæ veterum error ethnicis ſacris deputaverat, tamen nullas leges ſcripſit, quibus nominatim ſuperſtitionem vetuit. Neque vero huc ſpectat lex illa, in qua Gratianus, teſte Socrate *in lib.* v. *Hiſt. cap.* 2. pertulit ut cujuſcunque Religionis Cives impune ſacra facerent. Nanque Legislator ad diverſas Chriſtianorum factiones reſpexit. Sed illuc redeamus. Theodoſius denique magnus ſub Imperii initium Gentilibus integrum eſſe voluit ad Templa accedere & patrio more Numina placare. Hoc produnt Libanius *in orat. pro Templis* & Zoſimus *in lib.* 4. *cap.* 29. Hic enim inquit, *Ἔτι ἦν αὐτοῖς ἄδεια τοῦ φοιτᾷν εἰς τὰ ἱερὰ, καὶ τὰ θεια κατὰ τους πατρίους θεσμους ἐχμειλισσεσθαι*, *Gentiles adhuc poteſtatem habebant adeundi fana*, *patriiſque ritibus Numina placandi*. At deinde ſcriptis legibus, quas *in Cod. Theod. tit. de pag.* reperire licet, non modo Templorum fores operuit, ſed omnem Deorum cultum & honorem prohibuit. Itaque Sozomenus in *lib.* 7. *cap.* 20. dicit a Theodoſio omnes eſſe vetitos *των θρησκευομενων παρ̕ ἑλληνων τοπων ἐπιβαινειν*, *loca adire*, *quæ Gentiles colebant*, & auctor Chronici Alexandrini *an.* 379. *pag.* 704. *ed. Raderi*, *Θεοδοσιος*, inquit, *τοὺς ναοὺς ἑλληνων κατέστρεψεν ἕως ἐδαφους*, *Theodoſius fana Paganorum ab uſque fundamentis evertit*. Hæc Imperatores geſſerunt. Facile vero intelligi poteſt, quid illi ſtuduerint. Negotium erat de politica Tolerantia. Nam agebatur, num è Republica & Religione foret, Gentilibus civilem non eſſe impunitatem in orbis Romani Provinciis. Illud totum ad Principes pertinebat, (hærebat enim in ipſo Principatu), quamquam iidem nullam conſtituendorum ſacrorum poteſtatem ſibi tribuere poterant. Itaque eorum alii non vetuerunt, quominus Gentes Religiones ſuas colerent, alii has prohibuerunt, prout peragi rem poſſe videbant cum Eccleſiæ profectu & ſine Reipublicæ perturbatione.

X. Nunc de Judæis, de quibus Grotius commemoravit, Imperatores Romanos eam ſectam nunquam vetuiſſe, ejusdem inſtituta & mores edictis vindicaſſe, atque Archiſynagogis multa loco beneficii dediſſe, quæ Chriſtianæ Religionis Epiſcopis, cæteriſque Clericis antea attribuerant. Hæc omnia, quæ in Titulo Theodoſiani Codicis *de Judæis*

Judæis & Cælicolis continentur, ille cenſuit Imperatores pertuliſſe quaſi eos qui crederent ſuo ipſorum imperio publicum Dei cultum eſſe procurandum. At non iſtud piorum Auguſtorum conſilium fuit. Cujus autem juris ratione illi egerint, facile perſpicietur. Hebræorum ſecta frequentiſſima erat, & in ſuperſtitione ſua tam pertinaciter perſiſtebat, ut ſtatim tolli non poſſet ſine maximo Reipublicæ diſcrimine: itaque impune ſe habuit in univerſis Romani orbis provinciis. Nam ab illis, qui Imperium gerebant, providendum erat, ut ſtudium propagandæ Chriſtianæ Religionis cum Reipublicæ ſalute & incolumitate conjungeretur. Ergo quum Judæorum ſacra permiſſa eſſent, eorum diſciplinam perverti par non fuit. Theodoſius magnus in leg. IX. Theod. Cod. Tit. de Judæis & Cælicolis, *Judæorum ſectam*, inquit, *nulla lege prohibitam ſatis conſtat. Unde graviter commovemur; interdictos quibuſdam locis eorum fuiſſe conventus*. Idem in lege VIII. vetuerat, ne qui Synagoga moti eſſent, in ſectam recipi iterum poſſent ſine Primatum auctoritate, ad quos hujuſmodi jurisdictio pertinebat, *Judæorum querelæ, quoſdam auctoritate Judicum recipi in ſectam ſuam, reclamantibus legis ſuæ Primatibus, adſeverant . . . quam omnino ſubmoveri jubemus injuriam*. Et quoniam Hebræorum mores non ſinebant, eos, qui Religionem ſuam regebant, in publicis verſari muneribus, Archiſynagogi eandem ſibi immunitatem impetrarunt, qua uſi fuere Clerici Chriſtiani. Arcadius in lege XIII. Tit. Th. Cod. de Judæis, *Archiſynagogis*, inquit, *Patriarchiſque, ac Presbyteris cæteriſque, qui in ejus Religionis Sacramento verſantur, nutu noſtri Numinis perſeverent ea, quæ venerandæ Chriſtianæ Legis primis Clericis ſanctimonia deferuntur. Id enim & Divi Principes Conſtantinus & Conſtantius, Valentinianus & Valens divino arbitrio decreverant*.

Hactenus ad Reipublicæ tranquillitatem utilitatemque Romani Imperatores ſpectarunt. At iidem tanquam evangelicæ Religionis Patroni ſatis caverunt, ne quæ e Republica eſſe cenſuiſſent, ea Chriſtiano nomini officerent. Conſtantinus Magnus in lege prima Theodoſiani Codicis tit. *de Judæis* duo ſanxit, primum ut ſi Judæi proſelytum hoc eſt ex Judæo Chriſtianum ſaxis vel alio furoris genere petierint, ignis ſupplicio afficerentur, alterum vero ut *Apoſtatæ* ſive qui ad Judæorum ſectam ex Chriſtiano populo accederent, *meritas pœnas* perſolverent. Quod autem primo loco Imperator pertulit de proſelytis a Judæorum contumelia liberandis, id ipſum iterum rogavit in leg. v. ejuſdem Tituli, quam ad Felicem Præfectum Prætorio Italiæ miſit. In ea enim Præfectura continetur Africa, ad quam lex pertinet. Sic vero concepta eſt, *Eum, qui ex Judæo Chriſtianus factus eſt, inquietare Judæos nun liceat, vel aliqua pulſare injuria: pro qualitate commiſſi iſtiuſmodi contumelia punienda:* Quæ verba Baronius non intellexit: nanque in eum ſenſum accepit, quaſi ſignificarent, Conſtantinum edixiſſe, ne Proſelyti Judæos injuriis proſequerentur. Quam ſane Legislatori non fuiſſe mentem erudite Jacobus Gothofredus in commentariis effecit. Sed Baronium mittamus. Poſtea Conſtantius juſſit, nullam intercedere ſocietatem inter Judæos & Chriſtianos, quæ his cauſſæ eſſe poſſet, ut a Chriſto deficerent. In eum finem is decrevit in leg. 2. Theod. Cod. tit. *ne Chriſt. mancip.*, ne Judæis liceret Chriſtianum mancipium mercari, nec ſi emptum haberent, inter ſuos allegere; & ut qui ſecus ſe geſſerint, capitis ſupplicium darent. In lege porro ſexta *Theod. Cod. tit. de Judæis* interdixit nuptiis Judæo cum Chriſtiana ob exploratum periculum, ne ipſam ad ſuperſtitionem adigeret ſuam viri poteſtate: non affirmate interdixit tamen connubiis Chriſtiano cum Judæa, fortaſſe ratus facile fieri non poſſe, ut uxorius ambitus viro fraudem faceret. Id ipſum vero Theodoſius Magnus veritus eſt, ex quo in *leg. 7. T. C. tit. de nuptiis* omne genus connubii inter Chriſtianos & Judæos prohibuit. Ad eum cæteri Imperatores Judæos depulerunt ab omni militia palatina in legg. *16. 24. Th. Cod. tit. de Judæis*, non exemerunt muneribus publicis, curiis & corporibus, quin etiam functione navicularia in legg. *99. 157. 158. 165.* ibidem *de Decurionibus*, & leg. 18. ibidem *de Navicul.*, vetuerunt ne quidquam ad Chriſtianæ Religionis contemptum admitterent in legg. 18. 21. ibidem *de Judæis*, denique edixerunt ne liberos, qui ad Chriſtiana ſacra acceſſiſſent, bonis abdicarent, ſed iiſdem certe falcidiam quam-

quamquam ingratis legarent leg. 18. ibidem. Hæc omnia Gothofredus perſequitur in paratitlo ad Titulum Th. Cod. de *Judæis*, *Cælicolis & Samaritanis*.

XI. Reliquum eſt, ut ea perſequamur, quæ in Hæreticos a Chriſtianis Imperatoribus fuiſſe perlata Grotius exiſtimavit. Sic enim ille, *Neque enim tantum idololatricos cœtus, ſed & eos qui ſuperſtitioni pravæ, aut errori publice pernicioſo operam darent, aut qui proterve unitati repudium miſiſſent, ſummo Imperio cohibitos videmus*. Qui locus intelligendus eſt in Arminianorum ſententiam, pro quibus Grotius decertabat. Arminiani autem ſic habebant, univerſis Civibus licere ſeparatim privatos conventus agere, in quibus docerent, quæ vellent, quamvis publicæ Religioni contraria, idque eſse Divinis Legibus ſancitum, ut abrogari non poſset ſummorum Magiſtratuum juſſis. Excipiebant vero non modo cœtus ad colendam ſuperſtitionem ſociatos, aut ad explicanda dogmata, quæ Civitatis tranquillitati officiunt, ſed etiam eos, qui, conceſsa ἐθελοθρησκεία *Religionis ſuæ libertate*, recuſant quominus ad publicam Eccleſiam accedant. Hæc Simon Epiſcopius *in diſput.* XVII. *de jure Magiſtratus circa ſacra*, Limborchius *in relatione hiſtorica de origine & progreſſu controverſiarum in fœderato Belgio*, & Arminiani omnes *in Apologia pro declaratione Remonſtrantium contra cenſuras quatuor Theologorum Leydenſium*. Eodem ſpectavit Grotius, qui Romanos Imperatores leges rogaſse de iis ſolum prohibendis conventibus dixit, *qui ſuperſtitioni pravæ, aut errori publice pernicioſo operam dabant, aut qui poterve unitati repudium mittebant*: facile ut par ſit intelligi, aliorum hæreticorum cœtus a Principum Imperio eſse integros & liberos. At quorſum hujuſmodi ἐθελοθρησκεία (*liber uſus Religionum privatarum*) tandem evadat, ſatis docuimus in proluſione. Contra inter omnes convenit, qui in veterum Imperatorum legibus verſati ſunt, eos univerſis quorumlibet hæreticorum publicis & privatis ſocietatibus interdixiſſe. Conſtantinus Magnus in lege, de qua Euſebius *in libro tertio de illius vita*, pertulit ne Valentiniani, Marcionitæ, Pauliani, Cataphryges & Novatiani in publicos aut privatos conventus congregarentur, omnibuſque domos ademit, quas aut evertit, aut Catholicis Eccleſiis adjunxit. In his hæreticis non dinumerantur Ariani, ea de cauſa quod ante nicænum concilium, ſive ante redditum ab Eccleſia in eos judicium legem Conſtantinus ſcripſiſſet, non idcirco, quod Auctor vitæ Conſtantini, cum pro arianis partibus ſtaret, eorundem nomen ſuffuderit. Hoc enim ſenſit Baronius, contra quem Jacobus Gothofredus *in comm. ad leg.* II. *C. Th de hæreticis*. Imperator igitur lege comprehendit omnes ferme eorum temporum hæreticos, etiam Novatianos, qui, ſibi minimam inter omnes hæreticos improbitatem conſciſcebant: Ex quo deinde non ſolum Conſtantinum, ſed ceteros Imperatores ſibi fuiſſe benigniores lætati fuerunt. Namque ab Imperatore Theodoſio in eodem fere habiti ſunt loco, atque cives, qui recte de Divinis rebus ſentirent. De illo Socrates in libro 5. cap. 10., ὁ βασιλεὺς θαυμάσας αὐτῶν τὴν περὶ (πρὸς) τοὺς οἰκείους κατὰ τὴν πίστιν ὁμόνοιαν, νόμῳ ἐκέλευε, τῶν μὲν οἰκείων κρατεῖν ἀδεῶς εὐκτηρίων τόπων: ἔχειν δὲ καὶ πρνόμια τας ἐκκλησίας αὐτων, ἅπερ καὶ οἱ τῆς αὐτοῦ πίστεως ἔχουσιν, *Imperator doctrinam fidei illorum* (*Novatianorum*) *plane cum ſuis conſentientem admiratus, lege lata præcepit, ut oratoriis ſuis intrepide potirentur, utque eorum Eccleſiæ eadem, quæ Fidei ſuæ baſilicæ, privilegia poſſiderent*. Sed nihiloſecius Conſtantinus Magnus ante nicænæ Synodi tempora vetuit, ne illi in publicos & privatos cœtus convenirent, idque juſſit doctiſſimis Epiſcopis auctoribus, a quibus conſilium capiebat. Evolvatur titulus de Hæreticis in Codice Theodoſiano. In compluribus enim legibus orthodoxi Principes poſt Conſtantinum ſanxerunt, ut omnes omnium hæreticorum ſocietates prohiberentur, non modo eorum, qui cum ſacris ſuis ſuperſtitionem conjungebant, aut dogmata docebant, quæ fraudi eſſent publicæ Civitatis ſaluti. Nanque cætera illa hæreticorum Concilia, qui, mandata ſibi dogmatis ſui libertate ab amicitia cum Catholicis animum avocarunt, nuſquam in antiquitate fuerunt, nec ob Chriſtianæ Religionis conſenſum & unitatem eſſe potuerunt. Igitur de univerſis cœtibus, qui ab Hæreticis ſeorſum ab Eccleſiis Catholicis haberentur, Gratianus edixit in lege IV. *Th. Cod. de Hær.*, quam,

ſuper-

ſuperſtite Valente, promulgavit, *Olim*, inquit, *pro Religione Catholicæ ſanctitatis ut cœtus hæreticæ uſurpationis conquieſcerent juſſimus, ſive in Oppidis, ſive in agris extra Eccleſias, quas noſtra pax obtinet, conventus agerentur, publicari loca omnia, in quibus falſo Religionis obtentu altaria locarentur; quod ſive diſſimulatione Judicum, ſeu profanorum improbitate contigerit, eadem erit ex utroque pernicies*. Reſpexit Legiſlator ad conſultiſſimum præceptum, quod paulo ante Nitentio dederat: In eo enim ſcitum eſt, ut Ædes omnes proſcriberentur, in quibus Hæretici concilia ſociarent, ſive in oppidis, ſive in agris. Sed hæc Chriſtianorum Imperatorum juſſa alias fuerunt allata. Addimus legem XXVI. *Th. Cod. in tit. de hæretic.*, in qua Arcadius, poſt multa in hæreticos omne genus ſapientiſſime conſtituta a Patre Theodoſio, decrevit, ut omnes, qui a Catholico dogmate defecerant, in quoslibet conventus congregari non poſſent, quæcunque itidem Sacerdotum nomina iis interdicerentur, nihil intereſſet publice, privatim, clam, an palam convenirent, perinde hæc propoſitis pœnis vetarentur. *Ne quis*, inquit Princeps, *hæreticorum, quos jam leges innumeræ Divi genitoris noſtri continent, audeat cœtus illicitos congregare, profanaque mente Omnipotentis Dei contaminare myſterium: nec publice, nec privatim, nec in ſecreto, nec palam*. Hæc tam perſpicua ſunt, ut facile intelligamus, orthodoxos Imperatores exiſtimaſſe, contra atque de illis Arminiani ſentiunt, nullos hominum cœtus, qui a Catholica Eccleſia in quolibet dogmate diſſentiunt, ab imperio legum politicarum vacaſſe.

XII. Aggreditur Grotius ad locum de politicis hæreticorum pœnis, de quo loco poſt dimiſſam Dordrectanam ſynodum Gomariſtæ & Arminiani diu quæſiverunt & diſputarunt. Gomariſtæ iidemque Calviniani in peroratione ſententiæ, quam in ea ſynodo contra Remonſtrantes dixerunt, illuſtriſſimos Fœderati Belgii Ordines rogaverant, ut Religionis incolumitati conſulerent, eoſque, qui ei officerent, publica auctoritate cohiberent. Hoc perlato Synodi decreto Remonſtrantes non modo in privatis quiſque ſcriptis, ſed omnes in eo libello, quem communi univerſæ factionis conſilio ediderunt, (confeſſionem ii appellant), pluribus contenderunt, hæreticos in Civitate liberos eſſe a jure gladii, ita ut nullis affici pœnis poſſint, quas ſummi Magiſtratus ab improbis & nefariis civibus repetere ſolent. Sic quidem Simon Epiſcopius in *vero Theologo Remonſtrante*, qui in *volumine* II. *Theol. opp. editus eſt*. Calviniani contra ſummos Magiſtratus officii ſui eſſe commonefaciendos cenſuerunt, ut quos hæreticos Eccleſia exiſtimaverit, eoſdem non patiantur, propoſita impunitate, verſari in Republica. Sed eorum plerique hanc ſententiam ita diviſerunt, ut ab illis eas tantum pœnas eſſe ſumendas ſenſerint, quæ non mortem, ſed cauſam afferrent, quam ob rem ſcelerum ſeſe pœniteret ſuorum. Hæc Voëtius in volumine III. *diſp. Theol.* & Profeſſores Leydenſes in Synopſi *purioris Theologiæ* & in *cenſura confeſſionis Remonſtrantium*. Ab eo certamine Grotius aberat. Nanque ante Dordrectanam ſynodum Hagæ in vincula conjectus fuerat a Mauritio Arauſionenſium Principe, a quibus, cum ſe uxoris ſelectiſſimæ fæminæ opera liberaſſet, Lutetiam venerat. Cum tamen hunc librum ſcribebat, in eo ſtudio totus erat, ut tantum negaret, Magiſtratibus licere capitis hæreticos condemnare, quod ex veterum Imperatorum diſciplina effecit, qui, cum ſevere in eos egiſſent, qui Eccleſiæ judicio non parebant, de iiſdem tamen interficiendis nunquam leges ſcripſerunt. Hæc quum Grotius ediſſerat, tamen non putavit in omnes omnino, qui ab Eccleſia deſciverunt, ad ſceleris ſui emendationem fas eſſe animadverti Principum juſſis. Is enim ſermonem inſtituit de ſuperſtitioſis ſolum hæreticis & qui Civitatis pacem perturbant, aut, conceſſa ἐθελοθρησκείᾳ, concordiam decrectant. Ad hos enim dumtaxat imperatorias reſpicere leges paulo ante dixerat, quibus eorundem conventus vetiti fuerunt: ex quo palam eſt, illum cum Arminianis ſuis ſentire, nullum eſſe pœnarum genus, quod a meris hæreticis repeti poſſit. In eum ſenſum intelligendus eſt, cum ſic diſputat, *Chriſtiani Imperatores tum hæreticos, tum ſchiſmaticos cœtus vetuerunt, Baſilicas ipſorum tradi juſſerunt Eccleſiæ Catholicæ, iiſdem aditum ad honores præcluſerunt: etiam ex teſtamento aliquid adipiſcendi jus abſtulerunt*. *Quæ omnia late*

contra Donatiſtas defendit Auguſtinus. Illa enim pœnarum genera, quæ circa ſacra inexcuſabiliter delinquentibus pœnitentiæ tempus relinquerent, vetus Eccleſia non improbavit. Mortis vero ſupplicium adeo illis ſæculis non placuit, ut Idacius & Ithacius a Gallis Epiſcopis damnati ſint, quod auctores fuiſſent, ut in Priſcillianiſtas quoſdam gladio animadverteretur.

Videamus ergo paucis de hæreticorum omnium fortuna in Chriſtiana Republica. Remonſtrantes Arminiani ad omnem eorum impunitatem duo afferunt: alterum, quod hæreſis non ſit crimen; nanque eam exiſtimant opinationem a communi Civitatis ſententia in rerum divinarum diſciplinis diſcrepantem, aut errorem in mente reſidentem, ex quo publica tranquillitas nihil habet, quod timeat: Alterum, quod Chriſtiana Religio nec vi nec bello propagari debeat, atque iis, qui a nobis diſſentiunt, potius ignoſci jubeat, quam eorundem diſſenſum ulciſci. Quæ duo rationum momenta niti videntur in pluribus Sacræ Scripturæ locis, quæ tum ex veteris, tum ex novi Teſtamenti tabulis colligunt. Hæc Remonſtrantes, quæ deinde protulerunt Puſendorfius *de habitu Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem*, Petrus Bælius *in commentario philoſophico ſuper hæc verba, compelle eos intrare*, Celeberrimus Belgarum Ictus Noodtius in *diſſert. de juribus ſummæ Poteſtatis*, idemque in differt. *de libertate conſcientiæ*, quas in gallicam linguam convertit Joannes Barbeyracius, denique illi politicæ Tolerantiæ patroni, quos commemorat Thomaſius in *appendice ad Hiſtoriam conventionis inter Imperium & Sacerdotium cap.* 1. *de jure ſummarum Poteſtatum circa ſacra*.

Atque hi quidem omnes nec ex veteris Eccleſiæ ſententia, neque ex piorum Principum inſtitutis ediſſerunt, qui plurimam operam dederunt, ut ad Catholicæ Religionis incolumitatem leges ſcriberent, ex quibus Hæretici in Civitate coërcerentur, & ſimul eorundem ſaluti proſpiceretur. Accedamus vero primum ad ea expedienda, quæ obvertunt. Audaciſſimum illud eſt, hæreſin non eſſe crimen, quo Chriſtiana Reſpublica offendatur: Hæreticos enim dicit Arcadius Imperator in *lege* 28. *Theod. Cod. de Hæret.*, *qui vel levi argumento a judicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deviare*, hoc eſt, Jacobo Gothofredo interprete, qui in dogmate quamvis levi cum pertinacia defecerint ab eo judicio, quod Catholica Eccleſia reddiderit. Idem enim Legislator eos vocat in *lege* 13. *Theod. Cod. de Paganis*, *qui a Catholicæ Religionis dogmate deviare contendunt*. Quoniam autem judicium aut dogma Catholicæ Eccleſiæ ab omni errore integrum & liberum eſt, quod ſæpe probavimus, hæretici contrariam ſibi Religionis rationem & viam inſtituunt, atque Deus per Chriſtum pertulerat: Cumque hæc Religio, quamvis maxime ad beatam hominum vitam in altero ævo pertineat, ad Rerumpublicarum etiam ſalutem ſit condita, plane ſequitur, eoſdem alİorſum contendere, atque publica tranquillitas flagitat. Hæreſis quidem eſt diſſenſio mentis ab Eccleſiæ Catholicæ judicio, ut tamen non in ſolo intellectu reſideat, ſed voluntatum & ſtudiorum diſſimilitudinem ferat. Nanque ita natura comparatum eſt, ut qui contra ſentit & judicat, contraria velit & audeat. Ex quo in ea Chriſtiana Civitate, in qua Hæretici impune verſantur, diverſa erunt Civium ſtudia, diverſa incepta, hinc inimicitiæ, diſſenſiones & quidquid publicam pacem perturbat. Itaque efficitur, plurima eſſe mala, quæ Civitates ab Hæreticis pertimeſcant, optimeque harum ſaluti eos Principes conſulere, qui loco publici criminis hæreſin exiſtiment.

Reſtat alterum, quod Arminiani obiiciunt ex natura Religionis vim omnem detrectantis. Atque ſapienter dixerunt veteres, cogi non poſſe Religionem, & hominibus vim inferri nefas eſſe, ut ad quælibet colenda ſacra animum adjungant. Tertullianus ad Scapulam, *Humani juris & naturalis poteſtatis eſt, unumquemque, quod putaverit, colere: nec aliis prodeſt aut obeſt alterius Religio: ſed nec Religionis eſt cogere Religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi, non armis, cum & hoſtiæ ab animo libente expoſtulentur*. Animus enim, in quo pietas reſidere debet, ſolis rationum momentis vinci poteſt. Eam ob rem Apoſtoli & principes illi Eccleſiæ conditores nullum ſibi politicum dominatum aut Imperium tribuerunt in gerenda propagandæ Chriſtia-

ſtianæ Religionis provincia. In hanc ſententiam Paulus in epiſtola ſecunda ad Corinthios cap. V. v. 20. ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν, δεόμεθα ὑπὲρ χριστοῦ. Καταλλάγητε τῷ θεῷ, *Pro Chriſto igitur legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo*, quaſi dicat, Chriſtus Dei nomine hoc pertulit, nos vero Chriſti loco quippe ab ipſo in id munus ſubſtituti ſumus: quod nos afferimus, hoc Deus jubet, obſecramus Chriſti nomine, a Deo gratiam & amicitiam ineatis. Hæc cum conveniant, (ſatis enim diſputata ſunt alias), non tamen ſequitur ſummis Reipublicæ Rectoribus jus non eſſe, ut in hæreticos ex legibus agant, quas ad Eccleſiæ tutelam ſcripſerunt. Nanque non ea res agitur, ut illi vi publica animos pervadant, ſed ut caveant, ne Chriſtiana Religio, quæ in Republica aſcita ſit, quidpiam ab hæreticis detrimenti capiat. Cum enim in hos quæſtio habetur, non quæritur quod iidem animo ſentiunt, (id enim Deus introſpicit), ſed quod alios cives docent. Hæc poteſtas ineſt in iis, qui imperio præſunt, ut provideant, ne qui Doctorum munere funguntur, Civitatis tranquillitati noceant. Sophocles, teſte Diogene Laertio in Theophraſto, ſanxerat, μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ. εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν, *Uti ne quis Philoſophorum præeſſet ſcholæ, niſi id Senatus ac plebs decreviſſet: qui ſecus faceret, capite lueret*. Porro omnium veterum graviſſimus, atque is ipſe doctiſſimus Plato de LL. in lib. VII. pag. 888. C. *edit.* Wechel., τὸν ποιητὴν, inquit, παρὰ τὰ τῆς πόλεως νόμιμα, καὶ δίκαια, ἢ καλά, ἢ ἀγαθὰ μηδὲν ποιεῖν ἄλλο. τὰ δὲ ποιηθέντα μὴ ἐξεῖναι τῶν ἰδιωτῶν μηδενὶ πρότερον δεικνύναι πρὶν ἂν αὐτοῖς τοῖς περὶ ταῦτα ἀποδεδειγμένοις κριταῖς, καὶ τοῖς νομοφύλαξι δειχθῇ καὶ ἀρέσῃ, *Nemo poeta præter Civitatis Leges, & juſta, vel honeſta, vel bona fingere quidquam audeat. Nec liceat quæ compoſuerit, ulli privatorum oſtendere, antequam conſtituti hac de re Judices legumque cuſtodes & viderint & approbaverint*. Atque iſti legum latores bene & prudenter Reipublicæ conſultum iverunt omnium ſapientum conſenſu. Cumque ita illi de Philoſophis & Poetis pertulerint, orthodoxi ne Principes otioſe ſe habeant ab iis, qui in Catholica Republica Divini cultus doctrinam perdere enituntur docendo? Quin potius ipſi diligenter videant neceſſe eſt, ut Religionis res omnes ſint ſalvæ, illoſque, ſancitis legibus, coerceant, qui ei derogare confidant. Idque Chriſtiana pietas jubet. Nanque Principes admonentur, ut ad omnium Civium ſalutem advigilent, eoſdemque a fraude deterreant & ad officium revocent. Leo Papa cognominem Auguſtum affatur in epiſt. LXX. *Debes incunctanter advertere Regiam poteſtatem tibi non ſolum ad Mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam*. Et Auguſtinus in libro I. contra Gaudentium hæreticos ita compellat, *Quamdiu vos non tenetis Eccleſiam, quam pronuntiaverunt Piſcatores, Apoſtoli plantaverunt, tamdiu Reges, qui eam tenent, rectiſſime ad curam ſuam judicant pertinere, ne vos adverſus eam rebelletis impune . . . Quibus dictum eſt*, & nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: ſervite Domino in timore: *ſentiunt ſuam poteſtatem ita Domino ſervire debere, ut ea poteſtate plectantur, qui nolunt ejus voluntati ſervire*. Hæc ſane, ex quibus facile contra Arminianos efficimus, politicis Magiſtratibus cum ad publicam tranquillitatem, tum ad Divini cultus tutelam munus eſſe creditum, ut in illos omnes, quos Eccleſia hæreticos habuit, publice animadvertant.

Quam ob rem ipſe Grotius ſententiam mutavit. Nanque cum *in commentariis ad Matthæum cap.* 13. *comm.* 41., tum in *annotatis ad conſultationem Caſſandri* leges, quibus orthodoxi Imperatores hæreticos coercuerunt, de iis omnibus accepit, quos e dogmate Chriſtianæ Religionis defeciſſe Eccleſia cenſuerat. Sed nihilominus capitis ſupplicium ſuſtulit, quo nunquam ab iis cives ob hæreſin fuiſſe affectos contendit. Enimvero ſumma animadvertendi poteſtas, quæ in Principatu ineſt, ex Chriſtianarum legum ſententia atque ex omnium ſapientum voto geritur ſi Principes ea tantum pænarum genera complectantur, quæ non imponuntur ultionis cauſa, ſed quæ hæreticorum emendare & corrigere ingenium poſſint. Fuit hæc veterum Principum diſci-

plina, ut, cum alios graviſſimorum criminum reos capitis condemnarent, iſtos tamen, qui a Catholica fide defecerant, ab errore juſſis ſuis potius avocare, quam eoſdem interficere ſtuderent. Nanque illi hactenus ſteterunt, ut certo librarum numero hæreticos multarent, ab urbibus exterminarent, item prohiberent ne iidem ſcholis præeſſent, aut quovis in conventu docerent, ne Epiſcoporum nomina ſibi inderent, ne Sacerdotes crearent, ne templa conderent, ne cœtus agerent, proſcriptis locis, in quibus haberentur. Quin etiam non eadem legum ſanctio in omnes. Nanque aliis hæreſis probrum attulit, aliis Romano jure interdictum eſt, alii vetiti ſunt, ne ſtipendia facerent, alii ne teſtamenti factionem haberent, alii denique ne honores & Magiſtratus peterent. Atque Patres ſæpe auctores fuerunt, ut Magiſtratus hunc modum adhiberent. Auguſtinus in Epiſtola 100. alias 127. ad Donatum Africæ Proconſulem de coercendis Donatiſtis, *corrigi*, inquit, *eos cupimus, non necari, nec diſciplinam circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis, quibus digni ſunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compeſce, ut ſint quos pœniteat peccaſſe*. Et in Epiſtola 134. alias 160. ad Apringium Judicem, *De vobis quidem dixiſſe Apoſtolum legimus, quod non ſine cauſa gladium geratis, & Miniſtri Dei ſitis, vindices in eos, qui male agunt. Sed alia cauſa eſt Provinciæ, alia Eccleſiæ. Illius terribiliter gerenda eſt adminiſtratio, hujus clementer commendanda eſt manſuetudo*. Cumque Idacius & Ithacius egiſſent, ut Maximus Imperator per Evodium Præfectum, virum acrem & ſeverum, Priſcillianiſtas morte ulciſceretur, in omnium invidiam reciderunt tanquam audaciſſimi facinoris auctores. Theognoſtus Epiſcopus ſtatim ab Ithacianis ſe diſiunxit officiorum ſocietate. Hunc pii omnes & in his Divus Martinus ſequuti fuerunt. Dicebant enim nec Chriſtianas leges ſinere, ut in hæreticos capitis quæſtio haberetur, nec, ſi ea exerceretur, id fore è Religione. Nanque, teſtis eſt Sulpitius Severus *in libro 2. Hiſtoriæ Sacræ, non ſolum, Priſcilliano occiſo, non repreſſa eſt hæreſis, quæ illo auctore proruperat, ſed confirmata latius propagata eſt. Etenim ſectatores ejus, qui eum prius ut ſanctum honoraverant, poſtea ut martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hiſpanias relata, magniſque obſequiis celebrata eorum funera. Quin & jurare per Priſcillianum ſumma religio putabatur.* Neque porro, approbantibus bonis, ab Imperatore Alexio Comneno igni condemnatus eſt Baſilius Bogomilorum turpiſſimorum hæreticorum princeps, de quo Euthymius *in Panoplia*, Anna Comnena in *libro 15. Alexiados*, Zonaras in Annalibus, & Harmenopulus in *libro octavo de ſectis* volum. 1. *Juris Græco-Romani*.

At enim noſtra non eo evadit oratio, ut neget, ſummos Magiſtratus poſſe leges ſancire, in quibus ſupremum ſupplicium ab hæreticis repoſcant. Quomodo enim illis hic præſcribatur imperandi modus? Summa enim animadvertendi poteſtate præditi ſunt in omnes eos, qui quolibet criminum genere Reipublicæ intercipiunt pacem. Ipſi veteres Imperatores qui remiſſius & urbanius ſæpe cum hæreticis egerunt, nonnunquam tamen de repetenda capitali pœna edixerunt non quidem ab univerſis hæreticis, ſed ab illis, qui, cum in aliqua communi hæreſi verſarentur, publica tamen facinora committebant. Ita Theodoſius magnus in lege nona Cod. Th. de *hæreticis*, quæ ſcripta eſt ad Florum Præfectum prætorio, cum a cæteris Manichæis diſſociaſſet *Encratitas* & *Saccoforos* ſive *Hydroparaſtatas*, in hos capitis ſupplicium impoſuit: *Quiſquis*, inquit, *Manichæorum vitæ ſolitariæ falſitate cætum bonorum fugit, ac ſecretas urbes eligit peſſimorum, ita ut profanator atque corruptor Catholicæ, quam cuncti ſuſpicimus, diſciplinæ legi ſubjugetur, ut inteſtabilis vivat . . . Cæterum quos Encratitas prodigiali appellatione cognominant cum Saccoforis ſive Hydroparaſtatis, refutatos judicio, proditos crimine, vel in mediocri veſtigio facinoris hujus inventos ſummo ſupplicio & inexpiabili pœna jubemus affligi*. Ad Imperium Arcadius acceſſit. Is enim ab Imperii ſui initio univerſos hæreticos inſectatus eſt pluribus in legibus, quas pertulit. His vero obtemperare recuſarunt Eunomiani & Montaniſtæ qui deinde elatiores ac pertinaciores ſpiritus geſſerunt, quod memoriæ mandavit Syneſius in Epiſtola quinta, quæ ad Presbyteros miſſa eſt. Itaque in lege xxxiv. Th. Cod. *de Hæret.* ſancivit, ut tales hæretici ab omni-

omnibus Civitatibus depellerentur, nec ullos cœtus ſive in Urbibus, ſive in Agris convocarent, ſin vero contra facerent, capitis pœnam dependerent: *Si vero*, ſic ille, *in qualibet poſt publicatam ſolemniter juſſionem Urbe deprehenſi, aut aliquam celebrandæ ſuperſtitionis gratia ingreſſi domum probabuntur, & ipſi ademptis bonis ultima animadverſione plectantur, & domus, in qua ea forte, qua dictum eſt, ingreſſi, nec ſtatim a Domino Dominave domus expulſi ac proditi fuerint, fiſco ſine delatione ſocietur*. Ad hoc Imperator Honorius eadem in Hæreticos ſeveritate uſus eſt, abrogatis prioribus edictis, in quibus colendæ Religionis ſuæ eis poteſtatem fecerat. Nimirum Donatiſtæ in Africa ad partes Attali Tyranni deficere videbantur, qui Conſtantinum magno cum exercitu in eam regionem miſerat: quo in bello tantus timor Honorio injectus eſt, ut, ſi res feliciter Attalo cederet, in Orientem fugere, abdicato imperio, in animum induceret. Eam ob rem ille ad continendos in officio Donatiſtas legem edidit anno 410. in qua ſancivit, ut quam vellent, Cives ſibi Religionem aſciſcerent: cujus legis meminerunt Patres Africani in *canone* 107. *Cod. Eccleſiæ Africanæ pag.*926.*tom.*1. *Conc. Harduin. Poſt conſulatum*, inquiunt *glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii* VIII. *& Theodoſii* III. *An.* XVIII. *Kalend. Juliis Carthagine in Baſilica regionis ſecundæ. In hoc Concilio legationem ſuſceperunt contra Donatiſtas Florentius, Poſſidius, Præſidius, & Benenatus Epiſcopi, eo tempore, quo lex data eſt, ut libera voluntate quis cultum Chriſtianitatis exciperet*. At paulo poſt id temporis cum Heraclianus Comes Africæ Conſtantinum viciſſet, & Alaricus Attalo imperium abrogaſſet, ad Honorium animus acceſſit, ex quo, ſublata Religionum libertate, in Donatiſtas, niſi ad Catholicam Eccleſiam redirent, ſupremum ſupplicium ſancivit. Hæc eſt lex, quam *num.* 51. *&* 56. *in Cod. Th. de Hær.* evolvimus, *Oraculo* (hoc eſt priore reſcripto, quo libertas Religionum conceſſa fuerat) *penitus remoto, quo ad ritus ſuos hæreticæ ſuperſtitiones obrepſerant, ſciant omnes ſanctæ legis inimici, plectendos ſe pœna & proſcriptionis & ſanguinis, ſi ultra convenire per publicum execranda ſceleris ſui temeritate tentaverint*. Quæ poſtea tempora ſucceſſerint, neceſſe non eſt meminiſſe. Nanque in exquirendis ſuppliciis, quibus hæretici afficerentur, ſævitia ingenium exercuit ſuum. Obtendebatur Divini nominis ſtudium, ſed fere tantum obtendebatur: idque calviniani quam maxime ſibi conſciſcunt. Hæc tamen miſſa facimus. Nos enim de jure tantum quærimus, quod in ſummis ineſſe Reipublicæ Rectoribus evicimus, etiam allatis veterum piorum Imperatorum exemplis.

Sed nihiloſecius ſic habemus, Religionem & Rempublicam auſpicatius adminiſtrari, ſi politici Rectores de tali jure remiſerint, remque ita peregerint, ut hæreticos potius a fraude revocent, quam capitalibus eoſdem ſuppliciis afficiant. Nanque eo frequentiores erunt illorum factiones, qui in Religione diſcrepant, quo gravius in eos animadvertas. His enim auctoritas accedet, quaſi mala quævis ſubire libentius ſuſtineant, quam e ſententia diſcedere. Atque ea de cauſa veteres orthodoxi Imperatores, qui de ſumenda ab hæreticis mortis pœna leges juſſerunt, hanc reipſa nunquam repetivere. De Theodoſio Magno Sozomenus in libro ſeptimo cap. 12. ſic ſcribit, χαλεπὰς τοῖς νόμοις ἐπέγραφε τιμωρίας, ἀλλ' οὐκ ἐπεξῄει: οὐ γὰρ τιμωρεῖσθαι, ἀλλ' εἰς δέος καθιστᾶν τοὺς ὑπηκόους ἐσπούδαζεν, ὅπως ὁμόφρονες αὐτῷ γένοιντο περὶ τὸ θεῖον: ἐπεὶ καὶ τοὺς ἑκόντι μετατιθεμένους ἐπῄνει, *graves quidem pœnas legibus ſuis adſcripſit, haudquaquam tamen eas exegit: neque enim punire ſubditos, ſed terrere tantummodo ſtudebat, ut idem cum ipſo de divinitate ſentirent: nam & illos laudabat, qui ſua ſponte converterentur*. Audiamus Joannem Chryſoſtomum *Hom.* 47. *in Matthæum cap.* 13. *num in fin pag* 482. *Tom.* VII. *Ed. Bened.*, eundem ipſum, cujus rogatu & admonitu Arcadius ſeverius in hæreticos ſanciverat, Οὐ γάρ, inquit, δεῖ ἀναιρεῖν αἱρετικόν, ἐπεὶ πόλεμος ἄσπονδος εἰς τὴν οἰκουμένην ἔμελλεν εἰσάγεσθαι, *neque enim hæreticum occidere oportet, nam ſic irreconciliabile bellum in orbem induceretur*. Ario, Macedonio, Neſtorio, Eutycheti, aliiſque novarum Religionum conditoribus nihil relegatione infelicius Auguſti & pii Principes impoſuerunt, quorum magna eſt auctoritas. Hos ſi Rerumpublicarum & Regnorum Domini

mini ſequantur, id quidem agunt, ut non modo Religionis rebus, ſed civitatis tranquillitati optime provideant.

XIII. Tandem Grotius ita perorat argumentum de Principum poteſtate inter diverſas Hæreticorum ſectas: *Donatiſtarum Baſilicas Maximinianiſtis eripuerunt Proconſules, quia Maximinianiſtæ Donatiſtarum Concilio damnati probabantur*. Quæ quidem verba eo pertinent, ut adpareat, Principum arbitrio adminiſtrari Divinum in Republica cultum. Igitur videamus an id perfici poſſit ex judicio, quod Africæ Proconſules in Maximinianiſtas reddiderunt. Celebris Donatiſtarum hæreſis in duplicem factionem diviſa eſt, quarum altera Primianum Ducem, altera vero Maximianum ſequebatur. Diutius decertatum eſt, donec Bagajæ in Urbe Numidiæ frequentiſſimus Epiſcoporum Donatiſtarum ordo conveniret, qui, cum Primiani partibus ſtuderent, in Maximianiſtas ſententiam dixerunt. Sancitum enim eſt, ut Maximianus, iique Antiſtites, qui eundem Epiſcopum creaverant, ab Eccleſia ſtatim depellerentur, ſed cæteri, qui ad eos defecerant, uſque ad VIII. Kal. Januarii ann. 394. ita quidem ampliarentur, ut qui ante præſtitutum tempus *ad Eccleſiam redire vellent, in ſuis permitterentur honoribus*: Cujuſmodi decretum plane cognoſci poteſt ex epiſtola Synodica Bagajenſis Synodi, quam ex aliquot ejus fragmentis hinc atque hinc ab Auguſtino deſcriptis collegerunt Petrus & Hieronymus Fratres Ballerini in Noriſiana Donatiſtarum hiſtoria. Rebus ita geſtis Primianiſtæ cœperunt Judices & Magiſtratus Civitatum adire, ut iis Baſilicæ, atque omnes ædes in quibus verſabantur, publica auctoritate adimerentur. Prodit Auguſtinus in libro quarto contra Creſconium cap. 47. *domum, quam Maximianus propriam defendebat, Primianum procuratione mandata, favente ſibi Sacerdote legato, quod ipſa geſta indicant, abſtuliſſe*. Sacerdotem Legatum fuiſſe eum nonnemo exiſtimat, cui Bagaienſis Synodus mandavit, ut Primianum in ſua ſede reponeret: ſed ſine teſte & ſine auctore. Veroſimilius eſt, quod Lovanienſes Doctores ſentiunt, Sacerdotem legatum eundem eſſe, atque Magiſtratum Carthaginenſem, ſive illum, qui in eo ipſo libro cap. 3. *Legatus Carthaginis* vocatur ab Auguſtino. Sacerdos autem cur dicatur, nos latet, niſi forte quiſpiam eſſet paganus Sacerdos, qui Carthagine abſentis, ut videtur, Proconſulis (hos ſæpe fuiſſe ethnicos ab ipſo Auguſtino accipimus) loco rem gereret. Illuc redeamus. Actum deinde eſt adverſus omnes, qui Maximiano favebant, ut ab Eccleſiis & Baſilicis exterminarentur. Idem Auguſtinus *in libro de geſtis cum Emerit. num. 9. Cœpit agi, ut damnati de Baſilicis pellerentur. Interpellantur Judices, interpellantur Proconſules, in judicium allegatur Epiſcopale Bagajenſe Concilium: dicuntur hæretici, demonſtrantur damnati, impetrantur juſſiones, auxilia congregantur, venitur ad ejiciendos de Baſilicis homines damnatos & in ſua pertinacia conſtitutos*. Orthodoxi Imperatores complures leges ſcripſerant, quibus juſſerant, ſacris ædibus & Baſilicis omnes eos arceri, quos Catholica Eccleſia receſſiſſe a Fide judicaverat. Nanque imperaverant Catholicos in eas intromitti. Hæc cum Primianiſtæ ſcirent, hoc conſilium ceperunt, ut Synodum Bagajenſem, quæ Maximianum & hujus fautores damnaverat, œcumenicam vocarent, iidemque ſeſe Catholicos dicerent. Ex quo apud Proconſules ex Cæſarum Legibus egerunt, ut Maximianiſtas ab Eccleſiis deiicerent, in quas ipſi deinde admitterentur: quod quidem feliciter apud Magiſtratus ethnicos perfici potuit, rerum Chriſtianarum ignaros. Audiamus Auguſtinum, qui in *enarratione ad Pſal. 57.* ſic Primianiſtas afflatur, *Quid vobis ad Proconſules, quos miſerunt Imperatores? Quid vobis ad leges, quas contra vos dederunt Imperatores? Imperatores communionis noſtræ leges adverſus omnes hæreticos dederunt: eos utique appellant hæreticos, qui non ſunt communionis eorum inter quos utique & vos eſtis; ſi veræ ſunt leges, valeant & in vos hæreticos; ſi falſæ ſunt leges, quare valent contra veſtros hæreticos? Fratres paululum advertite & intelligite quod diximus. Quando gerunt cauſas ſuas adverſus Maximinianiſtas, ut eos a ſe damnatos & ſchiſmaticos ſuos ejicerent de locis, quæ illi loca tenebant antiquitus, & ſucceſſerant Epiſcopis deceſſoribus ſuis, volentes illos inde excludere, egerunt legibus publicis, ad Judices venerunt, dixerunt ſe Catholicos, ut* poſ-

poſſent excludere hæreticos . . . lectum eſt Concilium Bagaitanum, ubi damnati ſunt Maximianiſtæ: inſertum eſt actis proconſularibus, probatum eſt, quod illi damnati non deberent tenere Baſilicas, & pronunciavit Proconſul ex lege. Quid igitur Grotius proficiet? Non decernunt, nec ſciſcunt Proconſules de publicis ſacris, ſed ex Imperatorum legibus judicant, quas illi ad Religionis Eccleſiæque Catholicæ tutelam juſſerunt. Exiſtimant Catholicam illi Bagajenſem Synodum, Catholicos Donatiſtas, qua in re falluntur, ſed reipſa non id agunt, ut Religionem arbitrio regant ſuo, ſed ut eam tueantur publico præſidio.

XIV. Hactenus Grotius diſſerebat de imperatoria poteſtate, quæ poſita eſſet in ipſo conſtituendo Religionis genere. Nunc, quod ex ea diſputatione ſequitur, Principibus jus tribuit ſciſcendi cujuscumque dogmatis, quod ad eam, quæ legibus recepta eſt, Religionem pertineat. Hæc ille fundere perrexit, *Serpentem a Moſe excitatum evertit Ezechias II. Reg. XVIII. 4., ut gliſcenti ſuperſtitioni occurreret, eodemque jure Carolus Magnus imagines adorari vetuit. Pelagium & Cœleſtium falſi dogmatis auctores edicto repreſſerunt Honorius & Arcadius*. Miramur equidem doctum & eruditum virum tanto ſtudio Primoribus ſuis animum adjunxiſſe, ut ea ad concludendum ſumeret, in quibus id non continetur, quod ipſe effecit. Primum nec Ezechiæ, nec omnium Regum, qui Hebræorum Reipublicæ præfuere, exempla cauſſam juvare ſuam poſſunt. Nam omne certamen eſt de Chriſtianorum Principum auctoritate, quæ ex evangelici juris fonte haurienda eſt. Neque porro de iis dicendum eſt, quæ Carolo Magno placuere in imaginum negotio. De quadripartito enim opere, quod illius nomine contra Nicænam ſecundam Synodum conſcriptum eſt, ſatis diſputavimus in proluſione. Ergo paucis perſequamur quid Honorius contra Pelagium & Cæleſtium edixerit. Legem quidem, quam in eos tulit, ex Atrebatenſi Monaſterio Henricus Gravius Doctor Lovanienſis eduxit, & emendatiorem e Thuana Bibliotheca Salmaſius deſcripſit *par. 2. de Eccleſ. Suburbic. cap. 1. pag.* 288. In ea ſic Princeps,

Imperarores Honorius & Theodoſius (non Arcadius, qui diu demortuus erat) *Auguſti Palladio Præfecto Prætorio*.

Ad conturbandam Catholicæ ſimplicitatis lucem puro ſemper ſplendore radiantem doloſæ artis ingenio novam ſubito emicuiſſe verſutiam pervulgata opinione cognovimus, quæ fallacis ſcientiæ obumbrata mendaciis & furioſo tantum debacchata luctamine, ſtabilem quietem Cæleſtis conatur attrectare Fidei . . . . . Cujus impiæ commentationis auctores Pelagium Cæleſtiumque percrebuit extitiſſe . . . . . Ob quam rem illuſtris auctoritas tua victura in omne ævum, lege nos ſtatuiſſe cognoſcat, ut pulſis ex Urbe primitus capitibus dogmatis execrandi Cæleſtio atque Pelagio, ſi qui hujus de cætero ſacrilegii ſectatores quibuſcunque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rurſus proferre ſermonem, a quocunque correpti ad competentem Judicem pertrahantur, quos ſive Clericus ſive Laicus fuerit, deferendi habeat poteſtatem, & ſine præſcriptione aliqua perurgendi, quos relicta communis ſcientiæ luce novæ diſputationis tenebras introferre deprehenderit, contra Apoſtolicam ſcilicet diſciplinam, Evangelicamque claram & ſine errore ſententiam vafra radis ſectæ calliditate pugnantes, involventeſque ſplendentem fidem veri ambagibus diſſerendo. Hos ergo repertos ubicunque de hoc tam nefando ſcelere conferentes, a quibuſcunque jubemus corripi, deductoſque ad audientiam publicam promiſcue ab omnibus accuſari, ita ut probationem convicti criminis ſtylus publicus inſequatur ipſis inexorati exilii deportatione damnatis. Decet enim originem vitii a conventu publico ſequeſtrari, nec in communi eos celebritate conſiſtere, qui non ſolum facto nefario deteſtandi, verum etiam exemplo venenati Spiritus ſunt cavendi. Juvat enim per omnem pene mundum, qua imperium noſtrum extenditur, hujuſmodi promulgata diffundi; ne ſcientiæ fortaſſe diſſimulatio paſtum præſtet errori, atque impune ſe quiſque putet audire, quod condemnatum vigore publico ſeſe finxerit ignorare. Datum pridie Kalendas Majas Ravennæ DD. NN. Honorio XII. Theodoſio VIII. Coſſ. AA.

Paruit Imperatori Palladius, legemque ita pertulit,

Ju-

Junius Quartus Palladius, Monaxius & Agricola
Iterum Præfecti Prætorio edixerunt.

In Pelagium, atque Cæleſtium Catholici dogmatis fidem ſævis tractatibus deſtruentes ſententia principalis invaluit, ut venerabili Urbe ſubmori bonorum concilio mulctarentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis ſiniſtræ perſuaſionis erroribus credulum præſtet aſſenſum. Et ſi ſit ille plebejus, ac Clericus, qui in caliginis hujus obſcœna reciderit, a quocunque tractus ad Judicem ſine accuſatricis diſcretione perſonæ, facultatum publicatione nudatus irrevocabile patietur exilium. Nam ſuperna Majeſtas ut colligit ex ſecreti ignoratione reverentiam, ita ex inepta diſputatione injuriam.

Salmaſius cenſuit, Honorium ad eam dicendam legem acceſſiſſe rogatu legatorum, quos Ravennam Africanæ Eccleſiæ Antiſtites miſerant. At vir eruditus legationem finxit, quam cum veterum nemo litteris mandaſſet, nunquam extitiſſe pluribus evincit Pagius *ad ann.* 418. *num.* 30. Quod ſi illorum temporum memoria repetatur, plane Zoſimus Papa Imperatori auctor fuiſſe videtur cur hic in Pelagium & Cæleſtium ſanxerit. Ineunte anno 18 Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Africani Epiſcopi Carthaginem ad Synodum venerunt, omnibuſque rebus iterum in Pelagianorum cauſſa quam diligentiſſime deliberatis, Innocentii Papæ contra Pelagianos decreto ſtandum eſſe communi omnium conſenſione cenſuere, ac ſtatim per Marcellinum ſubdiaconum geſta Synodalia Romam ad Zoſimum perferri juſſerunt. Hic, cognita Pelagiana hæreſi, diem Cæleſtio dixit, qui, cum ſe detectum convictumque per Africanos ſciret, quæſtioni ſe eripuit, quod nos docuit Auguſtinus *in lib.* 2. *ad Bonifacium cap* 3. Quocirca Pontifex Cæleſtium & Pelagium hæreticos, eorumque doctrinam orthodoxo dogmati contrariam lata ſententia pronunciavit, ac miſſis ad univerſos Orbis Epiſcopos litteris graviſſimam hæreſin ubique gentium abrogavit. In eam rem quum Pontifex incumberet, facile Honorium Ravennæ degentem exoravit, ut eoſdem hæreticos urbe exterminaret, & in omnes, qui illos ſequerentur, publice animadverteret. Conſulantur Pagius *ad an.* 18. Cardinalis Noriſius *in lib.* 1. *Hiſt. Pelag.* & Garnerius *in diſſ. de primis auctoribus & præcipuis defenſ. Hæreſeos Pelagianæ*.

Ergo Honorius cum Cæleſtio & Pelagio egit non eo arbitrio, quod Principibus in conſtituendis Religionis partibus Arminianus vindicat, ſed jure tutelæ, quam ab eo Zoſimus petierat. Neque enim ille de dogmate decrevit, ſed tantum juſſit, auctores dogmatis, quod Catholicæ Doctrinæ contrarium Eccleſia pronunciaverat, ab Urbe ſummoveri, eoſque, qui illorum factioni deinde ſtuderent, apud Magiſtratus publice deferri poſſe, convictoſque criminis, proſcriptis bonis, pelli in exilium. Hoc idem præſidium Religioni Catholicæ tulit Honorius anno 419. Quum enim cognoſſet, quoſdam Epiſcopos Zoſimi decretis non paruiſſe, & Pelagianis colendæ hæreſeos ſuæ copiam facere, miſſis ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum & ad Auguſtinum litteris, ſeveriſſima id lege prohibuit, in qua ſanctiones iterum pertulit, quas anno ſuperiore impoſuerat. Exempla epiſtolarum e Vaticano Codice Magnus Baronius diligenter exſcripſit. Par autem eſt noſſe, Aurelium Honorii edicta non ita habuiſſe, quaſi in iis de dogmate ſanciretur, ſed potius tanquam juſſa, ex quibus publica auctoritas ad Eccleſiæ decreta accederet. Ille enim, acceptis Imperatoris litteris, hæc ad Epiſcopos Byzacenæ & Arzugitanæ provinciæ perſcripſit, *Super Cæleſtii & Pelagii damnatione eorumque dogmatibus participem ſanctam dilectionem veſtram in plenario concilio fuiſſe commemini, dilectiſſimi ac deſiderabiles Fratres. Sed quoniam pro honore Dei, in cujus manu cor Regis eſt conſtitutum, clorioſiſſimorum Principum Chriſtianorum fidem rectam & Catholicam cuſtodientium acceſſit auctoritas, quam per humilitatem meam univerſis Coepiſcopis meis voluit intimari, idcirco honorabilem fraternitatem veſtram miſſis exemplaribus inſtruere feſtinavi, ne quid mali in aliqua parte provinciæ ex ſupradictorum ſerpentina perſuaſione ab univerſali Eccleſia totius orbis excluſa fortaſſe ſubrepat.*

XV. Expromſit Grotius ad declarandam imperatoriam poteſtatem in ſciſcendis publicæ Religionis partibus alia veterum Principum exempla, qui ſæpe vetuerunt, ne de Divi-

Divinis rebus diſputaretur. Atque leges ab iis perlatas fuiſſe, quæ contentionibus de Religione ineundis interdixerint, nemo eſt, qui negare poſſit. Diſpiciendum autem eſt, an eas illi ſanxerint tanquam Sacrorum cognitores & judices. Hoc Grotius ſibi ſumpſit arbitratu ſuo, quod ei dari nullo pacto poteſt. Nanque orthodoxi Principes eam rem ad ſeipſos pertinere cenſuerunt, ut primum publicæ quieti conſulerent, deinde Religionis majeſtatem tuerentur, quæ, ſi populares de Deo diſputationes ſuſcipiantur, facile ab animis hominum decedet. Optime Syneſius *in Epiſtola* 142. Lyſidis Pythagorei laudavit ſententiam hanc, Τὸ δημοσίᾳ φιλοσοφεῖν μεγάλης εἰς ἀνθρώπους ἦρξε τῶν θείων καταφρονήσεως, *In vulgus philoſophari magnum in hominum genus contemptum divinarum rerum invexit*. Quod vero Principes iis duabus de cauſſis certamina de Deo prohibuerint, hoc ex iis ipſis doceri poteſt, quæ Grotius attulit: *Cavendo*, inquit *ſchiſmati inutiles quæſtiones præcidit Conſtantinus* (*Sozomenus lib.* VII. *cap.* XII. *L. nemo Clericus C. de ſumma Trinit.*) .... *veriſſimum quod Theodoſio dicebat Siſinius, diſputando de ſacris accendi tantum contentiones. Hinc Marcianus de Fide Chriſtiana diſputari vetuit, & in Codice Theodoſiano titulus extat de his, qui de Religione contendunt.* Mirum quanta in perturbatione Grotius verſatus ſit, cum hæc ſcribebat. Nam Sozomenus non in *lib.* VII. *cap.* XII. ſed in lib. I. cap. XVI. narravit, Conſtantinum quæſtiones tollere ſtuduiſſe, quæ Ario erant cum Alexandro. Præterea Marcianus Imperator auctor eſt legis cujus initium eſt, *Nemo Cleric. in Cod. Juſt. de ſumma Trinit.* ita ut poſt eam allatam legem adjungi non deberent verba, *hinc Marcianus de fide Chriſtiana diſputari vetuit*, quaſi hic Princeps nondum prolatus eſſet in id quod agebatur. Sed hæc mittamus, Conſtantinus igitur, poſtquam acceperat, Arium & Alexandrum diſputantes de Verbo in duplicem factionem ſeceſſiſſe, ſtatim juſſit, eos, ſublata ea contentione, quæ uſui non eſſet Chriſtianæ Religioni, amicitia animos conjungere. Apud Sozomenum l. c. ἀφεμένους τε τῆς περὶ ταῦτα λέσχης, ἐκέλευσεν ὁμονοεῖν, *Præcepit Conſtantinus, ut inani de his rebus diſſenſione depoſita ad concordiam redirent*. Atque ignoſcendum eſt quidem Imperatori, qui de præcipuo Chriſtianæ Religionis dogmate non recte exiſtimavit: ſic enim habuit, de eo Alexandrum & Arium diſſentire potuiſſe, quin alter ab altero ſocietate disjungeretur. Is enim paucis ante annis Eccleſiæ nomen dederat, nec dum divinarum rerum diſciplinis ſatis animum imbuerat ſuum. Cæterum pius Princeps de dogmate decernere auſus non eſt. Illud dumtaxat agere voluit, ut quoniam opinabatur tenuem eſſe rem, quæ in quæſtionem venerat, omnes contentiones conquieſcere juberet, idque propter Religionis tutelam, quam ipſe gerebat. Hoc Conſtantini ſtudium patefecit Sozomenus, qui ſcripſit ibidem, Οὐ μετρίως ἐδυσφόρει Κωνσταντῖνος ὁ Βασιλεὺς, καθότι προσφάτως τῆς θρησκείας αὔξειν ἀρχομένης, πολλοὺς Χριστιανίζειν ἀπέτρεπεν ἡ διαφωνία τῶν δογμάτων, *Imperator Conſtantinus non mediocri dolore perculſus eſt, quod, cum Religio Chriſtiana recens cœpiſſet augeri, opinionum diſcrepantia multos ab ejus profeſſione revocaret*. Bene ſapienterque Siſinius apud Sozomenum in lib. VII. cap. 12. Theodoſio, qui omnes ſectarum Principes evocare ad colloquium exoptabat, conſilium præbuit, ut fugeret diſputationes cum hæreticis ὡς ἔριδος καὶ μάχης αἰτίους *tanquam contentionis ac diſſidii fomites*. Accedamus ad Marcianum Imperatorem. Is in edicto ad Cives C-Politanos, quod anno 452. Sporiano Viro clariſſimo, & qui nuntiandus erat, Coſſ. latum eſt, legiturque in Actis Chalcedonenſis Concilii, hæc conſtituit, Ἡ βέβηλος τοίνυν ἔρις τοῦ λοιποῦ χολαζέτω. Καὶ γὰρ ἀληθῶς ἀσεβὴς, καὶ ἱερόσυλος, ὃς μετὰ τοσούτων ἐπισκόπων ἀπόφασιν τῇ οἰκείᾳ τι ποτε γνώμῃ καταλιμπάνει πρὸς ἔρευναν ..... μηδεὶς οὖν κληρικὸς, ἢ γοῦν στρατευόμενος ἢ γοῦν ἑτέρας αἱρέσεως οἱασδηποτε, περὶ τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως, δημοσίᾳ συναγομένων ὄχλων, καὶ ἀκροωμένων, εἰς τὸ ἑξῆς διαλέξεις ποιεῖσθαι τολμάτω, *Ceſſet igitur profana contentio. Nam vere impius & ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Nemo vel clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis, de fide Chriſtiana publice turbis coactis & audientibus tractare conetur*. Ex hoc Imperatoris edicto deſcripta eſt lex, *Nemo Clericus* in Codicis Juſtinianei titulo de

Summa Trinitate , in quo Tribonianus duplicem errorem admiſit . Nam cenſuit Imperatorem edictum ad Palladium Præfectum Prætorio miſiſſe, nec illud rogaſſe , niſi Patricio & Richimer. Coſſ. hoc eſt anno 459. Marcianus ergo , poſtquam Chalcedonenſis Synodus de Fide pronuntiaverat, id, quod decretum fuerat, in dubium addaci vetuit & in popularibus concionibus diſputari , ut non modo conſuleret Eccleſiæ auctoritati, cujus Patronus erat , ſed provideret , ne Populus ſeditiones faceret , qui in diſſidentium Antiſtitum factiones dividi ſolet.

Reſtat Titulus Theodoſiani Codicis *de his*, *qui ſuper Religione contendunt*. In eo Titulo ſex leges evolvuntur , quarum pleræque non pertinent ad prohibendas contentiones, quæ de Religione ſuſcipiebantur . Nam in ea , quæ numero prima eſt , Valentinianus junior Juſtinæ Matris monitu ſancivit , ut Arianis liceret conventus ſuos impune habere. In quarta autem, quinta, & ſexta Arcadius Imperator, qui Joannem Chryſoſtomum C-Politana ſede dejecerat , eorum omnium cœtus prohibuit , qui novo Epiſcopo Arſacio non parebant , ſed veterem ſanctiſſimum Antiſtitem ſequebantur. Igitur tantum leges ſecunda & tertia, quas Theodoſius Magnus pertulit , de tollendis diſputationibus edicunt , quas Antiſtites vel Teologi de Divinis rebus coram Populo inirent. Deſcribamus ſecundam legem , quæ excerpta eſt ex edicto , quod ad Tatianum Præfectum Prætorio miſſum eſt anno 388. *Nulli egreſſo ad publicum , vel diſceptandi de Religione, vel tractandi, vel conſilii aliquid deferendi pateſcat occaſio. Et ſi quid poſthac auſu gravi atque damnabili contra hujuſmodi legem veniendum eſſe crediderit, vel inſiſtere motu peſſiferæ perſeverationis audebit , competenti pœna & digno ſupplicio coërceatur* xvi. *Kalend. Jul.* , *Theodoſio A.* ii. *& Cynegio Coſſ.* Hæc Theodoſius juſſit iis temporibus , cum in Maximum Tyrannum movebat . Quoniam enim abſens futurus erat, valde pertimeſcebat , ne , quum Chriſtianus orbis plurimis ſectis contineretur, harum decertantibus Theologis, plebs contrariis ſtudiis deferretur & publicam tranquillitatem turbaret. Accedebat eodem, quod Imperator e Religionis majeſtate non eſſe exiſtimabat, ut omnibus de quovis Divino dogmate quærendi & diſceptandi poteſtas tribueretur . Hac quidem de cauſſa ille publicas de Deo quæſtiones anno 381. vetuerat, quod edictum Sozomenus in lib. vii. cap. 6. nobis narravit, Τὰς, inquit, ἐπ' ἀγορᾶς ἔριδας , καὶ συνόδους ἀπηγόρευσε . καὶ διαλέγεσθαι τὸν αὐτὸν τρόπον περὶ οὐσίας καὶ φύσεως θεοῦ, οὐκ ἀκίνδυνον ἐποιεῖτο, νόμον θέμενος περὶ τούτου καὶ τιμωρίαν ὁρίσας, *Contentiones & cœtus in foro fieri vetuit, utque de natura Dei ſolito more diſputare haudquaquam tutum eſſet , effecit lata lege & pœna in eam rem conſtituta* . Nunc paucis de lege, quæ tertia eſt in titulo *de his*, *qui ſuper Religione contendunt*. Ea ſic habet, *Deportatione dignus eſt, qui nec generali lege admonitus , nec competenti ſententia emendatus & fidem Catholicam turbat & Populum* xv. *Kal. Aug. C-Poli Arcad. A.* ii. *& Rufino Coſſ.* (392.). Hæc ſanctio ad Potamium Præfectum Auguſtalem mittitur , quivis ut perſpiciat , eam ad Ægyptios ſpectare . Hi enim Populi in cujuſvis generis diſputationibus ad ſeditiones facile accenduntur. De iis Philo Judæus *in lib in Flaccum pag. 967. ed. Francſ. apud Jerem. Schrey.*, ἐν οἷς, inquit, τὸ Αἰγυπτιακὸν τὰ πρωτεῖα φέρεται, διὰ βραχυτάτου σπινθῆρος εἰωθὸς ἐκρήσσειν στάσεις μεγάλας , *In his primas ferunt Ægyptii è minima ſcintilla ſueti magnas ſeditiones accendere* . Hadrianus Imperator apud Vopiſcum *in Saturnino* i. 8. Alexandrinos & Ægyptios vocavit, *Genus hominum ſeditioſiſſimum*, *vaniſſimum*, *injurioſiſſimum*: quibus elogiis eoſdem afficiunt Curtius *in lib.* 4. *cap.* i. , Pollio *in* 30. *Tyrannis cap.* 21. , Evagrius 2. *cap.* 3. & Ammianus Marcellinus *in lib.* 22. *cap.* 16. De Alexandria & Antiochia Auſonius

. . . . *Vitiorum turbida vulgo*
Utraque & amentis Populi male ſana tumultu.

Quocirca ad Reipublicæ conſervandam tranquillitatem Theodoſius Potamium Auguſtalem juſſit providere , ne Ægyptii diſputationes de Deo in popularibus conventibus haberent, eoſque in exilium pellere, qui contra facere auderent. Quæ quum explicata ſint, ex iis docemur , leges , quas complectitur Theodoſianus Titulus *de his* , *qui*

ſuper

ſuper Religione contendunt latas fuiſſe non ut Principes ſacrorum gubernacula arriperent, ſed ut ſtudium ſuum manifeſtarent in cuſtodienda publica quiete, itemque tutelam, quam de Religione ipſis Deus mandavit.

XVI. At enim quum Grotius in eodem argumento inſiſteret, hæc addidit: *Heraclius Imperator tam ſingularem quam duplicem in Chriſto energiam aſſeri prohibuit, quod ne temere damnemus, Baſilii de fide munire nos poteſt auctoritas.* His verbis ad probandam Principum auctoritatem quæ in tollendis rerum divinarum controverſiis verſetur, ille ſummo cum impudentiæ ſcelere ſibi ſumit, Heraclium jure & recte inter Monothelitas & Catholicos rem judicaſſe. Videamus quid Imperator decreverit. Is quidem anno IↃCXXXIX. Ecthesin pertulit, in qua unicam Chriſti energiam & voluntatem aſſeveravit quidem, tametſi conſtituere palam videri vellet, ne quis tam unam, quam duas in Chriſto actiones & voluntates nominaret. Ecthesis deſcribitur in Secretario quarto ſive in *Conſultatione quarta* Synodi Lateranenſis, quam contra Monothelitas Martinus I. coegit. In ea Heraclius *nullo modo concedit alicui ex omnibus unam vel duas dicere, ſive docere operationes in divina Domini incarnatione, ſed magis, ſicut ſanctæ & univerſales tradiderunt Synodi, unum eundemque Filium unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum confiteri operari Divina & humana.* Adjunxit ſubinde rationem, ob quam nec unam nec duas dici patiatur actiones: *eo quod*, inquit, *unius quidem operationis vox, licet ab aliquibus Patribus dicta eſt, tamen turbat & extraneat quorundam aures, arbitrantium in interitum eandem prolatam eſſe duarum naturarum, quæ in una ſubſiſtentia unitæ ſunt in Chriſto Deo noſtro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos ſcandalizare, utpote a nemine dictam ſanctorum & præcipuorum Patrum: ſed & ſequi in eo, ut duas confiteamur voluntates, contrarie ad invicem venientes, Deo quidem Verbo volente ſaluberrimam paſſionem explere, incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipſius voluntati & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium eſt & extraneum Chriſtianici dogmatis.* Audax tamen Princeps, quum de actione Chriſti ſic decerneret, ut nec Monothelitarum, nec Catholicorum partibus faveret, ſed pacem & concordiam inter eos conciliaret, mox tamen de voluntate manifeſte virus hæreticum expromit, ſiquidem eam unicam non duplicem in Chriſto confeſſus eſt, *Unde ſanctos Patres*, ſic pergit, *in omnibus & in hoc ſequentes unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti veriſſimi Dei confitemur.* Expoſita Ecthesis eſt, quam Heraclius rogavit. Eam tanquam Catholicæ Fidei contrariam rejecit omnis latina & græca Eccleſia. Joannes IV. apud Patriarcham C-Politanum Pyrrhum inſtitit, ut Ecthesis a publicis locis detraheretur & ſtatim damnaretur. Ad eum Theodorus Papa de eadem abolenda plurimum laboravit, miſſis ad Paulum Patriarcham C-Politanum litteris ſynodicis, quibus & Pyrrhi cauſſam examinari juſſit. Poſt Theodori Papæ obitum anno Chriſti IↃCXLIX. creatus eſt Romæ Pontifex Martinus primus. Hic contra Monothelitas Lateranenſem convocavit Synodum Epiſcoporum 105. in qua Heraclii Ecthesin, ac præterea Monothelitas omnes Theodorum Pharanitem, Cyrum alexandrinum, Sergium, Pyrrhum & Paulum C-Politanos Patriarchas condemnavit. Hæc ſynodus inchoata eſt tertio Non. Octob. Ind. 8, ac Secretariis ſive conſultationibus quinque eſt abſoluta. Demum Conſtante Imperatore Syracuſis in Sicilia, quo ſe ante annos ſex receperat, per inſidias occiſo an. Chriſtianæ Epochæ IↃCLXVIII. Conſtantinus cognomento Pogonatus in Auguſtam dignitatem ſucceſſit, pius & Catholicus Princeps. Qui conſtituta imperii tranquillitate ad recuperandam Eccleſiæ pacem conſilia ſua convertit. Itaque œcumenicum concilium anno IↃCLXXX. habitum eſt Conſtantinopoli, Agathone Papa, qui Legatos tam Romanæ ſedis, quam ſynodi Romanæ nomine ad illud deſtinavit. Cœptum eſt Novemb. 7. Indict. 9. in Secreto Palatii, qui Trullus vocabatur, & actione 18. perfectum anno IↃCLXXXI. In eo Concilio, quinque prioribus Synodis approbatis, Monothelitarum hæreſis damnata, decretumque factum eſt, duas in Chriſto voluntates, totidemque naturales actiones ineſſe, & nominatim notati illius Principes hæreſeos. Hæc eſt C-Politana tertia, ſexta ordine poſt

Nicæeam œcumenica Synodus a Leone II. Romano Pontifice probata. Igitur ſummo utriuſque Eccleſiæ conſenſu Manothelitarum hæreſis confixa eſt, quam in Ectheſi Heraclius probaverat. Sic Catholicum dogma contra Heraclium Pontifices & Concilia vindicarunt. Nunc agamus quod inſtat. Diſpiciendum enim eſt, an Eccleſia eorum temporum in Imperatore ineſſe poteſtatem conſtituendæ Religionis crediderit. Græci Magiſtratus Imperatoris tanquam Sacerdotis eſſe partes ſentiebant, ut de rebus Divinis decerneret. At iſtud, quod illi ſumebant, Patres pernegabant. Inter omnes ingenio & doctrina excelluit Monachus Maximus, qui colloquium habuit cum Primoribus C-Politanis anno 655. quod vir cl. Sirmondus inter collectanea Anaſtaſii evulgavit. Is inquiebat ad Imperatores hoc non pertinere, ut cognitionibus de Fide præeſſent, *quoniam Sacerdotum eſt, quærere ac definire de ſalutaribus Eccleſiæ Catholicæ dogmatibus*. Obiiciunt Primores. *Ergo non eſt omnis Chriſtianus Imperator etiam Sacerdos?* Reſpondet Maximus, *Non eſt. Neque enim adſtat altari, neque poſt ſanctificationem panis exaltat eum, dicens, Sancta Sanctis, neque baptizat, neque Chriſmatis confectionem patrat, neque facit Epiſcopos vel Presbyteros aut Diaconos, neque linit Eccleſias, neque indicia Sacerdotii fert, ſuperhumerale ſcilicet & Evangelium quemadmodum imperii coronam & purpuram*. Cumque illi reponerent, Melchiſedechum Pontificem eundemque Regem fuiſſe, Maximus inquit, non idem ipſum poſſe de Melchiſedecho exiſtimari, qui extra ordinem duplici illa dignitate functus eſt, atque de Chriſtianis Regibus. Tum adſtruit, hos in numero eſſe eorum, qui in Eccleſia Religionis dogmata audiunt, non eorum, qui docent. *Verumtamen*, ſic pergit, *quid volumus per multa diſcurrere. Inter ſacras oblationes ſupra ſanctam menſam, poſt Pontifices & Sacerdotes & Diaconos omnemque Sacratum Ordinem cum Laicis Imperatores memorantur, dicente Diacono: & eorum, qui in Fide dormierunt, Laicorum Conſtantini, Conſtantis, & cæterorum. Sic autem & vivorum memoriam facit Imperatorum poſt ſacratos omnes*. In hanc ſententiam de jure Principum in ſacris diſſerebant Maximus & cæteri Orthodoxi Patres, poſtquam Heraclius Ectheſin & Conſtans Typum ab Ectheſi non diſcrepantem pertulerunt. Ex quo audacter quis putaverit, Heraclio invidiam non eſſe conflandam ea de cauſſa, quod tam ſingularem, quam duplicem in Chriſto dici energiam prohibuit.

XVII. Quid autem Grotius affert, ut jure Heraclium egiſſe evincat? Utitur ſcilicet auctoritatibus Baſilii magni & Meletii Antiocheni, qui Antiſtites nihil dixerunt, aut fecerunt, quod in rem ſpectare poſſit. Hæc ille de Baſilio, *Pios ait Baſilius multos Trinitatis & ὁμοουσίου vocibus abſtinuiſſe φειδομένους ὀνομάτων καὶ ῥημάτων ἐκείνων ἃ λέξεσιν αὐταῖς οὐκ ἐμφέρεται τῇ Θείᾳ γραφῇ parce utentes verbis & nominibus, quæ expreſſe in ſacris litteris non extant*. Reſpexit Grotius ad libellum *de Fide*, qui inter Aſcetica Baſilii legi ſolet. At nuſquam in eo magnus Baſilius pios fuiſſe multos ſcripſit, qui vocibus *Trinitatis & ὁμοουσίου abſtinuerint*. Proferamus integrum eximii Doctoris locum, *Dum igitur adverſus hæreſes pugnandum eſſet . . . aliis atque aliis verbis, prout ægrotantium utilitas cogebat, utebamur, quæ etiamſi ſæpe ſcripta non invenirentur, tamen a pio Scripturæ ſenſu non abhorrebant. Nunc autem communi ſcopo tam noſtro quam veſtrum* (qui piæ Fidei confeſſionem petiviſtis) *convenire putavimus, ſi in ſanæ Fidei ſimplicitate ſequeremur veſtræ ipſius in Chriſto dilectionis mandatum, eaque diceremus, quæ a Sacra Scriptura accepiſſemus, parce ea nomina & verba uſurpantes, quæ ipſis litteris & verbis in Divina Scriptura non continentur, tametſi eam, quam Scriptura præfert, ſententiam ſervent: quæ vero præter dictionis novitatem novum etiam & peregrinum ſenſum nobis exhibent, quæque non inveniuntur uſurpata a Sanctis, ea uti peregrina & a pia Fide aliena omnino averſemur*. Vides miram Arminiani noſtri audaciam qui finxit ante ea verba *parce uſurpantes* . . . . Baſilium de piis nonnullis Chriſtianis narraſſe, qui vocibus Trinitatis & ὁμοουσίου non utebantur. Is autem pergit, *Alibi Baſilius vocem ἀγεννήτου* (*ingeniti*) *de Patre ait, σιωπᾶσθαι ἀξίαν dignam eſſe quæ taceatur utpote οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς κειμένην, quæ in ſacris litteris nullibi legatur*. Spectat Grotius locum quendam, quem Baſilius in libro primo *adverſus Eunomium* attigit. At is locus

eus a Librariis corruptus fuerat. Docuit nos Damaſcenus *in lib.* 1. *Orthod. Fidei cap.* X. vocem ἀγένητον *creatum* eandem ſignificatu non eſſe ac vocem alteram ἀγέννητον *ingenitum*, Χρὴ εἰδέναι, inquit, ὅτι τὸ ἀγένητον διὰ ἑνὸς N γραφόμενον τὸ ἄκτιστον, ἤτοι τὸ μὴ γενόμενον σημαίνει, τὸ δὲ ἀγέννητον διὰ τῶν δύο NN γραφόμενον δηλοῖ τὸ μὴ γεννηθέν, *Oportet ſcire vocem* ἀγένητον *uno* N *ſcriptam ſignificare id quod non eſt creatum, vel quod non eſt factum, vocem vero* ἀγέννητον *duplici* N *ſcriptam notare ingenitum*. Atque veteres Eccleſiæ Doctores recuſabant, quominus Deum Patrem ἀγένητον *increatum* dicerent: Nanque verebantur, ne, ſi eo nomine Deum ſignificarent, Arianis hoc dare viderentur, quod orthodoxæ Fidei obeſſet. Hi enim quum Deum Patrem ἀγένητον ideſt ἄκτιστον *non factum* vocarent, ex eo audacter efficiebant, Filium eſſe κτίσμα *rem creatam*, de quo eorum ſophiſmate *in epiſtola* 1. Photius ediſſerit. Quocirca in Dialogo Athanaſii II. Orthodoxus contra Anomæum hæc dicit, Οὐκ εἶπεν ἡ γραφὴ τὸ ἀγένητον, τὸν δὲ πατέρα αὐτὸν εἶναι εἶπε. Κἀκεῖνο λέγω, ὃ ἡ γραφὴ εἶπε, καὶ οὐχὶ ὃ τῇ ἐννοίᾳ τῶν ἀνθρώπων ὑποπίπτει, *Scriptura non dixit, eum eſſe* ἀγένητον, *ſed Patrem eſſe dixit. Et ego id dico, quod Scriptura dixit, non vero quod hominum intelligentiæ convenit*. Hæc indocti Librarii quum non intelligerent, duplicem vocem ἀγέννητον *ingenitum* & ἀγένητον *increatum* eandem rem ſonare crediderunt, & alteram pro altera ad libitum ſuum poſuerunt. Sic in eo loco, in quo Baſilius dixerat, nefas eſſe ἀγένητον *non factum* appellari Deum Patrem, pro ἀγενήτω *non facto* ἀγέννητον *ingenitum* ſcripſerunt. Enimvero in eodem libro 1. adverſus Eunomium Baſilius Deum Patrem ἀγέννητον *ingenitum* vocavit, idque elogium docuit non ad Divinam naturam, ſed ad modum exiſtendi ſignificandum valere, Δέδεικται δὲ ἄρα, inquit, τὸ ἀγέννητον ἐν τοῖς μὴ προσοῦσι τεταγμένον, ὥστε ψευδὴς ὁ τιθέμενος τῆς οὐσίας αὐτῆς εἶναι τὴν φωνὴν ταύτην, *Demonſtratum eſt, his quæ abſunt, ingenitum connumerari: mentitur ergo, qui ipſius naturæ hanc vocem eſſe ſignificativam putat*. De hac Librariorum oſcitatione in deſcribendis Patrum ſcriptis docti viri omnes queruntur. Beza quidem qui Athanaſii Dialogos edidit, ſæpe ubi legebatur ἀγέννητον *ingenitum* ἀγένητον *non factum* repoſuit. Adeundus eſt Suicerus, qui *in Theſ. Eccl.* de hoc librariorum mendo multa erudite expromit. Igitur Baſilius duo tantum protulit, primum, Fidem Cattolicam iis verbis eſſe explicandam, quæ in ſacris Libris exprimuntur, aut certæ eorum doctrinæ non ſunt contraria, alterum, par non eſſe vocem ἀγένητον, quæ uſui erat Arianis, de Deo Patre efferri. Hæc in Eccleſiæ ſententiam dixit magnus Doctor tanquam Epiſcopus Religioniſque in Diœceſi ſua Rector: cujus auctoritas prodeſſe non potuit Imperatori Heraclio, qui, quum Sacerdos non eſſet, de Religionis dogmate decrevit contra atque Eccleſia docebat. Nunc de Meletio, quem Grotius dicit, *Antiochiæ ad tempus aliquod abſtinuiſſe a dogmatum quæſtionibus, ea tantum tradentem, quæ ad morum emendationem pertinerent*. Deſcribit is Socratem, qui *in lib.* 11. *H. E. cap.* XLIV. Μελέτιος, inquit, πρῶτον μὲν περὶ δόγματος διαλέγεσθαι ὑπερετίθετο, μόνην δὲ τὴν ἠθικὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀκροαταῖς προσάγειν, προβαίνων δὲ, τὴν ἐν Νικαίᾳ παρετίθετο πίστιν, καὶ διδάσκει τὸ ὁμοούσιον, *Meletius initio quidem de dogmatibus Fidei diſſerere ſuperſedit, ſolamque morum doctrinam auditoribus ſuis tradidit: progreſſu vero temporis Nicænam illis Fidem expoſuit & homouſii doctrinam aſſerere cœpit*. Sic Meletius ſe geſſit, cujus rationem parem eſſe Heraclii incepto quis dixerit? Ille enim munus ita obivit ſuum, ut Antiochenos præceptorum officiis antea imbuendos curaret, quam ad dogmatum ſcientiam eoſdem inſtitueret; Hic vero eam ſibi arripiens poteſtatem, quæ Pontificii erat ordinis, Chriſtianum dogma pervertit. Sed ſatis eas Principum partes exploſimus, quas iis in conſtituenda religione, quæ divinitus tradita eſt, Grotius demandavit.

XVIII. Jamvero accedamus ad ea, quæ in Divinis tabulis non ſciſcuntur, & ad Eccleſiæ diſciplinam optimamque gubernationem pertinent: de quo rerum genere Chriſtianos Principes arbitratu leges condidiſſe ſuo Grotius affirmavit. Nimirum inter omnes illud conſtat, Romanos orthodoxos imperatores nihil prævertiſſe officio, in quo erant, defendendæ Eccleſiæ, eamque ob rem complura juſſiſſe, quæ ad illam apte conſtituendam faciebant. Has leges in utroque Codice legimus & in *ſylloge Eccleſia-*

ſiaſticarum conſtitutionum Theodori Balſamonis a Joanne Leunclavio paratitlorum nomine Latine edita an. MDCIII., quam deinde primum Græce in lucem protulit ex duobus antiquis codicibus mſſ. inter ſe collatis cum Leunclavii verſione Carolus Annibal Fabrotus, & poſtremo in Bibliotheca juris canonici veteris Gulielmus & Henricus Juſtellus ediderunt. Itaque differamus potius, quo jure Romani Imperatores eas leges ſanxerunt. Grotius putavit, eadem illos poteſtate de Eccleſia pertuliſſe, qua rem publicam gerebant, nec canonibus fuiſſe uſos, niſi tanquam peritorum hominum conſiliis & monitis, ut populis facilius placeret quidquid juberent. Sic ille. At quo loco canones Auguſti Principes exiſtimaverint, ab iis ipſis, non autem ab Arminianorum Patrono audiamus. Nanque nefas eſſe cenſuerunt, idque ſæpe dixerunt, ſibi non licere juſſis ſancire ſuis, quæ Eccleſia vetuerat, aut iiſdem prohibere, quæ illa decreverat. In Concilio Calcedonenſi Act. IV. cum de Eccleſiarum metropolitica adminiſtratione ageretur, quam Theodoſii juſſu Euſtathius Epiſcopus Beryti contra Photium Tyri Epiſcopum ſibi arripuerat in prima Phœnicia, ab Imperatoriis magiſtratibus hæc Marciaci ſententia exprompta eſt, Τῳ Θειοτατῳ δεσποτῃ τ οικουμενης ἠρεσε μη κατα θεια γραμματα ἢ πραγματικους τυπους τα των ὁσιωτατων ἐπισκοπων προβαινειν, ἀλλα κατα τους κανονας τους παρα των ἁγιων πατερων νομοθετηθεντας, *Sacratiſſimo Domino orbis placuit non ſecundum ſacras* (Principum) *litteras aut pragmaticos typos negotia ſanctiſſimorum Epiſcoporum procedere, ſed ſecundum Canones a Patribus ſancitos*. Marciano univerſa Synodus acclamavit rem ita ſe habere, adjunxitque proclamantibus ipſis Magiſtratibus, qui Imperatoris mentem introſpexerant, Κατα των κανονων πραγματικον μηδεν ισχυση, οι κανονες των πατερων κρατειτωσαν, *Contra regulas pragmaticum nihil valebit. Regulæ Patrum teneant*. Idem graviſſimus & pientiſſimus Princeps in lege 22. C. de ſacroſanctis Eccleſiis ſic edixit, *Omnes ſane pragmaticas ſanctiones, quæ contra canones eccleſiaſticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus*. Hæc cum noſſet Theodorus Balſamon in *Comm.* ad T. 1. cap. 2. Nom. Photiani præclare diſputavit contra græculos quoſdam, qui canonum auctoritatem minuebant, Οἱ κανονες, inquit, παρα βασιλεων και ἁγιων πατερων ἐκτεθεντες και στηριχθεντες ὡς αἱ θειαι γραφαι δεχονται, οἱ δε νομοι παρα βασιλεων μονον ἐδεχθησαν ἢ συνετεθησαν, και δια τουτο οὐ κατισχυουσι των θειων γραφων, οὐδε των κανονων, *Canones ab Imperatoribus & a ſanctis Patribus editi & confirmati, tanquam Divinæ Scripturæ ſuſcipiuntur: leges autem a ſolis Imperatoribus aut editæ aut receptæ ſunt, & propterea vim non obtinebunt adverſus Divinas Scripturas aut canones*. Quod autem Marcianus, idem omnes Principes ſenſerunt. Inter eos Juſtinianus ſæpe profeſſus eſt, ſeſe in ſanciendis jubendiſque legibus, quæ ad Eccleſiam pertinent, nihil decernere, quod ſacris canonibus & Patrum ſcitis ſit contrarium, idque ſolum ſtudere ut hos ſequatur & publice confirmet. Sic enim reſcripſit ad Dacianum Metropolitam Concilii Byzaceni in Africa, *Semper noſtræ Serenitati cura fuit ſervandæ vetuſtatis, maxime diſciplinæ, quam nunquam contempſimus, niſi ut in melius augeremus, præſertim quotiens de eccleſiaſticis negotiis contigit quæſtio, quæ Patrum conſtat regulis definita, imo adventu ſuperni Numinis inſpirata: quia conſtat eſſe cœlitus conſtitutum, quidquid Apoſtolica decernit auctoritas . . . . Nos tutores ſumus vetuſtatis & vindices*. Huc ſpectat Nomocanon, quem Joannes Scholaſticus Antiochiæ presbyter & deinde Patriarcha C-Politanus adornavit. Is enim hoc conſilium cepit, ut ſingulis canonum decretis congruentes Imperatorum & potiſſimum Juſtiniani leges adjiceret. Jamdiu συναγωγὴν κανονων *collectionem canonum* idem confecerat, in qua rerum ſimilium, non temporis ſervato ordine deſcripſerat, & in quinquaginta titulos tribuerat priorum conciliorum canones, Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Sardicenſis, C-Politani, Epheſini & Calchedonenſis, quos vetus codex Eccleſiæ univerſæ complectebatur. Hoc latuit plures viros doctos & in his Petrum de Marca in libro II. *de Conc. S. & Imp. cap.* XI. Putarunt enim Theodoretum Cyri Epiſcopum auctorem eſſe hujus Canonicæ collectionis, cui Joannes Scholaſticus leges adtexuit: Forte ſequuti ſunt codicem mſſ. Bibliothecæ

Re-

Regiæ, in qua operi nomen inſcribitur, Θεοδώρητου ἐπισκόπου Κύῤῥου, *Theodoreti Epiſcopi Cyrreſtenſis*. Ita nanque Regius mſſ. liber, cui adverſantur antiquiſſimi omnes & auctoritate commendatiſſimi codices. In eo, quem habuit illuſtriſſimus Franciæ Cancellarius Petrus Seguierius, Ἰωάννου Ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως . . . . συναγωγὴ κανόνων εἰς ν' τίτλους διῃρημένη, *Joannis Epiſcopi Conſtantinopoleos . . . collectio canonum in quinquaginta titulos diviſa*: In Claromontenſi, Ἰωάννου πρεσβυτέρου Ἀντιοχείας, ἀπὸ σχολαστικῶν, οὗτος συντάττει τοὺς ὅλους κανόνας εἰς ν' τίτλους, *Joannis Presbyteri Antiocheni ſcholaſtici, qui concinnavit univerſos canones in quinquaginta titulos*: In Codice Oxonienſi, Συναγωγὴ κανόνων ἐκκλησιαστικῶν εἰς πεντήκοντα τίτλους διῃρημένη, *collectio canonum eccleſiaſticorum in quinqnaginta titulos tributa*, & poſtea, Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ σχολαστικοῦ εἰς τὸν Νομοκανόνα προλογος, *Joannis Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ſcholaſtici in Nomocanonem prologus*. Magna eſt horum Codicum auctoritas, ad quam confirmandam plura rationum momenta addidit Chriſtophorus Juſtellus *in Præfatione ad Juris Canonici veteris collectores græcos*, *ſive ad Bibliothecam Juris Canonici veteris tom.* II. Sed illuc revertamur. Joannes igitur Scholaſticus cum veterum canonum ſynagogen perfeciſſet, hujus breviorem epitomen ea induſtria elaboravit, ut, omiſſis integris Canonibus, eorum tantum numeros & ſententias exprometeret, iiſdemque in unoquoque titulo concordantes & congruentes leges (τὰ συνάδοντα νόμιμα) potiſſimum Juſtinianeas attexeret. Univerſum opus *Nomocanonem* dixit, cujus alterum ſimillimum doctiſſimus Photius concinnavit, eundem, quem Theodorus Balſamon ſcholiis illuſtravit. Hæc quidem, ex quibus duo efficimus, primum, legum civilium cum canonum decretis ſummam eſſe conſenſionem, deinde orthodoxos Principes operam dediſſe, ut, quidquid de ſacris perferrent, ſacros Canones ſequerentur, iiſque publicam firmitatem adjungerent. Id ipſum expreſſit Joannes Scholaſticus in Prologo ad Nomocanonem, *Ad gloriam*, inquit, *magni Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ nunc collata ſunt cum ſacris Canonibus Sanctorum & Beatorum Apoſtolorum, & qui eorum veſtigia ſequuti ſunt per unamquamque ſynodum Sanctorum Patrum, tranſcripſi e Novellis conſtitutionibus a Juſtiniano felicis memoriæ poſt Codicem ſparſim editis*. Ita vero pergit, Αἵ τινες οὐ μόνον τοῖς τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν πατέρων κανόσιν ἀκολουθοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ τῆς βασιλικῆς ἰσχύος αὐθεντίαν χαρίζονται, μετὰ προσθήκης ἐννόμου τε καὶ θεαρέστου, τὸ συμφέρον πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ κτίσει θεομιμήτως περισκεπτούσης, *Quæ* (conſtitutiones) *quidem non ſolum ſequuntur Orthodoxorum noſtrorum Patrum canones, ſed etiam ex Principis Imperio auctoritatem illis largiuntur, una cum adjectionibus legitimis, & Deo gratis, quæ commodis hominum ad exemplum Dei conſulunt*. Poſtremis verbis Scholaſticus ſignificavit, Principes in rogandis Eccleſiaſticis legibus ſæpe ipſos Canones fuiſſe complexos, ſæpe vero ad eorum ſententias tantum ſpectaſſe, ita ut ex Patrum mente aliquid adderent, ſed nihil contra decernerent: Nam quæ ita publice ſancita fuerunt, ab eodem inter συνάδοντα νόμιμα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς κανόσιν *inſtituta civilia canonibus concordantia* reponuntur. Hæc orthodoxis Romanæ Reipublicæ Dominis fuit ratio, ad quam cæteri per orbem Catholicum Principes reſpexerunt. Non enim quaſi novæ diſciplinæ Eccleſiaſticæque temperationis conditores, ſed tanquam veterum canonum vindices acceſſerunt ad gerendam Eccleſiam. Legitur in Galliæ ſacræ hiſtoria edictum Clotarii Regis an. 615. in quo pius Princeps inquit, *Definitionis noſtræ eſt, ut canonum ſtatuta in omnibus conſerventur, & quod per tempora ex hoc prætermiſſum vel dehinc perpetualiter obſervetur*. Carolomannus in ſynodo Liptinenſi, quæ congregata eſt anno 743. declaravit quid ipſe ſequutus ſit in iis jubendis, quæ ad ſacra pertinebant, *Decrevimus*, ait, *juxta Sanctorum Canones*. In his maxime commemorandus eſt Carolus Magnus, qui in ſtudio adminiſtrandæ Eccleſiaſticæ rei ipſum pene Juſtinianum ſuperavit. Complura edidit *Capitularia*, quorum auguſtiſſimum eſt Aquiſgranenſe an. DCCLXXXIX. Epiſcopi enim, Presbyteri & cæteri Chriſtiani officiorum ſuorum commonentur, & univerſi Canonici juris inſtituta perferuntur. Quod autem in rem eſt, quam agimus, ipſe Princeps dicit, partes ſeſe obire *devoti Sanctæ Dei Eccleſiæ Defenſoris humiliſque adjutoris*, ut ex legibus ſuis publicum canones haberent

berent præſidium, quo tegi poſſent. Aliorum Principum teſtimonia non perſequimur. Nam ex iis, quæ attulimus, perſpicuum eſt, pios Principes non id egiſſe, ut Eccleſiam ipſi regendam capeſſerent, ideoque Canonibus quaſi peritorum hominum monitis uterentur, ſed ut ipſorum Canonum ſummam auctoritatem vindicarent, idque caverent, ne diſciplina a Patribus inſtituta obrogaretur.

XIX. Percurramus cætera, quæ ex hoc capite ſuperant. Nanque Grotius docere perrexit in Eccleſia non ineſſe poteſtatem legum ferendarum, quæ ad Divinum cultum pertinent. In unaquaque Republica unum eſſe qui de rebus omnibus leges condere poſſit, eum, penes quem ſummum reſidet Imperium. Principes omnino exſolutos eſſe ab iis canonum decretis, quos Eccleſia ſciſcit, iiſdemque ſæpe contraria pertuliſſe. Hæc Grotius cum Arminianorum ſententiis congruentia ediſſeruit, quæ diu exploſa ſunt. Atque de auctoritate Eccleſiæ in iis jubendis, quæ Religionem & Religionis diſciplinam ſpectant, quæſitum & diſputatum eſt in exercitatione quarta Expedienda nunc ſunt argumenta, quæ in eam rem afferuntur, ut Principibus rejiciendorum canonum arbitrium demandetur. Ea omnia in triplici genere verſantur: Alia enim Principum auctoritatem extollunt in conſtituendis Eccleſiarum dignitatibus & honoribus, alia in antiquandis canonibus, qui formam ſacros eligendi adminiſtros præſcribunt, alia denique ius illud declarant, quod Hebræis Regibus erat in gubernandis veteris Fœderis Religionibus. At enim ſecundi generis argumenta diluentur in exercitatione decima quæ locum de imperatoria renuntiandorum Paſtorum poteſtate multis pertractabit: Quæ vero tertii generis argumenta ſunt, ea ſic concludi non poſſunt, ut quidquid Hebræi Reges in Eccleſia ſua gerebant, idem ipſum ſibi vindiceut Principes Chriſtiani. Reſtat primum argumentorum genus, cujus rationem omnem Grotius his expoſuit, *Balſamo non uno loco notat Imperatores nec legibus, nec canonibus ſubjici, ob poteſtatem*, inquit, *cœlitus datam: & exemplum affert inſigne canonis* XII. *Calchedonenſis, quo ſtatuitur*, ut ſi qua Civitas per imperiales litteras Metropolis nomen acceperit, ſolo titulo fruatur & veræ Metropoli jus priſtinum integrum maneat. *Oſtendit enim poſt eum canonem novas Metropoles complures ab Imperatoribus erectas pleniſſimo jure. Quibus addi poſſet Juſtinianea prima in Illyrico ab Imperatore Juſtiniano donata Archiepiſcopali jure ita ut in poſterum Theſſalonicenſi Archiepiſcopo nullum in eam Eccleſiam jus ſervaretur . . . Antiquiſſimus eſt canon, ut* ſingulæ Civitates ſingulos habeant Epiſcopos. *Excepti tamen ſunt Imperatorum legibus Iſauropolitanus & Tomenſis Epiſcopus quibus præter ſuam Civitatem aliæ quoque commiſſæ ſunt. Illud quoque vim legum imperialium ſupra canones manifeſte oſtendit, quod in Calchedonenſi Synodo poſitum ſemperque obſervatum eſt:* Τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω, *quem canonem Synodus in Trullo repetit.*

XX. Arminiani noſtri hæc eſt oratio, in qua ille, quum oſtendere vellet Principes canonum decretis eſſe exſolutos, id ne probabile quidem effecit. Sed antequam ea penſitetur, paucis de Eccleſiæ ſtatu dicetur. Ab Apoſtolicis temporibus nata lex eſt, ut politia Eccleſiæ eadem pene eſſet ac Reipublicæ. Rem minime dubiam quiſque exiſtimabit, qui antiquam Imperii notitiam & veterem Eccleſiæ deſcriptionem ſimul contuebitur in optimis tabulis. Comperiet enim, in ſingulis Civitatibus Epiſcopum fuiſſe, qui cum Presbyterio Sacra adminiſtrabat, in Metropolibus Præſulem, qui univerſis Provincialibus Epiſcopis præerat, & in iis Urbibus, quæ plurium Provinciarum capita fuerant conſtituta, fere Patriarcham aut Exarchum, qui omnes anteibat Metropoleon Antiſtites. Accedunt certiſſima ſacræ antiquitatis monumenta. Teſtis eſt Sozomenus in lib. v. cap. III. Majumæ, quæ Palæſtinæ oppidulis antea continebatur, a Conſtantino Magno deinde in Civitatis dignitatem evectæ ſtatim Epiſcopum fuiſſe datum. Patres Antiocheni in Can. IX, juſſerunt, Provinciales Epiſcopos Metropolitano Epiſcopo morem gerere, ejuſdemque nutu maxima quæque perficere non aliam ob cauſſam, quod in civili Metropoli ſummo Sacerdotio fungebatur, Τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ, τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ, ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν

τρέχειν πάντας τοὺς πράγματα ἔχοντας, κ. λ. *Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque Provincia, ſcire oportet, Epiſcopum, qui præeſt Metropoli, curam ſuſcipere totius Provinciæ eo quod in Metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia: Unde viſum eſt, eum quoque honore præcedere: reliquos autem Epiſcopos nihil magni momenti aggredi ſine ipſo, ut vult, qui ab initio obtinuit, patrum canon.* Qui olim Heracleenſi Exarcho parebat, C-Politanus Antiſtes in Patriarcharum Græcorum numerum deinde allectus eſt, eoſque loco & poteſtate ſuperavit propter id ipſum, quod C-Polis inter omnes Romani Imperii urbes quaſi nova Roma eminuit. Ea ſane C-Politanis Patribus ratio fuit ad ponenda tantæ dignitatis primordia: Sic enim in Canone III., Τὸν μέν τοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην, *C-Politanus Epiſcopus habeat priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, EO QUOD SIT IPSA NOVA ROMA.* Quod ſi forte de metropolitica poteſtate duo Epiſcopi certabant, Eccleſia in eam ſententiam judicabat, ut is vinceret, qui in civili Metropoli Pontificatum exercebat. Veteribus exemplis quum inſiſteret Taurinenſis Synodus, in judicio de primatu totius Provinciæ, quem duo Antiſtites Viennenſis & Arelatenſis ſibi vindicabant, ita pronuntiavit *can.* II., *Illud inter Epiſcopos Urbium Arelatenſis & Viennenſis qui de Primatus apud nos honore certabant, a ſancta Synodo definitum eſt, ut qui ex eis comprobaverit, ſuam Civitatem eſſe Metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipſe juxta præceptum canonum ordinationum habeat poteſtatem.* Quocirca ſi quam provinciam Romanus Imperator disjunxiſſet & veteri Metropoli alteram adjeciſſet, Epiſcopus urbis quæ novum honorem nacta fuerat, ſtatim in Metropolitanum cooptabatur. Diſtraxerat Valens Cappadociam, & primæ provinciæ Cæſaream metropolim reliquerat, ſecundæ autem Urbem Tyanorum caput conſtituerat: quod quum peractum eſſet, Tyanorum Epiſcopus ad metropoliticum obeundum munus aggreſſus eſt, teſte Gregorio Nazianzeno in oratione vigeſima.

Canonica hæc erat Eccleſiæ temperatio, quæ ab ipſis Apoſtolis prudenter ſapienterque invecta fuit, ut facilior Epiſcopis eſſet Religionis procuratio apud univerſas Gentes. Itaque ab hujuſmodi jure, quo Eccleſiæ ſtatus continebatur, in aliquibus regionibus abitum eſt, ſi abſque eo ſatis per commodum Religio adminiſtrari poſſet. Exempla primum ab Italia petamus. Vicarius Urbis decem regebat provincias, Campaniam, Tuſciam & Umbriam, Picenum ſuburbicarium, Siciliam, Apuliam & Calabriam, Brutios & Lucanos, Samnium, Sardiniam, Corſicam & Valeriam. Duo viri doctiſſimi Sirmondus in Propemptico ac Lupus in cap. VIII. ad Synodum VII. arbitrantur eaſdem provincias, quas Vicarius Urbis gubernabat, Romano Pontifici tanquam Metropolitæ paruiſſe. Contra vero Picenum Annonarium, quod Vicarius Italiæ per conſularem imperio aſſerebat ſuo, inter metropoliticas Romani Præſulis provincias reponendum eſt. Ad hoc Picenum pertinebant Urbes Ariminenſis & Piſaurenſis, quarum Epiſcopi in diœceſi erant Romana. Gregorius Magnus in lib. VII. ep. 50. Marinianum Ravennatem Præſulem monuit, ut de moribus cujuſdam quæreret, qui in Epiſcopum Ariminenſem cooptandus erat, & ubi probum apertis rebus inveniret, ad ſeipſum *cum decreti pagina ſuæ quoque addita teſtificationis epiſtola deſtinaret, quatenus a nobis Eccleſiæ, diſponente Domino, conſecraretur Antiſtes.* Totum hoc negotium Metropoliticæ eſſe juriſdictionis quem præterit, qui in Canonum diſciplinis verſatus ſit? Idem Pontifex *in lib.* 2. *epiſtol.* 9. Caſtorio Ariminenſi Epiſcopo copiam fecit ſacræ dedicandæ Ædis; & in *lib.* 5. *epiſtol.* 4. de Pelagio deceſſore ſuo dixit, eum Piſaurenſi Epiſcopo auctoritatem dediſſe conſecrandæ domus, quam Monachi habitarent. Mos enim iis temporibus erat, ut Epiſcopi ſine Metropolitanorum numine Ædium dedicationes non peragerent. Nam Montanus Metropolita Toletanus in epiſtola ad Fratres Palentinæ regionis in Synodo Toletana Secunda queſtus eſt, quod Epiſcopi ſui, qui *nec provinciæ privilegiis nec rerum Domini noſcebantur*, non impetrato ipſius aſſenſu, Eccleſias conſecraſſent. Si igitur Piceni Annonarii urbes Romano Metropolitæ obtemperabant, profecto univerſa provincia in ejuſdem Præſulis erat

poteſtate, tametſi ea non Vicario Urbis, ſed Vicario Italiæ obtigiſſet.

Præterea ſi Eccleſia in Italiæ regione politici regiminis rationem omnem ſequeretur, plane oportebat, Metropolitanum Epiſcopum eſſe in univerſis iis Urbibus, in quibus Provinciæ civilis Rector jus dicebat. At contra res evenit in provinciis, quas Vicarius Urbis ſibi tribuebat. Nam quatuor Viri Conſulares Campaniæ, Tuſciæ & Umbriæ, Piceno Suburbicario, Siciliæ præfecti erant, Duo Correctores Apuliam & Calabriam, Brutios & Lucanos regebant, denique quatuor Præſides Samnium, Sardiniam, Corſicam & Valeriam adminiſtrabant. In his vero omnibus provinciis, quarum ad gubernacula decem civiles Rectores admoti erant, unus Romanus Pontifex erat Metropolita. Gregorius Magnus in Campania, quamvis provinciæ Metropolis civilis eſſet Capua, tamen Metropolitanum agebat. Is enim Neapolitanorum Præſulum creationes gubernabat, eoſdemque conſecrabat: Nam in *Lib.* II. *Epiſt.* 35. ad Petrum Campaniæ hypodiaconum hæc ſcripſit, *Experientia tua Clerum Eccleſiæ Neapolitanæ conveniat, quatenus duos vel tres de ſuis eligere, & huc ad eligendum Epiſcopum traſmittere non omittant, qui ſi fortaſſe admonitionem tuam quolibet modo differre tentaverint, Eccleſiaſticum in eos vigorem exerce.* Accedit quod Pontifex in *lib.* II. *epiſt.* 59., in *lib.* VII. *epiſt.* 15. & in *lib.* VIII. *epiſt.* 53. Fortunato Neapolitano poteſtatem mandavit, qua domos Monachorum & Baſilicas conſecraret: Eique ſæpe injunxit ut omnes Campaniæ Eccleſias diligenter perluſtraret. Neque enim Calabria & Apulia, quum civilem Correctorem haberent, alium a Romano Præſule Metropolitanum colebant. Idem enim Gregorius in *lib.* 5. *epiſt.* 45. Petrum Hydruntinum juſſit in Eccleſias Brunduſii & Gallipoleos proficiſci, iis optime conſulere, ac electos harum Urbium Epiſcopos Romam mittere, ut ſummum ipſis Sacerdotium crederetur; quæ Gregorii tanquam Metropolitani ſunt partes.

Albertus Piccolus *in diſſ. de jure Eccleſiæ Siculæ* putavit, in Sicilia veterem extitiſſe Metropolitanum, eumque fuiſſe Meſſanenſem Epiſcopum, quam in rem argumenta e Gregorii Magni epiſtolis ducere ſategit. At doctiſſimus Cardinalis Noris in *hiſtorica diſſ. de quinta Synodo* contra multis probavit, Gregorium ipſum Magnum non modo in cæteris Sicilienſibus Eccleſiis, ſed in Meſſanenſi Urbe Metropoliticam exſeruiſſe juriſdictionem. Quum ſane Januarius quidam Baſilicam conſtruxiſſet, cujus dedicandæ auctoritatem dari a Gregorio petebat, Pontifex in *libro* 12. *epiſt.* 10. Felici Meſſanenſi id munus demandavit. In rem ſuam Meſſanenſis Eccleſiæ Patronus promit ejuſdem libri epiſtolam trigeſimam, in qua Gregorius Felicem ſic affatur, *Volumus omnes in unum convenire Epiſcopos, ut de incidentibus cauſis fiat diſceptatio.* Putat is ſcriptor his verbis Meſſanenſis Epiſcopi ſignificari metropoliticam auctoritatem in convocandis conciliis. Hactenus ille: Sed non cognoſſe videtur, quid Pontifex voluerit in ea epiſtola. Quoniam ſcilicet Is Leonis Magni decretum ſuſtulerat, ex quo Siculi Epiſcopi quotannis terni Romam ad Synodum proficiſcebantur, eoſque omnes ſingulis tribus annis in Urbem venire juſſerat, deinde veritus eſt, ne ob longam Eccleſiaſticorum judiciorum comperendinationem Eccleſia Sicula fraudem caperet. Quocirca Felici ſcripſit id conſilium ſe iniviſſe, ut unoquoque anno Synodum in Sicilia cogendam curaret. Habuerit ipſe Felix cogendæ annuæ Synodi Apoſtolicam poteſtatem, nondum tamen Metropolita exiſtimandus eſt: Romani enim Metropolitæ vicem obiviſſet. Juſſis Leonis Magni Leontius Forojulienſis Synodos in provincia Vienneſi convocavit, qui tamen non erat Metropolita. Quamquam ex epiſtola illa trigeſima effici nullo pacto poteſt, Felicem Meſſanenſem delectum fuiſſe, cui Pontifex auctoritatem mandaſſet ſuam. Anno enim 603, cum ea epiſtola Felici ſcripta eſt, Petrus Hypodiaconus iterum a Gregorio *Rector Siciliæ* conſtitutus fuerat, quod ipſum *in notis ad Synodum* VII. præclare evicit doctiſſimus Lupus.

De Ravennatium Epiſcopo nec perexigua præſtantium Virorum eſt diſſentio. Petrus Morinus *lib.* I. *Exerc.* 30. & Hieronymus Rubeus in Ravennatis Urbis hiſtoria Ravennam Æmiliæ veterem politicam Metropolim exiſtimant, illique Ecle-

cleſiaſticam paris antiquitatis metropoliticam dignitatem adſcribunt, quam alter ab ævo ferme Conſtantini Magni, alter ab incunabulis Chriſtianæ Religionis cœpiſſe arbitrantur. Hos contra Scriptores multi & præſertim Noris inſtructiſſima oratione dixerunt. Atque ſane annum ante quadringenteſimum non Æmiliæ, ſed Piceni Annonarii civilis Metropolis erat Ravenna, de qua eximius eſt titulus apud Gruterum pag. 399.

CRONIO . EVSEBIO . V. C. AEMILIA . AD
DITA . PRAEDICTAE . PROVINCIAE
CONTVITV . VIGILANTIAE
ET . IVSTITIAE . EIVS . ET . RA
VENNATENSIVM . CIVITATE
QVAE . ANTEA . PICENI . CAPVT . PRO
VINCIAE . VIDEBATVR . VICARIO
ITALIAE . QVAE . POTESTAS . SVPRA
DICTO . VIRO . OB . TESTIMONIVM
ANTEACTI . HONORIS . EST . ADTRIBVTA
AB . INVICTISSIMIS . PRINCIPIBVS

e poſtica parte

DEDICATA . V. EIDVS . NOVEMBRIS . COS
FL. MALLIO . THEODORO . V. C.

Igitur ab Imperatoribus Arcadio & Honorio primum anno 399., quo Manlius Theodorus & Flavius Eutropius conſulatum inierunt, Ravenna, quæ hactenus Piceni Annonarii caput fuerat, Æmiliæ adjuncta & Provinciæ Metropolis creata eſt. Quumque antea Picenum Annonarium in Metropolitica Romani Pontificis eſſet poteſtate, ſequitur Ravennam eidem Metropolitæ paruiſſe. Quocirca ad Eccleſiaſticam ſeculi quarti politiam Leo Auguſtus vulgo ſapiens reſpexit, qui in *notitia Epiſcopatuum*, cujus meminit Leunclavius in *jure ſuo Græco-Romano*, Ravennam inter Piceni Annonarii Urbes repoſuit in Diœceſi Romana. Non eodem autem tempore, cum Ravennates a Piceno divulſi fuerunt, eorum Eccleſia eſſe Metropolis cœpit. Deſcriptum eſt apud Ughellum *tom.*II. *Italiæ Sacræ* & Rubeum Valentiniani Imperatoris diploma, in quo Joannes Ravennas Antiſtes metropolitico honore exornatur. Nimirum diploma illud eſt, cujus *ἀγνωστοτάτην falſitatem* oſtendit Baronius ad Annum 432. In eo enim Rhegium Lepidi, Brixellum ad Padum & Placentia pertinere ad Ravennatis Præſulis tanquam Metropolitani jurisdictionem dicuntur. Sed earum Urbium Antiſtites Anno 451., cum nondum denatus erat ipſe Valentinianus, a Mediolanenſi Metropolitano ad Synodum habendam evocantur, quod declaratum eſt in litteris ſynodalibus, quæ poſt epiſtolam 52. Leonis leguntur. Hæc de Valentiniani diplomate. Dubium vero non eſt, quin per idem tempus, in quo hujuſmodi diploma perlatum eſſe fingitur, res novæ obtigerint in Ravennati Eccleſia. Nam quum poſt Honorium Placidia Auguſta & Valentinianus Imperator Ravennæ lares fixiſſent, iſtud in cauſſa fuit, cur Antiſtites ejus Urbis ad metropoliticam accedere dignitatem ſtuduerint. Primus, qui eam ſibi tribuit, Petrus Chryſologus fuiſſe videtur. Is enim in ſermone 175. de Marcellino, quem Epiſcopum Vicohabentiæ in agro Ferrarienſi creaverat, hæc dicit, *Omnium quidem rerum primordia ſunt dura, ſed duriora ſunt omnibus primordia generantis. Sancta Eccleſia Ravennas, ut primum pareret, viam fecit, angores pertulit, ſenſit dolores:* Poſtea, *Habeat*

beat modo natus, *qui primum natus eſt*, *primogeniti reverentiam*, *teneat honorem*. Sic Chryſologus, ut illius præfecturæ munus ſe iniiſſe ſatis oſtendat, in quo Ravennates antea Epiſcopi nunquam verſati fuerant.

Ab Italia ſi ad alias Occidentis Imperii regiones & præſertim Africanas perluſtrandas aggrediamur, facile nobis compertum erit, in iis Eccleſiæ eam fuiſſe hierarchiam, quæ civili politiæ fere non conſentiebat. In Africa tertio ſeculo Romani Imperii ſeptem numerabantur provinciæ, quarum aliæ conſulares erant, aliæ Præſidibus parebant. Atque ſex quidem deſcribuntur a Sexto Ruſo Feſto, qui in *Breviario* ſcripta hæc reliquit, *Per omnem Africam ſex provinciæ factæ: ipſa, ubi Carthago eſt, Proconſularis: Numidia conſularis: Bizacium conſularis: Tripolis & duæ Mauritaniæ hoc eſt Sitifenſis & Cæſarienſis præſidales*. Hanc eandem deſcriptionem ſpectavit Conſtantinus Magnus An. 314. in epiſtola ad Ablavium, in qua ſex Africanarum Provinciarum Præſules juſſit ad Arelatenſe Concilium accedere, in quo de Cæciliano & Donatiſtis judicium erat pronuntiandum. Quocirca in *Notitia Imperii* quæ Arcadii & Honorii temporibus conſcripta eſt, leguntur iſta, *Provinciæ Africæ ſex*, *Byſacium*, *Numidia*, *Mauritania Sitifenſis*, *Mauritania Cæſarienſis*, *Tripolis & Proconſularis*. His autem provinciis adſtruenda eſt tertia Mauritania nomine Tingitana, quam anno ab V. C. 795. & Æræ Chriſtianæ 42. a Cæſarienſi Regione Imperator Claudius disjunxerat, teſte Dione *in lib.* 60., itaque illa diu inter Hiſpanicas provincias repoſita eſt. Sextus Ruſus ita perrexit, *Per omnes Hiſpanias ſex nunc Provinciæ*, *Tarracanonenſis*, *Carthaginenſis*, *Luſitania*, *Callectia*, *Bœtica: trans freta etiam in ſolo Terræ Africanæ provincia Hiſpaniæ eſt*, *quæ Tingitana Mauritania cognominatur*. Hujuſmodi ſe habebat Africanæ Reipublicæ conſtitutio, cui non omnino congruebat Eccleſiaſtica Hierarchia. Atque auctores ſunt Carolus a S. Paulo *in Geographia ſacra*, & Jacobus Uſſerius in *libro de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine* unam fuiſſe in Africa Eccleſiaſticam provinciam, ille quidem uſque ad Annum 348, in quo Gratus Antiſtes erat Carthaginenſis, hic autem uſque ad Cyprianum, qui anno 248 Carthagini Antiſtes datus eſt, & Anno 258. Valeriano Imperatore martyr mortem oppetiit. At enim Cardinalis Noriſius in *lib. ſecundo Hiſtor. Pelag. cap.* 8., qui ea de re diligentius quæſivit, a Cypriani temporibus docuit tres in Africa extitiſſe ſacras provincias. Nanque Cyprianus in epiſtola 73. ad Jubajanum Numidiam ab Africa divellit, cum ſcripſerit, ſociatam fuiſſe Synodum, in quam venerant *tam provinciæ Africæ*, *quam Numidiæ*, *epiſcopi numero ſeptuaginta & unus*. Quin etiam in Synodo, quam Cyprianus coegit, apud Auguſtinum in *lib.* 2. *de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 2., apertis verbis disjunguntur provinciæ Proconſularis, Numidia & Mauritania. Sic breviter Noriſius. Non enim longa eget oratione quod ex veteribus monumentis perſpicuum eſt. Mutatus deinde eſt ille Africæ ſacræ ſtatus. In dubio enim non eſt, quin Auguſtini ævo Africanæ Eccleſiæ ſex eſſent provinciæ. Nam Carthaginenſis, quæ late patebat, in tres provincias Proconſularem, Byzacenam & Tripolitanam tributa eſt: Mauritania Sitifenſis, quæ olim Numidiæ conjungebatur, primatem ſibi ſuum renuntiavit: Tingitana vero, quæ Hiſpaniis in orbis Romani deſcriptione adcenſebatur, in ſacris cum Mauritania Cæſarienſi unam faciebat provinciam. Hæc quum evenerint, tamen gubernandæ Eccleſiæ non eadem ratio invecta eſt apud Afros, quæ ad gerendam apud eos Rempublicam Romanis placuerat. Nam Primates Provinciarum non illi erant, qui in Metropolibus Eccleſiam regebant, ſed qui dignitatis antiquitate cæteros provinciales Præſules ſuperabant, etiamſi in oppido omnium obſcuriſſimo ſacra peragerent: Eam ob rem iidem in univerſis Africanis monumentis *ſenes* & *ſeniores*, non Metropolitæ appellitantur. Hujuſmodi politia facile comprobabitur, ſi ordo deſcribetur Primatum qui Numidiam adminiſtrarint ab Anno 395. ad Annum 430. quamdiu Divus Auguſtinus præfuit Hipponenſium Eccleſiæ. Anno quidem cccxcv. Megalius Epiſcopus Calamenſis univerſæ Numidiæ erat Primas: Auguſtinum enim Hipponis Epiſcopum creavit, teſte Proſpero in *Chronico*. Quum ſane in Collatione Carthaginenſi *cap.*

247. *coll. tertiæ diei* Donatiſtæ rogarent, a quonam Auguſtinus ſummum Epiſcopatus Sacerdotium accepiſſet, is dixit, *Megalius me ordinavit Primas Eccleſiæ Numidiæ Catholicæ:* Megalio, qui duos vixit annos in metropolitica præfectura, Creſcentianus ſubrogatus eſt Numidiæ Epiſcopus, ſed non illius Urbis quæ civilis provinciæ erat metropolis. In Synodo Carthaginenſi, quæ coacta eſt Cæſario & Attico V.V. CC. Coſſ. V. Kal. Septembris ſive Anno 397. Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis dixit, *Frater Reginus Eccleſiæ Vegeſelitanæ litteras ad parvitatem meam datas Creſcentiani primæ Sedis, ut ipſe inſinuat, Numidiarum.* Quæ verba ſonant, Carthaginenſem Antiſtitem, quem ſtatim de dignitate ſua novi Primates monere ſolebant, tum primum cognoviſſe Creſcentianum Megalio ſucceſſiſſe. Creſcentianus Xantippum Tagoſenſem Epiſcopum excepit. Divus Auguſtinus in Epiſtola 217. memoriæ prodidit, denato Creſcentiano inter Xantippum & Victorinum concertationem fuiſſe commiſſam de primatu Numidiæ. Xantippus cauſſam vicit. Si Cardinali Baronio fides addatur, Xantippo lis addicta fuit, quod is Conſtantinæ eſſet Epiſcopus, quæ univerſæ Numidiæ erat Metropolis: Quoniamque Auguſtinus in eadem epiſtola Victorinum ſic alloquutus eſt, *Venerabilis Frater & Collega noſter Xantippus Tegaſtenſis dicit, quod eum primatus ipſe contingat*, Cardinalis loco *Tegaſtenſis* legit *Conſtantinenſem*. At mendum ille non ex criticorum voto ſuſtulit. Nam quo tempore Xantippus Numidiæ metropoliticam præfecturam geſſit, Fortunatus Conſtantinæ erat Epiſcopus. Xantippus quidem Numidiam rexit ad Annum 411. At ſcribit divus Auguſtinus *in lib.* 1. *contra litt. Pet. cap.* 1., *Nunc vero quum eſſem in Eccleſia Conſtantinenſi, Abſentio præſente & Collega meo Fortunato ejus Epiſcopo.* Exaravit Doctor hos libros contra Petilianum ante mortem divi Anaſtaſii Papæ, quæ accidit Anno 402. Is enim *in lib.* 2. *cap.* 51. ſic pergit, *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet.* Idem porro Fortunatus vivebat Anno 411. Fuit enim unus ex ſeptem Epiſcopis, quos ad ineundam cum Donatiſtis diſputationem Eccleſia Africana delegit in Collatione Carthaginenſi. Quocirca Holſtenius in Auguſtiniana epiſtola pro *Tegaſtenſi* Tagorenſem ſubſtituit. In Africa duplex erat Tagora, una ad Provinciam Proconſularem pertinebat, & Tagara dicebatur, altera Numidiæ urbs erat, quæ & Tagura vocatur in notitia Epiſcoporum Africanorum. Noriſius autem in *lib. ſecundo Hiſt. Pelag. cap.* 8. in evolvendis Vaticanæ Bibliothecæ manuſcriptis tres inſpexit Codices, qui ſunt Num. 494. pag. 140. Num. 495. pag. 91. & Num. 499. pag. 209. & in iis Xantippum *Tagoſenſem* reperit. Horum quidem Codicum auctoritas ob id ipſum contemnenda non eſt, quod inter Africanas Urbes in Geographicis tabulis Tagoſa non invenitur. Quum enim temporibus Collationis Carthaginenſis Africæ præeſſent quingenti & ſexaginta ſex Præſules, mirum non eſt, ſi Geographi in tabulis ſuis omnia eorum oppidula perſequuti non fuerant. Ergo Xantippus erat ſive Tagorenſis ſive Tagoſenſis Antiſtes, eique primatus Provinciæ obtigit, non quod Conſtantinenſium Eccleſiam gubernabat, ut putavit Baronius, ſed quod inter omnes Numidarum Præſules ætate eminebat. Hac de cauſſa Auguſtinus in ea ipſa epiſtola 217. tollendi certaminis inter Xantippum & Victorinum rationem iniens conſtituit, non juniores Numidiæ Epiſcopos, ſed antiquiores eſſe vocandos, qui, uter illorum vinceret, tanquam optimi teſtes & judices poſſent edicere: *Ambo*, inquit, *convocate collegas veſtros, eos maxime, qui vobis Epiſcopatus ætate vicini ſunt, qui facile quis veſtrum verum dicat, agnoſcant, ut inter vos paucos eadem præ cæteris quæſtio dirimatur & errore ſublato minores a cæteris convocentur, qui nec debent, niſi vobis in hac re tanquam prioribus credere, & nunc ignorant, cui veſtrum potiſſimum credant.* Poſtquam Xantippus deceſſit, Anno 411. metropoliticus Numidiæ honor ad Sylvanum pervenit, qui Zummenſis erat Præſul. Nam in Collatione Carthaginenſi illius temporis Sylvanus ſemel & iterum Zummenſis vocatus eſt, idemque in *cap.* 18. *coll.* 1. litteras ita ſubſcripſit, *Sylvanus primæ Sedis provinciæ Numidiæ ſubſcripſi.* Is ipſe anno 412. præfuit Synodo Cirtenſi, quæ res perſpicua eſt ex epiſtola Auguſtini 152. cujus initium eſt, *Sylvanus ſenex, Valentinus Aurelius*... Quin etiam Anno 416. Mi-

levi

levi ſynodum coegit contra Pelagianos, ac ſynodales litteras ad Innocentium Pontificem dedit, quæ num. 92. apud Auguſtinum leguntur, quibus ſummus Pontifex reſcripſit in Epiſtola, quæ apud eundem num. 93 evolvi poteſt cum hac epigraphe, *Innocentius Sylvano ſeni, Valentino & cæteris, qui in Milevitana Synodo interfuerunt*. In vivis haud diu Sylvanus egit: Nam Anno 419. Valentinus erat Numidiæ primas. In litteris ad Bonifacium Papam Africani hunc titulum inſcribunt, *Domino Beatiſſimo & honorabili Fratri Bonifacio Aurelius, Valentinus primæ Sedis provinciæ Numidiæ & cæteri Epiſcopi*. Fuit autem Valentinus Epiſcopus Bajanenſis, quamvis in *Collat. 1. Carthag. cap. 99.* poſt Sylvanum Zummenſem Primatem vocatus ſit *Valentinus Epiſcopus Vajenenſis*. Nam error iis verbis aſpergi potuit a librariis, qui, quum dictantem non recte exceperint, Vajanenſem vel Vajenenſem pro Bajanenſi ſcripſerunt ob facilem litterarum V. & B. permutationem. Poſt Valentinum Numidiam habuit Alipius Epiſcopus Tagaſtenſis. Ham Auguſtinus ad eum epiſtolam miſit, quam hac epigraphe ornavit, *Auguſtinus Alipio ſeni*. Quo autem anno Valentino Alipius ſucceſſerit, non facile divinatur. Illud conjectari poteſt, hujuſmodi ei præfecturam non fuiſſe delatam citra Annum 438. Etenim per illud tempus Auguſtinus libros *operis imperfecti* contra Julianum conſcripſit, in quibus, quum Alipium ſæpe nominaſſet, eum *ſenis* cognomine nunquam affecit. Igitur Auguſtino Epiſcopo Hipponenſi Numidiæ fuere Primates Megalius Calamenſis, Creſcentianus incertæ urbis, certe non Conſtantinæ, in qua, dum ille vixit, Fortunatus ſacris præerat, Xantippus Tagoſenſis, Sylvanus Zummenſis, Valentinus Bajanenſis, ac denique Alipius Tagaſtenſis: Quæ res percipi non poteſt, niſi ſic habeamus, Primates in Africa non fuiſſe Metropoleon civilium Antiſtites, ſed eos Epiſcopos qui in unaquaque provincia cæteris Collegis ſummi Sacerdotii antiquitate præſtarent. Quocirca Leo IX. epiſt. 9. ad Petrum & Joannem Epiſcopos Afros, *Sed de Africæ Primatibus*, inquit, *aliter intelligendum eſt, quia in ſingulis ejus provinciis antiquitus Primates inſtituebantur non ſecundum potentiam alicujus Civitatis, ſed ſecundum tempus ſuæ ordinationis, quibus tamen omnibus præerat unus, ſcilicet Carthaginenſis Archiepiſcopus*. Poſtremis his in verbis ſcite Leo docuit, Antiſtitem, qui Carthagine Religionem adminiſtrabat, reliquis Afris Primatibus ſive Metropolitis præfuiſſe. Salmaſius in *p. 2. Euchariſt. ſui cap. 3.* negavit, ullam Præſuli Carthaginenſi fuiſſe poteſtatem in aliorum Primatum Provinciis, contra quem pluribus iiſque optimis argumentis docti viri dixerunt. Valerius ſane Hipponenſis in Numidia Epiſcopus non a Megalio Provinciæ Metropolitano, ſed ab Aurelio Carthaginis Epiſcopo illud ſibi impetravit, ut Sanctum Auguſtinum ſibi Coepiſcopum adjungeret. Narrat enim Poſſidius in *cap. 8. de vita Auguſtini*, Valerium *egiſſe ſecretis litteris apud Primatem Epiſcopum Sedis Carthaginenſis allegantem imbecillitatem corporis ſui ætatiſque gravitatem & obſecrantem ut Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus*. Poſtea: *Quæ igitur beatus Valerius optavit & rogavit ſatagens eo reſcripto impetraviſſe*. Idem Valerius Carthaginenſis conſecrandorum Epiſcoporum in tota Africa auctoritatem ſibi vindicabat. In ſynodo, quæ Carthagine habita eſt poſt Conſ. Stilichonis Anno 401. quum is dixiſſet can. 22. *Ego enim cunctarum* (nempe per univerſam Africam) *Eccleſiarum dignatione Dei, ut ſcitis Fratres, ſolicitudinem ſuſtineo*, Numidius Epiſcopus Maxulitanus reſpondit, *Fuit ſemper hæc licentia huic Sedi, ut unde vellet & de cujus nomine fuiſſet conventus, pro deſiderio cujuſque Eccleſiæ ordinaret Epiſcopum*. His adſtrui poteſt, quod in ea ſynodo, quam Carthagine Primas Bonifacius coegit Anno 525. Domus Monachorum, quæ erat in Byzacio, juriſdictioni Primatis Byzaceni erepta eſt & in poteſtatem adacta Primatis Carthaginenſis. Igitur univerſæ Africæ Primas hoc eſt Exarchus erat Epiſcopus Carthaginis: cujus Catholici regiminis exemplo Primas Donatiſtarum, qui in eadem urbe ſacris præfectus erat ſuis, in omnes ſchiſmaticæ factionis principes auctoritatem exſerebat. Nam Victor Donatiſta Præſul Taboræ in Mauritania Cæſarienſi *in cap. 201. collat. 1.* Primiano Donatiſtæ Carthaginenſi Antiſtiti tanquam Principi ſuo ſe parere dixit, *Suſceperam quidem*, inquit, *mandatum, ſed quia Beatiſſimus Pater & Princeps*

noſter Primianus nunc ſuſcepit, me neceſſe eſt mandare his actis. Conſulendi ſunt Hallier in *lib.* 4. *Hierarch. Eccl. ſect.* 4. *cap.* 2. *art.* 1. & Cardinalis Noriſius *in Diſſert. hiſtor. de Synodo quinta*. Quod ſi illud quærendum ſit, cur Eccleſiaſticæ Metropoles in Africa non eſſent, ſed cujuſque provinciæ primatus Senioribus Epiſcopis deferretur, par eſt intelligi, hunc Eccleſiæ ſtatum apud Afros ad conſervandam Antiſtitis Carthaginenſis ſummam eam poteſtatem ſapientiſſime fuiſſe conſtitutum. Quum enim provinciarum Eccleſiaſtica præfectura modo his, modo illis Epiſcopis obtingeret, hujuſmodi Primates non facile ad id aggredi poterant, quod certarum Urbium Metropolitæ forte auſi eſſent ut ab Exarcho Carthaginenſi deficerent, eumque proconſularis Provinciæ Eccleſiis tantum continerent: quæ ratio recte explicata eſt ab Emmanuele a Schelestrate *Tom.* 2. *Antiq. Eccl. diſſ.* 4. *cap.* 6.

Quin etiam in ipſa Aſia non idem ubique Eccleſiæ ſtatus erat ac Reipublicæ. Alexander Antiochenus Innocentium I. rogaverat, an Principum nutu, qui provincias ſæpe dividebant, Eccleſiaſticam mutari politiam oporteret: Pontifex ad eum Epiſtolam XVIII. reſcripſit, in qua par non eſſe dixit, *ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoresque aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſſis faciendas duxerit Imperator*. Sic ille, quaſi exiſtimaverit, Eccleſiam, cum ex uſu atque e re ſua fuerit, ſeſe adcommodare ad aſciſcendam Imperii conſtitutionem ſolere. Neque enim modeſtis Imperatoribus ſententia fuit, Reipublicæ & Eccleſiæ eum eſſe conſenſum, ut cum novæ conduntur metropoles, ſtatim in iis Præſules Metropolitæ dicantur. Juſtinianus quamvis utramque Armeniam in quatuor provincias diſtraxiſſet, tamen de veteribus Sacerdotiis nihil derogavit. Hæc ille in Novella XXXI. cap. 11. Τὰ μέντοι περὶ τὰς ἱερωσύνας μένειν κατὰ τὸ πρότερον βουλόμεθα σχῆμα, οὐδὲν οὐδὲ περὶ τὸ μητροπολιτικὸν δίκαιον, οὐδὲ περὶ τὰς χειροτονίας τοῦ πράγματος ἀμειβομένου ἢ καινιζομένου, ἀλλὰ τῶν πρότερον χειροτονούντων, καὶ νῦν ἐχόντων τὴν τῆς χειροτονίας ἐξουσίαν, καὶ τῶν προτέρων μητροπολιτῶν ἐπὶ τῆς ἑαυτῶν μενόντων τάξεως ὥστε μηδὲν τό γε ἐπ' αὐταῖς καινισθῆναι. *Quæ vero ad Sacerdotia ſpectant, ea volumus in priſtina manere forma, negotio ipſo neque circa jus Metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem vel novationem ſuſcipiente: ſed prius ordinatis nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, & prioribus item Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, ut quantum ad ipſa nihil penitus innovetur*. Idem Juſtinianus decem & tres Urbes Ponti Polemoniaci atque Hellenoponti in unam redegit provinciam, nec tamen Metropolibus Eccleſiaſticis Amaſeæ & Neocæſareæ antiquam dignitatem auctoritatemque eripuit. Sic enim in Novella XXVIII. c. 11. edixit, Πᾶσαι αἱ τρισκαίδεκα πόλεις ἐπαρχίας ἔστωσαν μιᾶς, ἀφαιρουμένης μηδ' οὐδετέρας αὐτῶν τῶν μητροπόλεων (Ἀμασείας τε φαμὲν καὶ Νεοκαισαρείας) τοῦ τῆς μητροπόλεως ὀνόματος, τῶν δὲ θεοφιλεστάτων αὐτῶν ἐπισκόπων τῶν μὲν μητροπολιτῶν ἐνταυθοῖ χειροτονουμένων τῶν δὲ ὑπ' αὐτοὺς τεταγμένων, ὁμοίως ὑπ' αὐτῶν τῶν τὰς μητροπόλεις ἐχόντων (καθὰ καὶ μέχρι νῦν ἦν) χειροτονουμένων, οὐδὲν γὰρ τῶν περὶ τὴν ἱερωσύνην αὐτῶν καινίζομεν, ἐπειδὴ καὶ ἐπὶ μιᾶς ἐπαρχίας καὶ ὁ πάλαι χρόνος, καὶ οὗτος ὁ νῦν κατακοσμηθεὶς ὑφ' ἡμῶν, οἶδε πολλὰς τοιαύτας καταστάσεις ἐν τοῖς θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις τυγχανούσας. *Omnes illæ tredecim Urbes unius ſunto provinciæ, ut tamen alterutri in iis Metropoli (Amaſeæ ſcilicet & Neocæſareæ) Metropolis nomen non detrahatur: & Dei amantiſſimi earum Epiſcopi, Metropolitani quidem ibidem, qui vero ſub Metropolitanis poſiti ſunt, ab his, qui Metropoles ſub cura ſua habent (ut hactenus in more fuit) ordinentur, nihil enim circa Sacerdotium illorum innovamus, quum multas ejuſmodi inſtitutiones inter Dei amantiſſimos Epiſcopos in una etiam provincia exiſtere tam vetuſtum ſeculum, quam quod per nos exornatur, noverit*. Ad poſtrema verba animus attendendus eſt. In iis enim Imperator rem declaravit Majorum inſtitutis non eſſe contrariam, ſi in una civili provincia plures exiſterent Eccleſiæ Metropoles. Eccleſia igitur politici regiminis rationem ſequebatur, & ab ea in pluribus regionibus recedebat arbitratu ſuo, ita ut commodiori Religionis procurationi proſpiceret.

XXI. Quæ quum explicata eſſent, facile omnis argumentorum vis hebetabitur, quæ a Grotio in id afferebantur, ut Principes viderentur nutu poſſe ſuo canones abroga-

rogare. Is primum dixit, ipſam Calchedonenſem Synodum in canone XVII. ſanxiſſe, ut quæ Reipublicæ temperatio eſſet, eandem Eccleſia aſciſceret. Sic Grotius. At quid Synodi Patres ſtuduere? Morem nempe illum renovare cogitaverunt, quem Eccleſia dudum receperat, ut, cum Populis Epiſcopos, & Provinciis Metropolitanos dabat, civilis ſtatus veſtigiis inſiſteret: Vetus autem ille mos non arbitrium tollendorum canonum Principibus detulit, ſed potius ipſe in canonem evectus eſt, qui decernebat, hoc eſſe e Religione, ſi in conſtituendis Eccleſiaſticis præfecturis ad Reipublicæ formam reſpiceretur. Neque enim, ut paulo ante multis diſſerumus, Eccleſia hujuſmodi ſequi canonem adigebatur, quin & ab eo in pluribus regionibus receſſit, ſi id facere ſine ulla Religionis fraude ſibi licuerit. Pauca hæc de Canone XVII. Dicendum autem eſt de Canone XII. Calchedonenſi, contra cujus ſententiam Principes eccleſiaſticas condidiſſe metropoles Grotius objecit. Plerique Epiſcopi Imperatores adierant, a quibus, haud mutata civili politia, dignitates Eccleſiis ſuis impetraverant. Quæ res Eccleſiam perturbavit: nam Provinciarum ſacram politiam pervertit. Hinc creberrimæ veterum Metropolitanorum querelæ in Conciliis. Quocirca ad eas tollendas Crecopius in Actione quarta Calchedonenſis Synodi Magiſtratus imperatorios ita affatus eſt, *Ne Poteſtas veſtra accuſationem & querimonias a quacunque perſona accipiat & fatigetur, neque nos conteramur, petimus ut ſine contradictione ceſſent* τα ἐπι βλαβη των κανονων πραγματικα πραχθεντα που ἐν τῃ ἐπαρχιᾳ, κρατησαι δε τους κανονας δια παντων, ὁυτω γαρ και ἡ πιστις φυλαττεται, και ἑκαστη ἐκκλησια ἑξει το ἀσφαλες, και μη ἐξειναι παρα κανονας χειροτονειν τινας, *ea pragmatica, quæ in detrimentum canonum a quibuſdam facta ſunt in omni provincia. Canones autem per omnia teneant. Sic enim & fides cuſtoditur, & unaquaque Eccleſia tutum ſtatum habebit, nec licebit aliquos præter canones ordinare.* Crecopium ſic dicentem univerſa Synodus probavit, Παντες τα ἀυτα λεγομεν, ὁλα τα πραγματικα ἀργησει. οἱ κανονες κρατειτωσαν. δε τουτο παρ ὑμων γενηται, *Omnes eadem dicimus, univerſa pragmatica ceſſabunt, regulæ teneant, & hoc a vobis peragatur.* Quoniamque Imperatorii Magiſtratus ex ſententia Synodi decreverunt, hæc canonem concepit iis verbis, Ἦλθεν εἰς ἡμᾶς, ὥς τινες παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς προσδραμόντες δυναστείαις, διὰ πραγματικῶν Βασιλικων τὴν μιαν ἐπαρχίαν εἰς δύο κατέμενον, ὡς ἐκ τούτου δύο μητροπολίτας εἶναι ἐν τῃ ἀυτῃ ἐπαρχιᾳ. ὥρισε τοίνυν ἡ ἁγία σύνοδος, τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτον τολμᾶσθαι παρὰ ἐπισκόπων ἐπεὶ τὸν τουτῳ ἐπιχειροῦντα ἐκπίπτειν τοῦ οἰκείου βαθμου, *Pervenit ad nos, quod quidam, quum præter ritus eccleſiaſticos ad Potentatus acceſſiſſent, per pragmaticos unam provinciam in duas diviſerunt, ut ex eo duo eſſent Metropolitani in eadem provincia. Statuit ergo ſacra Synodus, ne Epiſcopus deinceps tale quid audeat, quoniam is, qui hoc aggreditur, a ſuo gradu excidet.* Jubent ſcilicet Patres, Sacerdotiis eos Epiſcopos abdicari, qui metropoliticos honores affectabant, quamvis publicus provinciarum ſtatus non mutaretur. Ex quo ſequitur Patribus conſilium non fuiſſe ferendæ legis, quæ vetaret, ne, diviſis civilis orbis provinciis, novæ Eccleſiarum præfecturæ conderentur. Quomodo enim hoc perferri potuiſſet ſecus atque illi in canone XVII. deinde ſanciverint? Igitur ſi Principes operam dediſſent, ut poſt Calchedonenſem Synodum novæ orirentur Eccleſiarum metropoles, nihil contra canones agere potuerunt, quando alias provincias Imperio adjecerint, aut veteres ſecuerint. Summa quidem œcumenicorum canonum apud orthodoxos Principes fuit auctoritas. Contemnendus autem eſt Theodorus Balſamon, qui in *can.* 17. *Conc. Calched.*, & *can.* 38. *Sextæ Synodi in Trullo* imperatorii eſſe juris docuit, ut quamvis Reſpublica eodem Magiſtratuum numero contineretur, tamen novi Epiſcopatus vel novæ Metropoles creari poſſent. Is enim Principibus ſui temporis placere exoptabat, qui ſacram omnem politiam in ſua eſſe manu male arbitrati fuerunt. At enim Juſtinianus Imperator Juſtinianæ patriæ ſuæ Epiſcopum Exarchum conſtituit in ſeptem Illyrici provinciis, Dacia mediterranea, Dacia Ripenſi, Mœſia prima, Dardania, Privali, ſecunda Macedonia, & ſecunda Pannonia, quas univerſas Theſſalonicenſi Antiſtiti ademit. Hoc quidem exemplum oppoſuit Grotius, in quo ad cauſſam agendam ſuam nul-

la

la vis ineſt. Nam pius Princeps haud novum in Illyrico Sacerdotium condere, ſed antiquum in ea regione inſtaurare honorem cogitavit, quem, cum Præfectus Prætorio e Sirmio Attilianis temporibus Theſſalonicam ſeſe recepit, ademptum fuiſſe exiſtimabat. Nec porro ille inceptum confecit ſine numine Vigilii Romani Pontificis: Nam in Novella 131. declaravit, Juſtinianæ Epiſcopum, τον τοπον ἐπεχειν ἀυτον του Ἀποστολικου Ρωμης θρονου, κατα τα ὁρισθεντα ἀπο του ἁγιου Παππα Βιγιλιου, *locum tenere Apoſtolicæ Romanæ Sedis ex ſententia eorum, quæ decrevit Papa Vigilius*. Hæc quidem, quæ ſatis probant, Imperatores non ita verſatos eſſe in creandis Eccleſiarum dignitatibus, ut canones abrogarent. De jure autem ipſo quod exſerendum non eſt, niſi Eccleſia conſulatur, multis diſſeruit Petrus de Marca contra *Marcum Antonium de Dominis* in op. *de Con. S. & I. lib.* II. *cap.* 9. *& lib.* IV. *cap.* XIII.

XXII. Alterum eſt, quod Grotius attulit. Nanque dixit, veterem eſſe canonem, qui ſingulis Civitatibus Epiſcopum dari jubeat, contra vero eum canonem Principes egiſſe, qui plures Civitates in unius Epiſcopi juriſdictionem redegerunt. Hoc quum Arminianus objiciat, Principibus tanquam auctoribus ea adſcribit, quæ moribus Eccleſia invexit. Sed locum iſtum paucis percurramus. Apoſtolica quidem ratio fuit, Epiſcopum eſſe creandum in unaquaque Civitate, quæ a Senatu Magiſtratibuſque ſuis regeretur. Paulus enim, cum Titum monuit de conſtituendis Presbyteris in Inſula Creta κατα πολιν *per Civitates*, hoc ei commiſiſſe videtur, ut Presbyteros ſcriberet, iiſque Epiſcopum præficeret in ſingulis Urbibus, quæ civilem Magiſtratum haberent. Ac πολις *Urbs* non modo eam regionem complectebatur, quæ mœnibus continebatur, ſed χωρας ſive oppidula omnia, quæ Urbico Magiſtratui parebant. Dio Chryſoſtomus *orat.* XXXIV. inter cætera, quæ Cæſarem Tarſenſium Civitati conceſſiſſe prodit, vicum quendam reponit, Κἀκεῖνος ὑμιν παρέσχε χώραν, νόμους, τιμὴν, ἐξουσιαν κ. λ. *ille vero vobis dedit vicum, leges, honorem, poteſtatem*. Xiphilinus docuit Byſantium quaſi vicum ad Perinthiorum Civitatem pertinuiſſe, Τὴν πόλιν τε, καὶ τὴν χώραν ἀυτης Περινθίοις ἐχαρίσατο, καὶ ἀυτη ἐκεῖνοι οἷα κώμη χρώμενοι, *Urbem omnemque ejus regionem Perinthiis conceſſit, qui Byſantio uſi fuere tanquam vico*. Daphnen ab Antiochia XL. ſtadiis recedentem ejus Urbis προάστειον *ſuburbanum* vocavit Sozomenus *lib.* V. *cap.* XIX. Locus nomine *Decimus* Carthaginenſium erat, licet ab eorum Urbe X. milliaribus procul eſſet: Nam teſte Procopio in *lib.* I. *Vandalic. cap.* XVII. Carthaginenſes τῆς πόλεως προάστειον ὃ Δέκιμον καλοῦσι, *Suburbanum Civitatis Decimum vocant*. Hujuſmodi plura exempla leguntur in *Gloſſario* Pithœi in *Novel. Juliani Anteceſſoris* voc. *Proaſtium*. Atque ut in Republica, ſic in Eccleſia quiſque Epiſcopus non modo Civitatem, ſed omnes hujus Regiones gubernabat: quæ tota Univerſitas Παροικία *Paroecia* dicebatur. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus apud Euſebium in lib. VII. cap. XI. quum Tyranni juſſu in Colluthionem abiret, qui locus Mareoticæ erat Præfecturæ, in eo dixit *tanquam in ſuburbanis remotioribus* Synagogas ſive conventus Chriſtianorum futuros, quibus ipſe præeſſet. Ex qua Epiſtola facile cogi & effici poteſt, ſuburbanis Eccleſiis non alium eſſe Epiſcopum, quam eum, qui ſacra factitabat in Civitate. Quod ſi frequens in vicis Chriſtianorum erat multitudo, Epiſcopus Chorepiſcopos ſibi adjungebat, de quibus veteres Synodi ſæpe commemorant. In aliquibus autem pagis quarto ſæculo per Presbyteros Periodeutas Eccleſiæ ruſticanæ procurabantur. Patres Concilii Laodiceni An. CCCLX. ſic decernunt, Ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους ἀλλα περιοδευτὰς, τοὺς μέν τοι ἤδη προκατασταθέντας μηδὲν πραττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἐν τῇ πόλει, *Quod non oportet in vicis & pagis Epiſcopos conſtitui, ſed Periodeutas, hoc eſt circumcurſatores: eos autem, qui prius conſtituti ſunt, nihil agere ſine mente Epiſcopi, qui eſt in Civitate*. Hæc quidem Eccleſiæ erat politia, cui tamen in aliquibus Provinciis derogatum eſt, non Principum Imperio, ſed contrariis moribus. Nicetas Choniates in *Theſauro Orthodoxæ Fidei lib.* 5. *cap.* 5., quo in loco cauſſam quærebat, cur trecenti tantum Antiſtites in Nicænam Synodum venerint, ita ſcripſit, *Quum enim nondum Civitatibus omnibus ſuus Epiſcopus obtigiſſet, eo factum eſt, ut plures id*

 tempo-

temporis non convenerint. Provinciarum enim aliæ uni tantum parebant, ut Scythia, ſeu Ruſſia in hodiernum uſque diem. Aliæ duos aut ad ſummum tres habebant, ut Dalmatia. Poſteriore vero tempore pleriſque non Civitatibus tantum, ſed etiam Oppidis ſui dati ſunt Epiſcopi. Sane de Tomitarum Epiſcopo, quem Principum lege pluribus Civitatibus fuiſſe præfectum Grotius finxit, ante Choniatem Sozomenus prodiderat eum paroeciam tam late patentem *conſuetudine* ſibi vindicaſſe: Etenim *in lib.* VI. *cap.* XXI., Μητρόπολις, inquit, δὲ ἐστι Τόμις, πόλις μεγάλη καὶ εὐδαίμων παράλιος, ἐξ εὐωνύμων εἰσπλέοντι τὸν Εὔξεινον καλούμενον Πόντον. Εἰσέτι δὲ καὶ νῦν ἔθος παλαιὸν ἐνθάδε κρατεῖ, τοῦ παντὸς ἔθνους ἕνα τὰς Ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν, *Metropolis eſt Tomes, Urbs magna & opulenta, ad mare ſita, in ſiniſtro latere Ponti Euxini. Vetus ibi conſuetudo eſt, ut totius Provinciæ Eccleſias unus tantum regat Epiſcopus*. Conſulendus eſt idem Sozomenus in lib. VII. cap. 19.

CA-

A D

C A P U T IX.

EXERCITATIO CRITICA.

I. *Brevi ſermone omnia exponuntur, quæ Grotius fudit in hoc capite.*

II. *De excommunicatione, quæ in more erat apud Hebræos. Illius origo inveſtigatur. Ea non a Sacerdotibus, ſed a Principibus Hebræis ferebatur, & primum a Populi conſenſu, deinde ab* αὐτονομίᾳ ſuarum legum poteſtate *ipſis conceſſa vim habebat ſuam.*

III. *De abdicatione ſacrorum Paſtorum. Ea pœna eccleſiaſtica eſt. Explicantur exempla, quæ Grotius contra protulit.*

IV. *Diſſeritur de ſacra Epiſcoporum præfectura. Duplicis generis poteſtas erat Apoſtolis, altera quæ extra ordinem iis obtigit, altera vero, quæ in Epiſcopos demigravit. Expromitur ea, quæ extra ordinem data eſt. Diſputatur an ad illam referri poſſit hujuſmodi pœna, quam Apoſtolus ab iis repetebat, quos Satanæ tradebat.*

V. *De poteſtate, in quam Epiſcopi ſucceſſere. Ea clavium juriſdictio eſt, quæ tamen ad animos ſolum pertinet.*

VI. *Aperitur ſententia Patrum, quos Grotius oppoſuit.*

VII. *Diluitur argumentum, cujus vis ex eo oriebatur, quod Paſtores nihil agant, ſi claves non recte adminiſtrent.*

VIII. *Concluditur, Sacerdotibus Chriſtianis juriſdictionem eſſe, quæ in regendis animis ad ſempiternam ſalutem verſatur. In hujuſmodi juriſdictione jus nititur repetendarum ſpiritualium pœnarum ab iis, qui peccant.*

IX. *Item jus ferendæ minoris excommunicationis.*

X. *Canonica diſciplina, quæ flagitioſos homines afficiebat, ab Epiſcopis quidem ferebatur, ſed ex divina clavium poteſtate.*

XI. *Ea in re quænam erat Chriſtianorum Principum auctoritas.*

XII. *De juriſdictione, quam Principes Sacerdotibus commiſerunt. Num in ea contineatur cognitio de Religione. Agitur de legibus, in quibus Romani Imperatores civilia negotia ab Eccleſiaſticis disjunxerunt, & hæc Epiſcopis, illa vero Sacerdotibus tribuerunt.*

XIII. *De excommunicatione, quæ major dicitur. Recitatur Grotii eorumque Hæreticorum ſententia, qui negant, illam ex Divinis legibus ortum habere.*

XIV. *Contra plerique ex ipſis Hæreticis ſentiunt.*

XV. *Catholicum dogma comprobatur ex ſtatu, quo Eccleſia continetur, & loco Chriſti, qui eſt apud Matthæum.*

XVI. *Declaratur ſenſus verborum illorum* ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus *contra Seldenum.*

XVII. *Item verborum*, Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis.

XVIII. *Adſtruuntur aliæ Divinorum Scriptorum auctoritates, ex quibus manifeſto efficitur, penes Epiſcopos eſſe poteſtatem ferendæ interdictionis contra illos, qui a pietate recedunt.*

XIX. *Diluitur Grotii argumentum dicentis Chriſtianam cenſuram haud niti in Divina aliqua lege, quam Chriſtus pertuliſſet, ſed ab Hebræorum inſtitutis originem duxiſſe.*

XX. *Quænam auctoritas a Chriſtianis Regibus adhibenda ſit, ſi forte Paſtores clavium poteſtatem non recte adminiſtrarint & Chriſtianis civibus vim intulerint. Refert plurimum ad eam rem, num Paſtores ob civiles, an vero ob eccleſiaſticas cauſſas ſacram ſuam juriſdictionem exercuerint.*

XXI. *Perpendenda omnia ſuſcipiuntur, quæ Grotius ſenſit de Principum jure in conſtituendis canonicis judiciis.*

XXII. *Horum judiciorum ordo ab Imperatoribus ſciſci ſolebat.*

XXIII. *Illuſtrantur exempla, quæ ad hanc*

Imperatorum probandam auctoritatem Grotius collegit.

XXIV. Attamen Principibus jus non eſt judicandi de ſacris negotiis. Explicatur Canon XII. Concilii Antiocheni, qui a Grotio objectus eſt.

XXV. De jure Principum in iis recipiendis, quos ab Eccleſia Epiſcopi alienos pronuntiant.

XXVI. Item in præſidio iis ferendo, qui cenſuris iniquis afficiuntur.

I. DE jurisdictione, quæ penes Chriſtianos Principes reſidet, gerenda contra eos, qui crimen ſibi conſciſcunt in ſacris, Grotius diſputavit in hoc capite. Intellexit vero non modo civilem modicamque coercitionem, ſed ſummam gladii poteſtatem. Complexus eſt primum de more ſuo plura veterum exempla, ex quibus duo præſertim effecit, apud Hebræos in numero politicarum pœnarum eſſe excommunicationem, & in Chriſtiana Eccleſia Principum eſſe partes, ut Clericis ob cauſſas abrogare Sacerdotium poſſint. Deinde quæſivit de Sacerdotium jurisdictione. Atque docuit, apud Gentes quidem & Iſraelitas in more fuiſſe, ut Pontificibus ſæpe Imperium adjungeretur, ſed Chriſtum, ſummum Eccleſiæ conditorem vetuiſſe, ne Chriſtiani Paſtores principatum ullum, aut ἀναγκαστικὴν διάκρισιν *cogendi poteſtatem* haberent. Apoſtolos quidem multa peregiſſe ad continendos in officio Chriſtianos, quæ ſummam animadvertendi poteſtatem oſtendebant, ſed extra ordinem iis temporibus, cum Magiſtratus Eccleſiæ non ferebant præſidium. At nullam illis præfecturam eſſe datam, quæ in ipſo Sacerdotio hæreret. Nec ad jurisdictionem pertinuiſſe claves, quæ verſabantur in repetendis Canonicis pœnis, & in ſacris ita adminiſtrandis, ut ea aliquibus non exhiberentur. Ac veterem illam diſciplinam, quæ contra peccantes Chriſtianos inſtituta eſt, a publicis legibus vim accepiſſe ſuam. Hæc Arminianus, quæ quum multis percurriſſet, tum dixit ſacris Paſtoribus piorum Imperatorum voluntate politicam demum aliquam acceſſiſſe jurisdictionem, eandem nimirum, ex qua illi cognitionibus de Religione præeſſent, clericis antiquare miniſterium poſſent, & nefarios Chriſtianos Eccleſia interdicere, ſive excommunicare. Quoniamque putaſſet, Principes, qui ab Evangelicis præceptis recedunt, a poteſtate clavium non eſſe liberos, ea tamen modeſtia cum ipſis eſſe agendum monuit, ut imperatoriæ majeſtati & nomini conſulatur. Pervenit tandem ad canonica judicia, in quibus conſtituendis ſummam verſari Principum auctoritatem contendit. Hactenus Arminianus.

II. Jamvero univerſa illius diſputatio dividenda eſt, ut, quid in ea pluribus exponendum, quidque reiiciendum ſit, facile intelligatur. Atque primum de cenſura Hebræorum videamus. Triplex erat apud Hebræos τοῦ ἀφορισμου (*excommunicationis*) genus. Primum dicebatur נדוי *Niddui*, & ſolam officiorum fere civilium diſiunctionem continebat. Qui eam pœnam dabant, ad templum quidem accedebant, ſed intra eos fines conſiſtebant, quos ipſis Ethnicis licebat adire. Alterum gravius erat, quo magni alicujus criminis reus arcebatur & diris quaſi ultori Deo ſacer devovebatur: Nomen erat חרם *Cherem* (exſecratio), Græcis anathema, quo afficiebantur ii omnes qui ab ipſa Religionis ſumma deficiebant. Hos Hebræi מומרים, nos ἀποστάτας *deſertores* dicimus. Tertium denique vocabatur שמאתא Samatha *Deus venit*: Nam שם ideſt *nomen* pro Deo Hebræi dicunt. Hoc ipſum Apoſtolus vocavit ἀνάθεμα Μαραναθα (*anathema Maranatha*) ſive *Dominus venit* eundem in ſignificatum. Scilicet precatio ad Deum adhibebatur, ut qui atrociorem aliquam culpam commiſerat, & in eandem alios impellebat, eum coërceret, vel ex numero hominum tolleret. Hæc docuerunt omnes rerum hebraicarum conſulti, quamquam Joannes Seldenus *de Synedriis cap. 7.* poſtremum hoc anathema ab ipſo Cherem non divellit, nec tanquam tertium pœnæ genus exiſtimat. Atque iſta ſive duplex, ſive triplex ratio animadvertendi in Hebræos, qui peccabant, nec ab ipſis Legis verbis, neque ab ullo Divino præcepto initium cepit. Nam ante Babylonicæ captivitatis tempora nec ipſa verba aut nomina *Niddui*, *Cherem* & *Samatha*

tha erant in Hebræorum more. Tum enim minora delicta ſacrificiis expiabantur, majoribus mulcta aut alia coërcitio imponebatur, maximorum criminum comes erat capitis poena. Hæc & ſimilia ſupplicia repetebant ſummi Magiſtratus. At Captivitatis tempore univerſa Hebræorum Reſpublica quum eſſet in manu & ditione Ethnicorum Dominorum, omne imperium & *αὐτονομίαν ſuarum legum poteſtatem* amiſit. Eo enim ſæpe intervallo Hebræorum Principibus atque Ethnarchis principatus quidam datus eſt in ſuos, ſæpe tamen is idem ademptus eſt. Itaque verendum fuit, ne, propoſita plerumque criminum impunitate, populus licenter ageret quidquid ex Moſaicis legibus nefas erat, atque a patriis inſtitutis & moribus deſciſceret. Eam ob rem conſilium initum eſt forte a ſapientioribus, ut quoddam coercitionum genus conſtitueretur ex ipſius Populi conſenſu, quod ſumi poſſet ab omnibus peccantibus civibus ſuis ita ut Dominis, in quorum erant poteſtate, ea res non eſſet offendiculo. Hinc apud Hebræos *excommunicatio* orta eſt, cujus tamen ferendæ poteſtas quaſi publica non penes Sacerdotes, neque penes Legis interpretes, ſed penes Αἰχμαλωτάρχην (*Principem captivorum*), eidemque adjunctos ſeniores reſidebat, quos quamvis nullo imperio præditos, Judæi omnes Magiſtratuum loco reverebantur, eorumque decretis parebant. Atque Hebræi in hujuſmodi ſancienda pœna convenerunt, eandemque conſtituerunt tum ex interpretatione Divinorum præceptorum, tum ex communi ſapientum ratione, quæ docet, nihil eſſe ad ſervandam morum diſciplinam accomodatius, quam numero impiorum & ſceleratorum eos palam exiſtimare, qui officium deſerunt, ubi ſcilicet in hos ipſos ex imperio animadverti non poſſit. Nanque juſſit Deus, Cainum ab omnibus ſacrum & deteſtabilem haberi, licet eum a capitis ſupplicio liberaſſet: ad hoc præcepit, ut qui turpi ſcabie laboraret, ab hominum ſocietate depelleretur, ne in eum morbum alii implicarentur. Ergo ab his præceptis effici potuit, ſegregandos a Synagoga eſſe eos omnes, qui in Divinas leges peccarent, ne cæteris hoc ipſum probrum aſpergeretur. Quod idem ſane ſapientiores ethnici ſanxerunt. In Gallia Druides Sacerdotes pertulerant, ut *qui decretis ſuis non ſtarent*, eos *ſacrificiis interdicerent*. *Quibus ita interdictum erat*, inquit Cæſar, *ii numero impiorum ac ſceleratorum habebantur. Iis omnes decedebant, aditum ſermonemque defugiebant, ne quid ex contagione incommodi acciperetur*. Horum ſimiles erant Romæ, qui aqua & igni prohibebantur, & in Græcia *οἱ ἀγορᾶς καὶ λιμένων εἰργόμενοι qui foro & portubus depellebantur*, & porro *οἱ ἐκκηρυττόμενοι qui voce præconis publice erant exterminati*. Atque hanc coërcitionem fuiſſe paulo frequentiorem oſtendit Sophocles, qui in Oedipo Tyranno eam ſic exprimit,

> Τὸν ἄνδρ᾽ ἀπαυδῶ τοῦτον ὅστις ἐστὶ γῆς
> Τῆς δ᾽ ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
> Μήτ᾽ εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα.
> Μήτ᾽ ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασιν,
> Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν,
> *Veto ne quis iſta ſola colens, quorum mihi*
> *Sedes datæ ſceptrumque, quem ſigno virum*
> *Domo recipiat hoſpitem, aut paret alloqui,*
> *Aut in Deorum ſinat honore aut victimis*
> *Habere partem, ſumere aut latices ſimul.*

Xenophon in Hierone, *Πεποίηνται πολλοὶ νόμον τῷ μιαιφόνῳ μηδὲ τὸ συνόντα καθαρεύειν, fecerunt multi legem, ne purus eſſet, qui cum homicida conviveret*. In epiſtola Philippi ad Athenienſes, *Εἰς τοῦτο ἐλήλυθεν ὁ δῆμος ὥστε μυστηρίων εἴργειν αὐτοὺς, Eo venit populus ut illos a myſteriis arceret*. Nicolaus Damaſcenus de Cercetis Indiæ populo, *τοὺς ἀδικήσαντας ὁτιοῦν τῶν ἱερῶν ἀπείργουσι, Eos qui quovis modo injuriam fecere, arcent a ſacris*. At eo revertamur, unde diſceſſimus. Hujuſmodi nimirum pœna apud Hebræos quamvis ab origine in ſolo Populi conſenſu niteretur, tamen data iiſdem *αὐτονομίᾳ legum ſuarum copia*, ab imperio vim habuit ad reos obſtringendos. Eſdras, convocato Hieroſolymis cœtu, in eum, qui ſe non ſtitiſſet, ita ſanxit, *Ipſe abjicietur de Synagoga*

ga tranſmigrationis: LXX. ita convertunt, Καὶ αὐτὸς διασταλήσεται ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἀποικίας, *Ipſe exterminetur ab Eccleſia tranſmigrationis*. Joſephus, ἀπαλλοτριωθήσεται τοῦ πλήθους, *alienus erit a populo*: Ex quibus facile intelligimus, Synagogam non ſignificare τὸ διδασκαλεῖον (*locum, in quo lex docebatur*,) ſed omnem Populi conventum: unde ἀποσυνάγωγοι *apoſynagogi* hoc eſt qui ab Eccleſia erant exterminati. Conſiderat hoc decretum Eſdras, quippe Ethnarcha a Rege conſtitutus conſilio aliorum Populi Principum. Sic enim legimus in decreto, quod ita converſum eſt a ſeptuaginta, ὡς ἂν ἡ βουλὴ τῶν ἀρχόντων καὶ τῶν πρεσβυτέρων, *ſecundum conſilium Principum & Seniorum*. Tum vero Hieroſolymis in Romanorum ditionem redactis, ex Imperio Hebræis permiſſo latæ fuerunt ſanctiones, ex quibus facinoroſi Judæi a Synagoga depellebantur, ſive excommunicabantur. Nanque tum Julius, tum Octavius conceſſerunt, ut Reſpublica Hebræa inſtitutis & legibus viveret ſuis, non modo in Palæſtina, ſed in ſingulis Romani orbis provinciis, quod memoriæ mandavit Flavius Joſephus *Ant. Jud. lib.* XIV. *cap.* 17. *& in lib.* XVI. *cap.* 10. Idem in *libro decimo nono cap.* 14. teſtis eſt, Auguſtum juſſiſſe, Alexandrinos Judæos Ethnarchæ ſuo ſubeſſe, & ἑκάστους ἐμμένοντας τοῖς ἰδίοις ἔθεσι, καὶ μὴ παραβαίνειν ἀναγκαζομένους τὴν πάτριον θρησκείαν *ſuis in moribus manere, nec cogi patriam tranſgredi religionem*. Hanc αὐτονομίαν ſive *legum ſuarum libertatem*, cum Alexandrinis Caius Caligula ademiſſet, tamen non ſolum his, ſed omnibus per orbem Romanum Judæis eandem reddidit Claudius Imperator Herodis & Agrippæ rogatu in edicto celeberrimo apud Joſephum *lib.* 19. *cap.* 14., quod hic exſcribimus, Τιβέριος, Κλαύδιος, Καῖσαρ, Σεβαστὸς, Γερμανικὸς, Ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας, ὕπατος χειροτονηθεὶς τὸ δεύτερον λέγει, Αἰτησαμένων με βασιλέως Ἀγρίππου καὶ Ἡρώδου τῶν φιλτάτων μοι ὅπως συγχωρήσαιμι τὰ αὐτὰ δίκαια καὶ τοῖς ἐν πάσῃ τῇ ὑπὸ Ῥωμαίοις ἡγεμονίᾳ Ἰουδαίοις φυλάσσεσθαι καθὰ, καὶ τοῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἥδιστα συγχώρησα οὐ μόνον τοῖς τὸ ὑπὸ τοῖς αἰτησαμένοις με χαριζόμενος, ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ὧν παρεκλήθην ἀξίους κρίνας διὰ τὴν πρὸς Ῥωμαίους πίστιν καὶ φιλίαν, μάλιστα δὲ δίκαιον κρίνων μηδὲ μίαν μηδὲ Ἑλληνίδα πόλιν τῶν δικαίων τούτων ἀποτυγχάνειν, ἐπειδὴ καὶ ἐπὶ τοῦ θείου Σεβαστοῦ αὐτοῖς ἦν τετηρημένα. Καλῶς οὖν ἔχειν καὶ Ἰουδαίους τοὺς ἐν παντὶ τῷ ὑφ' ἡμᾶς κόσμῳ τὰ πάτρια ἔθη ἀνεπικωλύτως φυλάσσειν, οἷς καὶ αὐτοῖς ἤδη νῦν παραγγέλλω, μου ταύτῃ τῇ φιλανθρωπίᾳ ἐπιεικέστερον χρῆσθαι, καὶ μὴ τὰς τῶν ἄλλων ἐθνῶν δεισιδαιμονίας ἐξουθενίζειν, τοὺς ἰδίους δὲ νόμους φυλάσσειν. Τοῦτο μου τὸ διάταγμα τοὺς ἄρχοντας τῶν πόλεων καὶ τῶν κολωνιῶν καὶ μουνικιπίων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ τῶν ἐκτὸς, βασιλεῖς τε καὶ δυνάστας διὰ τῶν ἰδίων πρεσβευτῶν ἐγγράψασθαι βούλομαι, ἐκκείμενον τε ἔχειν, οὐκ ἔλαττον ἡμερῶν τριάκοντα, ὅθεν ἐξ ἐπιπέδου καλῶς ἀναγνωσθῆναι δύναται, quæ ita ſonant, *Tiberius, Claudius, Cæſar, Auguſtus, Germanicus, Pontifex maximus, Tribunitiæ poteſtatis Conſul creatus iterum edicit; Petentibus a me Agrippa & Herode regibus mihi amiciſſimis, ut permitterem etiam Judæis in Imperio Romano toto degentibus jura eadem ſervare & habere, quæ Alexandrinis conceſſa, libenter precibus eorum annui, nec ſolum iis, qui a me rogarunt, hoc indulſi, verum etiam ipſos, pro quibus rogatus ſum, dignos judicavi propter fidem & amicitiam Romanis præſtitam; juſtiſſimum vero cenſens, nullam ne Græcam quidem Urbem privandam juribus illis, quandoquidem & ſub Divo Auguſto eis erant ſervata. Optimum igitur decerno etiam Judæos per univerſum noſtrum Imperium patrios mores ſine impedimento aliquo ſervare, quos etiam nunc moneo, ut hac noſtra gratia contenti modeſtius ſe gerant, nec Religiones aliarum Gentium vilipendant, proprias autem ſibi leges ſervent. Atque hoc meum edictum ut Judices ſive Gubernatores Civitatum atque Coloniarum & Municipiorum tam intra Italiam, quam extra, uti etiam Reges & Principes per Miniſtros ſuos tranſcribant volo, atque non minus quam per triginta dies ita publice illud exhibere, unde de plano recte legi poſſit*. Id edictum Petronius Syriæ Præſes *in epiſtola ad Doritas* apud eundem Joſephum *lib.* 19. *cap.* 6. uſque adeo valere putavit, ut Judæi non modo ἰδίοις ἔθεσι χρῆσθαι *propriis inſtitutis uti* poſſent, ſed etiam συμπολιτεύεσθαι *par habere Civitatis jus* cum Græcis, in quorum urbibus verſabantur. Expoſitum eſt Imperatoris Claudii edictum. Porro plures ab eo Principes

cipes etiam Chriſtiani eandem Hebræis legum ſuarum poteſtatem fecerunt, quorum leges in Theodoſiano Codice inſpicimus. Igitur perſpicuum eſt, Hebræos ad conſervandam diſciplinam in eo conveniſſe ut cives ſui a ſacris & officiorum ſocietate divellerentur, ſi in leges ſuas peccarent, hanc pœnam a Principibus eorum fuiſſe repetitam ea juriſdictione, quæ ex conſenſu oriebatur, ſed facta ipſis morum ſuorum poteſtate a Regibus & Imperatoribus, quibus parebant, eandem fuiſſe impoſitam ex imperio, quod detrectari non poterat. Hactenus de illa coercitione, quæ apud Hebræos *excommunicatio* dicebatur, de qua idem ipſe Grotius *ad Lucam cap. 6. v.* 22., & Joannes Seldenus *de Synedriis in libro primo cap* 7. & 8.

III. De iſraelitico cenſuræ genere hactenus equidem. Sed ab eo in pluribus diverſa eſt Chriſtiana cenſura, quæ nihil politici juris habet & ab Eccleſiaſtico Ordine peragitur. Hoc paulo poſt dicetur. Sic enim agimus, ut nos Grotii ducit oratio. Is igitur, cum non intellexiſſet, aut intelligere noluiſſet quid inter Eccleſiam & Synagogam differret, imprudenter cenſuit, Principum Chriſtianorum eſſe poteſtatis, ut Præſules ſacro munere ſive divino miniſterio abdicare poſſint: quod nunc paucis reiiciamus oportet. Latinum iſtud *abdicare miniſterio Sacerdotes ſuo* a Græcis Patribus dicebatur καθαιρεῖν, & abdicatio καθαίρεσις. Quidquid hoc erat, Clericos ſolos afficiebat, quod nos docuit Zonaras ad Canonem LXXXVI. Trullanæ Synodi, Ἀντὶ, inquit, πάσης ἑτέρας τιμωρίας, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τοῖς κεκληρωμένοις ἀρκεῖν νενομοθέτηται ἡ καθαίρεσις, *ſancitum eſt, ut loco univerſæ alterius coercitionis plerumque ſatis ſit gradus abdicatio ad puniendos Clericos*. Verum omnis ea pœna erat duplex, altera, quæ Clericos tantum procuratione ſacrorum arcebat, altera, quæ iis ſic gradu dejectis Eccleſiaſtica officiorum ſocietate interdicebat. Hæc vocabatur τελεία καθαίρεσις *plena depoſitio* in Nomocanone Photiano *tit.* XIII. *cap.* II., & in Jure Græco-Romano. Idem Zonaras ad *Can.* XI. *Apoſt.*, Τῶν καθαιρουμένων τινὲς μὲν μόνης ἱερουργίας κωλύονται, οὐ μέν τοι καὶ κοινωνίας, ἢ τοῦ συνεκκλησιάζειν. οἱ δὲ, τῇ καθαιρέσει καὶ ἀκοινώνητοί εἰσι, καὶ ἀφωρισμένοι, *Eorum, qui deponuntur, alii quidem a ſola depelluntur ſacrarum rerum adminiſtratione, a communione vero non item, quæ vocatur eccleſiaſtica: alii vero non tantum deponuntur, ſed etiam communione eccleſiaſtica privantur, ſive excommunicantur*. Utriuſque pœnæ imponendæ poteſtas reſidet penes Epiſcoporum cœtum. Iſtud facile exquiſitis argumentis, & univerſæ antiquitatis teſtimoniis confici poteſt. Sed nos paucis tantum diſſeremus de abdicatione ſolius miniſterii, de qua Grotius diſputavit. Atque ea res ab initio in eorum ditione fuit, qui Eccleſiis præerant. Auctor nobis eſt Clemens primus Apoſtolorum æqualis in epiſtola, quam nomine Romanæ Eccleſiæ ad Corinthios conſcripſit. De ea epiſtola, quam Patricius Junius in Anglia evulgaverat, ab Hieronymo Bignonio in Parienſi Curia Regia advocato Grotius ipſe conſultus ſic reſpondit *Quod unum potui, epiſtolam illam legi relegique aliquoties, & omnibus, quantum mearum eſt virium, expenſis, aliter exiſtimare non valui, quin hæc ſit eadem, quam legit Photius, cujus tempore cum extiterit, non mirum eſt, ſi ad noſtra tempora in ſanctioribus libris ſervata fuerit* .... Cumque plura dixiſſet, *Hæ ſunt cauſſæ, cur ego hanc epiſtolam non modo genuinam arbitrer, ſed & nulla in ea manus adulteræ veſtigia agnoſcam*. Id judicium legitur in litteris Grotianis, quæ ſunt numero CLIV. inter eas, quæ ad Gallos miſſæ fuerunt. Igitur audiamus Clementem Apoſtolicum virum. Is Corinthiis ſuccenſuit, quod nonnullis Paſtoribus Sacerdotium ademerint, Τοὺς, inquit, οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων, ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης, καὶ λειτουργήσαντας ἀμέμπτως τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μετὰ ταπεινοφροσύνης .... τούτους οὐ δικαίως νομίζομεν ἀποβαλέσθαι τῆς λειτουργίας, *Conſtitutos ab illis* (Apoſtolis) *vel deinceps ab aliis eximiis viris* (Epiſcopis Apoſtolicis), *conſentiente ac comprobante univerſa Eccleſia, qui inculpate ovili Chriſti miniſtraverunt cum humilitate* ... *hos putamus officio injuſte deturbari*. Expoſtulavit nimirum Pontifex cum Corinthiis, quod aliquos probos Paſtores abdicaſſent, eoſdem, quos Apoſtoli, vel alii Antiſtites conſtituerant: ex quo neceſſe fuiſſe plane præcepit, ut ſi qui Paſtorum ab officio recede-

cederent, eorum nomina ſacris Præſulibus deferrentur, a quibus judicari poſſent. Itaque vetus lex eſt, jam uſque ab Apoſtolicis rogata temporibus, iſtud, quod eſt clericos gradu deiicere, ad Eccleſiaſticos viros pertinere. Eandem legem Concilia juſſerunt. In iis enim ſancitum eſt, Epiſcopos cogi non poſſe Sacerdotio decedere, niſi a Synodo provinciali, ſed presbyteros & diaconos dignitatem ſuam amittere unius Antiſtitis ſententia, ita ut iis ad provincialem Synodum eſſet provocatio. Et, licet hæc canonicorum judiciorum temperatio parumper mutaretur, id tamen perpetuum fuit, ut iis Eccleſiaſticus Ordo præeſſet. In aperta diſciplina canones proferri non oportet, quos quidem enumerare longum foret. Hoc Chriſtianis Imperatoribus & Regibus tributum eſt univerſæ antiquitatis conſenſu, ut Clericis, qui ad ipſos ſeſe contuliſſent, & fraudem ſibi eſſe factam in provincialibus conventibus doluiſſent, majores Synodos darent, quæ & finitimis Epiſcopis ſæpe ſociarentur. Eximium id illorum jus conſtitutum eſt in XII. antiocheni Concilii canone, quem mox explicandum ſuſcipiemus. Attamen iidem optimi Principes ea pietate excelluerunt, ut Synodicis decretis publicum robur adjungerent, & ab illis, qui non parerent, publicas pœnas repeterent. Gratianus multorum Imperatorum exemplo juſſit Priſcillianiſtas, qui Sacerdotium non depoſuerant, quo eos Synodus Cæſar-Auguſtana abdicaverat, ab Urbibus longe arceri ſuis: quod quidem Sulpitius Severus *in libro 2. cap. 47. Sacræ Hiſtoriæ* memoriæ prodidit, *Poſt multa*, inquit, *& fœda Idacio ſupplicante elicitur a Gratiano tum Imp. reſcriptum, quo univerſi Hæretici* (Præſules Priſcillianiſtæ) *excedere non Eccleſiis tantum, aut Urbibus, ſed propelli jubebantur extra omnes terras*, ſive, interprete Jacobo Gothofredo, extra centeſimum lapidem ab iis regionibus, in quibus verſabantur. Gratianum ſequutus eſt Honorius *in lege* XXXV. *C. Th. de Epiſcopis, Eccleſiis & Clericis* quæ deſcripta eſt ex reſcripto ad Hadrianum Præfectum prætorio Italiæ. *Quicunque*, ait, *reſidentibus Sacerdotibus fuerit Epiſcopali loco detruſus & nomine, ſi aliquid vel contra cuſtodiam, vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehenſus, rurſuſque Sacerdotium petere, a quo videtur expulſus, procul ab ea Urbe, quam infecit, ſecundum legem Divæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat: Sit ab eorum cœtibus ſeparatus, a quorum eſt ſocietate dejectus: ſitque hujuſmodi perſonis tenore hujus legis inlicitum, ſacra noſtra adire ſecreta & impetrare reſcripta: omnibus abjectis per culpam Sacerdotio perſonis, quæ impetrata ſunt, infecta permaneant: ſcituris his, quorum defenſione nituntur, abſque ſui reprehenſione non futurum, ſi hoc eis pollicentur ſuffragium, qui Divinum non videntur meruiſſe judicium.*

Jamvero nihil Grotius attulit, ex quo efficiatur, pios Principes ad arbitrium ſuum jure illud revocare, ut decernant Paſtores Sacerdotio eſſe orbandos. Dixit quidem, Illis cives licere ſuos depellere a quibuſvis muniis, iis etiam, quæ ab imperio politico originem non habent. Sed hoc, quod loco rationis exiſtimavit, idem ipſum eſt, de quo agitur, an nimirum Chriſtiani Principes ſacros Paſtores abdicare miniſterio poſſint, quod divinum eſt, & per alios Paſtores iis creditum delatumque eſt. Exprompſit ſane Arminianus piorum Imperatorum exempla, qui de abjiciendis ſacerdotibus jus dixerint. De his igitur videamus. Atque omnia, quæcunque proferri potuere, ſolum declarant, Imperatores Eccleſiis vi publica dejeciſſe eos Paſtores, quos Synodi Sacerdotio depulerint, vel ipſas Synodos, ad quas negotium pertinebat de Paſtoribus, quos improbos credebant, deponendis monuiſſe. Alterutrum quidem illi egere, niſi qui ab hæreticorum partibus ſtarent. Hi enim Catholicos Epiſcopos ab Eccleſiis arbitratu ſuo ejiciebant, & in horum locum alios ſubſtituebant. Perpendamus ea, quæ geſta fuere ab Imperatoribus, quos Arminianus memoravit. Inter eos primus prolatus eſt Theodoſius Magnus. Is plures Epiſcopos, ſed hæreticos ab iis Urbibus exterminavit, in quibus ſacra adminiſtrabant. Nam, teſte Sozomeno *in libro 6. cap. 26.*, ἀρχηγοὺς τῶν αἱρέσεων ἐκ τοῦ συχνοτέρου τῆς ἀρχομένης εἰς ἐρημοτέρους τόπους ἐχώρησεν, *Hæreſeon auctores ex amœnioribus locis Imperii Romani in regiones deſertas & ſquallidas deportavit.* Atque quidem in lege XIII. *Cod. Theod. de Hæreticis* Cynegio

gio Præfecto Prætorio an. 384. mandavit, ut presbyteros & Epiſcopos Eunomianos, Macedonianos, Arianos, nec non Apollinarianos *omnibus Urbis latebris pellerentur* .., *ac penitus a bonorum congreſſibus ſepararentur*. Porro contra eos ipſos an. 388 ſcripſit legem, quæ eſt XIV. in eodem Codicis Theodoſiani titulo, *Apollinarianos*, inquit, *ceteroſque diverſarum hæreſum ab omnibus locis jubemus inhiberi, a mœnibus Urbium, a congreſſu honeſtorum, a communione Sanctorum: inſtituendorum Clericorum non habeant poteſtatem: colligendarum Congregationum vel in publicis vel in privatis Eccleſiis careant facultate: nulla iis Epiſcoporum faciendorum præbeatur auctoritas: ipſi quoque Epiſcopi nomine deſtituti appellationem hujus dignitatis amittant*: Sic edicebat optimus Imperator poſt C-Politanam Synodum, quæ anno 383 omnes eos hæreticos condemnaverat, Eccleſiiſque interdixerat: Iſtud enim ſtudebat, ut canonicis decretis firmitatem adderet, illoſque, qui Synodis non obtemperabant, a civium cœtibus divelleret & in exilium ageret. Sunt porro Honorius & Arcadius in eorum numero, quorum juſſis Sacerdotes munere ſuo fuiſſe abdicatos, Arminianus putavit. At Honorius perperam nominatus eſt, qui ad defendendam eccleſiaſticorum judiciorum auctoritatem eas leges dixit, quas de coercendis Eccleſiæ miniſtris pertulit. Argumentum duci poteſt ex lege XXXV., quam *ex Theod. Cod. de Epiſcopis* paulo ante deſcripſimus. Arcadius autem conſilium ceperat deponendi Joannis Chryſoſtomi, ſed cavit ne tantum crimen ipſe committeret. Nam Synodo, quam C-Poli coegerat, auctor fuit, ut ſententia in illum pronuntiaretur: Is tantum viſus eſt ſynodico decreto aſſenſionem adhibere, illudque publice vindicare. Plane Socrates in *lib.* VI. *cap.* 18. Δηλοῖ οὖν ὁ βασιλεὺς τῷ Ἰωάννῃ, μὴ δύνασθαι εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἐλθεῖν, ὅτι δύο αὐτοῦ κατεψηφίσαντο Σύνοδοι . . . . χειροτονεῖται Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Ἀρσάκιος, *Imperator igitur Joanni ſignificavit, non poſſe ſe ad Eccleſiam venire, eo quod ille duabus jam Synodis eſſet condemnatus . . . Arſacius C-Poleos Epiſcopus conſtituitur*. Pergamus ad alios Principes quos nobis Grotius objecit: Reliqui enim ſunt Theodoricus & Ottones. Gothicus ille Rex Arianus erat, Arianiſque ſummo ſtudio favebat. Catholicos Epiſcopos oderat, in his Joannem I. Papam Pontificatu deturbavit, ac in vinculis morte affecit. In crimen enim vocatus ſanctiſſimus Pontifex, quod C-Polim miſſus rem non ita geſſerat, ut Juſtini Imperatoris animum ab Arianis in Oriente perdendis avocaret. Audaciſſimum Regis facinus, quod oblivione potius obruendum eſſet, quam nonnemo orthodoxis Regnorum & Rerumpublicarum moderatoribus ad imitandum proponeret. Jamvero inter Ottones is, qui primus fuit Imperator, vir ſane eximius & de Eccleſia optime meritus, quamvis plurimam operam dediſſet, ut duobus Romanis Præſulibus Pontificatus abrogaretur, attamen non ipſe jus dixit, ſed ab iis, penes quos ea poteſtas erat, dicendum curavit. Cognoverat ille a Romanis, Joannem XII., Pontificem juvenem, qui Alberico Patre natus, Octavianus antea dicebatur, tam multis vitiis eſſe obrutum, ut omnium voluntate judicioque damnaretur. Tum quidem Princeps nihil durum deliberavit: Nam in ſpem venit, ſi hominem qui propter juventutem nec ſibi, nec dignitati ſuæ conſulere ſciviſſet, liberaliter moneret, eum ad ſeſe propediem rediturum. Sed illum opinio fefellit ſua. Nam Pontifex contra fidem, quam juratus ei ſpoponderat, cum Adalberto Berengarii filio conſilia inivit, eundemque Romam evocavit. Quod cum Otho accepiſſet, ad Urbem magno cum exercitu acceſſit, & fugientibus hoſtibus, concilium Epiſcoporum coegit. In eo quæſtiones inſtituuntur de Joannis flagitiis. Hic ſemel & iterum vocatur: at vitæ ſuæ ratione evictus ora Judicum Epiſcoporum aſpicere, aut os ſuum Imperatori oſtendere non audet. Decretum eſt, ut is pontificia dignitate orbaretur, & in ipſius locum alter ſubſtitueretur. Creatus eſt Leo octavus Pontifex omnium conſenſu, diſcedenſque Imperator contra Adalbertum hoſtem ſuum ſtatim exercitum duxit. Per illud tempus Joannes Romam petiit, & dejecto Leone factionis ſuæ opibus Pontificatum iterum arripuit: cumque non multos poſt menſes occubuiſſet, ei ſubrogatus eſt Benedictus Quintus. His rebus nuntiatis Otho Urbem rediit eo animo, ut Romanos ulciſceretur, qui ſacramentum non ſervaverant, quod antea ei dixerant,

ſeſe neminem in Pontificem cooptaturos, niſi eum, in quem ipſe, & ipſius Liberi conſentirent. Hi metuentes, ne bello conficerentur, ab incepto abierunt, & Leonem ſibi Papam adſciverunt, qui deinde Benedictum quintum abdicavit, detractoque ſacerdotio haberi in ordine Diaconorum juſſit, e quo ad Pontificatum pervenerat. Hæc omnia evenere, auctore & imperante Othone primo, quæ accurate memoriæ prodiderunt ſcriptor appendicis ad hiſtoriam Luitprandi Ticinenſis *in lib.* VI. *cap.* VI., continuator Chronicorum Reginonis *ad annum* DCCCCLXIII., Adamus Bremenſis Canonicus *in lib.* II. *hiſt. Eccleſ. cap.* V., ſcriptor Anonymus, qui Farfenſis Monaſterii Chronicon excerpſit, Sigebertus *in Chronico ad an.* DCCCCLXIII., Martinus Polonus *in Chronico de vitis Pontificum*, Æneas Sylvius *in lib.* III. *Epitom. Decad. Blondi* aliique complures. Ex his conſtat, Othonem cum Joanne XII., & Benedicto ita egiſſe, ut non is pontificiam auctoritatem ipſis abrogaverit, ſed negotium ad Romanam Synodum, & ad alterum Papam, cui favebat, prorſus rejecerit. De jure Romanæ Synodi pluribus differunt Baronius & Natalis Alexander *in diſſ.* XVI. inter eas, quas ad ornandam Sæc. X. hiſtoriam conſcripſit. Nos enim, quod opus erat, ſatis docuimus, eorum Principum, quos Grotius commemoravit, neminem unquam commiſiſſe, ut de antiquandis ſacerdotiis decerneret.

IV. Accedamus ad eum locum, in quo Grotius univerſam ſacris Eccleſiæ adminiſtris adimere juriſdictionem conatur, illam ſcilicet, quæ ex divino jure ad Religionis conſervationem iis mandata ſit, & ad animos reſpiciat. Hoc enim contendit, ut quidquid ex novi Teſtamenti tabulis argumento eſſe poſſet ad eam rem efficiendam, is aut ad poteſtatem quandam, quæ extra ordinem Apoſtolis credita fuit, aut alіorſum referat: At contra Catholici omnes omnium temporum docent, ſacro Epiſcoporum ordini Chriſtum quidem quolibet politico imperio & principatu interdixiſſe, ſed nihiloſecius eam iis juriſdictionem dediſſe, quæ tota in regendis animis verſetur, & pœnas ad hos ipſos obſtringendos accommodatas imponere poſſit. Duplicem penes Apoſtolos poteſtatem reſediſſe ex ſacris litteris accipimus, alteram, quam Deus iis commiſit, eo ſpectantem, ut novum Dei fœdus ad homines primum facile perferretur, alteram vero quam illi habuerunt, ut poſſent Eccleſiam gerere eamque optime adminiſtrare. Prior quidem, cum ad condendam Eccleſiam eſſet data, demortuis Apoſtolis, fere ceſſavit. In multis autem iiſque maximis rebus, quas eadem complectebatur, divina illa erat virtus qua peccantes Chriſtiani corripiebantur, ſimul atque Apoſtoli juſſiſſent. Hæc virtus in epiſtola prima ad Corinthios *virga* appellatur, qua in hos Apoſtolus ſeſe animadverſurum dicit. Sic enim eos affatur, τι θελετε; Ἐν ῥαβδῳ ἔλθω προς ὑμας, *quid vultis ? in virga veniam ad vos :* hoc eſt, cum venerim Corinthum, Dei gladium & ſeveritatem in vos diſtringam. Eandem, quæ in ſeipſo divinitus inerat, vim Apoſtolus deſcribit in epiſtola ſecunda ad Corinthios capite decimo tertio, in qua his eos alloquitur, *ideo hæc abſens ſcribo ut præſens non ſeverius agam* κατὰ τὴν ἐξουσιαν ἣν ἔδωκε μοι ὁ Κυριος εἰς οἰκοδομὴν, καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν *ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi ad publicum Eccleſiæ bonum, non autem ad damnum.* Nec alio is ipſe reſpexit in ejuſdem Epiſtolæ *capite decimo commate ſexto*, cum affirmat, ſe in animum induxiſſe, ἐκδικῆσαι πασαν παρακοην *ulciſci omnem inobedientiam.* Ita coram Petro *act.* V. mortem oppetiverunt Ananias & Sapphira. Ille, cum Apoſtolos fallere ſtuduiſſet, ut lucro inhiaret, ob hanc fraudem πεσὼν ἐξέψυξε *cadens expiravit*, hæc vero, quæ idem crimen ſibi conſcivit, Ἔπεσε δὲ παρα χρῆμα . . . καὶ ἐξέψυξεν *cecidit confeſtim . . . & expiravit*. Diſpiciamus vero an in hujuſmodi coercitionum genere, quas Apoſtoli ex ſingulari Dei conceſſu ferebant, ea pœna contineatur, quam Paulus primum repetiit a Corinthio, qui uxorem Patris duxerat I. Cor. V. 5., deinde ab Hymenæo & Phileto I. Tim. I. 20. Nanque illum *tradidit Satanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit die illo Domini Jeſu*, hos vero eidem dedit *ut caſtigati diſcerent non blaſphemare*. Hac de re duæ ſunt doctiſſimorum virorum, & diſcrepantes ſententiæ. Complures putant, id, quod Apoſtolus dicit in manum & ditionem Satanæ dedere, idem

idem valere, atque *excommunicare*, ſiquidem omnes, qui ab Eccleſia officiorum ſocietate disjuncti ſunt, cacodæmonis tyrannidi pareant neceſſe eſt, cujus in eos magnum eſt imperium, quos Eccleſia complexu non continet ſuo. In his ſunt Balſamon & Zonaras *in Baſil. can.* VII., Guilielmus Eſtius *in* 1. *Corin.* v. 5., & *not. in can. Apoſt.* x. Beveregius. Cumque ſic ſentiant, ex eo efficiunt, hoc ipſum, quod eſt *tradere Satanæ*, non modo in Apoſtolorum fuiſſe juriſdictione, ſed ad univerſos, qui iis ſucceſſerunt, Epiſcopos pertinere. Alii cenſent, Apoſtolum, cum facinoroſos illos homines ſatanico imperio ſubeſſe juſſit, reipſa malis atque ærumnis afficiendos tradidiſſe, idque egiſſe eadem virtute, qua contra naturæ leges miracula efficiebat. Itaque colligunt, ſingularem eam fuiſſe Apoſtolorum poteſtatem, quam Epiſcopi ſibi adſcribere non poſſint. Hi ſunt Petrus Molinæus *in Vate lib.* 1. *cap.* 11., Ludovicus Cappellus *ad Joan. q.* 22., Grotius *hic*, & *in* 1. *Cor.* v. 5., Seldenus *de Synedriis in libro* 1. *cap.* 8., Henricus Hammondus, & Linghfootus. Fidem ſequi videntur Patres cum græcos, tum latinos, qui homines ab Apoſtolo Satanæ traditos eodem exiſtimarunt loco, atque ad corporis cruciatus, direptiones, ægrotationes, atque ad cæteras hujuſmodi vexationes condemnatos. Chryſoſtomus *Hom.* v. *in* 1. *Tim. pag.* 1547. (*pag.* 436. *ed. Francof.*) ὥσπερ, inquit, οἱ δήμιοι μυρίων γέμοντες κακῶν τοὺς ἄλλους σωφρονίζουσιν, ὅυτω καὶ ἐνταῦθα ἐπὶ τοῦ πονηροῦ δαίμονος . . . . ὅυτω καὶ ὁ Ἰὼβ παρεδόθη τῳ Σατανᾳ ἀλλ' ἐκεῖνος ὀυχ ὑπερ ἁμαρτηματων, ἀλλ' υπερ πλειονος ἐυδοκιμησεως, *quemadmodum Carnifices innumeris ſceleribus pleni caſtigant alios: ita & heic de nequiſſimo dæmone dicitur . . . . Ita & Job Satanæ traditus eſt, non tamen delictorum cauſſa, ſed ut majora referret virtutis proemia*. Chryſoſtomo concinit Theodoretus *in* 1. *Tim.* 20., qui, cum meminiſſet Hymenæi & Alexandri, ſic pergit, τῳ διαβόλῳ . . . παρέδωκε τουτους ὡς δημιῳ πικρῳ, *Apoſtolus tradidit eos Satanæ, ut ſævo Carnifici*. Porro Auguſtinus, quamvis neget, eos qui Satanæ dedebantur, mortem ſubiviſſe, tamen affirmat, in id diſcrimen fuiſſe conjectos, ut quaslibet corporis pœnas Diabolo darent. Nanque in libro 1. cap. xx *de ſermone Domini in monte*, *etſi nolunt*, inquit, *mortem intelligere, quod fortaſſe incertum eſt, quamlibet vindictam per Satanam factam ab Apoſtolo fateantur*. Cum Auguſtino ſentiunt Ambroſius *de pœniten. lib.* 1. *cap.* XII., Hieronymus *comment. in Gal.* v., Pacianus *in Epiſt.* III. *ad Sempron. Biblioth. patr. tom.* III. *pag.* 66., & Caſſianus *Collat.* VII. *cap.* XXV. Accedit, quod ab antiquis canonum conditoribus aut raro aut nunquam conceptæ fuerunt formulæ, in quibus homines, quos a cœtu Catholicorum exterminari oportebat, Satanæ eſſe tradendos decerneretur. Baſilius ſemel eos, quibus Eccleſia interdictum erat, Satanæ deditos dicit *Can.* VII., σχεδὸν γὰρ ολην γενεὰν ἀνθρωπου παρεδόθησαν τῳ σατανᾳ, ἵνα παιδευθῶσι μὴ ἀσχημονειν, *fere tota hominis ætate Satanæ traditi ſunt, ut diſcant non ſe turpiter gerere*. Pelagius autem Pontifex Romanus in epiſtola quam exſcripſit Gratianus *cauſſ.* XXIV. *quæſt.* III. *cap.* XIII., *Apoſtolicæ*, inquit, *auctoritatis exemplo didicimus, errantium & in errorem mittentium ſpiritus tradendos eſſe Satanæ, ut blaſphemare dediſcant*. At ab his ipſis hæc formula pronunciata non eſt in eundem ſignificatum, atque Apoſtolus ea uſus eſt. Dicebant enim ſeſe tradere Satanæ, quos reipſa ab Eccleſia disjungebant, & quibus hujus ſocietatis præſtantiſſima bona adimebant: de quo conſulendus eſt Joſephus Binghamus *in orig. Eccleſiaſticarum libro decimo ſexto*.

V. Sequitur ut diſſeramus de illa poteſtate, quæ Apoſtolis ad Eccleſiam optime gerendam credita fuit, & in Epiſcopos, eoſdemque Eccleſiæ Rectores demigravit. Ea quidem de politico principatu nihil detrahit, & tota, quanta eſt, ad animos pertinet. Loquimur autem de hujuſmodi juriſdictione, quæ verſatur tum in abſolvendis illis, quos peccato obligatos Deus tenet, ſi peccaſſe eos maxime pœniteat, ſin contra, in iiſdem condemnandis eorum criminum, quæ commiſerunt, tum in divellendis illis a piorum cœtu, qui, licet officiorum ſuorum commonefacti, a fraude tamen animum non avocarunt. Utraque hæc juriſdictio divina eſt, Chriſtumque habet auctorem, ex quo Paſtores, qui ei præſunt, loco ſacrorum Magiſtratuum exiſtimantur.

 Audia-

Audiamus Chriſtum, qui ſic Petrum affatus eſt Mat. XVI. 18. Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*: Deinde cæteros Apoſtolos XVIII., 18., Ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*. Hæc verba plane declarant, Apoſtolos & qui his ſucceſſerunt, ſacros Eccleſiæ Paſtores ea auctoritate fuiſſe præditos, ut jus in animos dicerent, & de peccatis hominum judicium ferrent. Quid enim *ligare & ſolvere* aliud eſt, quam judicare, ac vel damnare vel abſolvere, quod duplex eſt Judicum munus? Hoc ipſum valere *claves*, quas Apoſtoli acceperunt, antiqui omnes Patres comuni conſenſione dixerunt, qui ſimul affirmarunt, eaſdem fuiſſe Epiſcopis traditas, qui poſt Apoſtolos Eccleſiis præfuerunt. De Epiſcopis tanquam de Rectoribus & judicibus ea verba Cyprianus intellexit in epiſtola 27., *Ut Eccleſia*, inquit, *ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur*. Neque contra ſenſit Hilarius, qui can. 16. in Mat., *Petri arbitrio claves æterni aditus fuiſſe traditas*, ſcribit, *cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in Cœlo*. Sic & Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum docet, Apoſtolos *claves regni Cœlorum habuiſſe*, ut *quodammodo ante diem judicii judicarent*. Hos ſequuntur cæteri latini Patres, ad quos addendi ſunt græci, ut certo utriuſque Eccleſiæ conſenſu Grotius obſtrictus teneatur. Inter hos eminet Antiochus *Homilia 122. tom. I. Biblioth. græcol. pag.* 1215., qui plane dixit, non ſolo docendi munere, ſed ſacra juris dicundi & animadvertendi poteſtate clavium principatum contineri. Elegantiſſimam illius periocham exſcribamus. Οὐκ εἶπεν, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐπὶ τῆς γῆς ἀλλ' ὅσα ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἵνα καὶ ποιῶν ἀκοινώνητον, ἢ κωλύων, ἢ καθαιρῶν, φοβερὸν ἔχοις τὸ πρᾶγμα ὡς σύμψηφον καλῶν τὸν θεὸν, ὡς ὑπὸ μάρτυρει τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τοῦτο ποιῶν καὶ ὁ κωλυόμενος, ἢ καθαιρούμενος φρίττῃ, ὡς ἔξω βαλλόμενος οὐρανῶν βασιλείας ὅρα, φησιν, ὃ πράττεις, ἱερεῦ ἃ κάτω δεσμεῖς, ἄνω λογοθετεῖσθαι προσδόκησον, *Non dixit, quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata in terra, ſed quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata in Cœlo, ut quando a communione repelles, vel interdices, vel depones formidoloſam rem eſſe ducas, utpote qui ſententiæ adſtipulatorem adhibeas Deum, tanquam illo teſte, qui in Cœlo eſt, id agens; & ut viciſſim is, cui interdicitur, aut qui deponitur, perhorreſcat, veluti extra regnum Cœlorum ejectus. Vide*, inquit, *o Sacerdos, quid agas! Quæ infra alligas, horum in ſupernis rationem habendam exiſtima*. Hæc ille, dilucide ut declaret, ſacros Paſtores ob principatum clavium, quem adminiſtrant, de hominum peccatis legitimum judicium expromere, alioſque abſolvere, & alios condemnare, aut ab Eccleſia depellere ac ſacris interdicere: cumque recte ſic judicent, Deum habere σύμψηφον *conſentientem* ſententiiſque ſuis concinentem. Id ipſum confirmant græci omnes Teologi & in his beatiſſimus & doctiſſimus Chryſoſtomus *in libro tertio de Sacerdotio*, in quo Epiſcoporum hanc juriſdictionem politico ipſi dominatui antelatam exiſtimat, Οἱ γὰρ τὴν γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβὴν, τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν, καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις, οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ θεὸς οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται ὅσα ἂν δέσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. ἔχουσι μὲν γὰρ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον. Οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανοὺς. καὶ ἅπερ ἂν ἐργάσωνται κάτω οἱ ἱερεῖς ταῦτα ὁ θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ καὶ τί γάρ, ἀλλ' ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τὴν οὐράνιον ἔδωκεν ἐξουσίαν, *Nam qui terram incolunt, & in ea commorantur, iis commiſſa eſt cæleſtium adminiſtratio, ac poteſtatem acceperunt, cujuſmodi nec Angelis, nec Archangelis tribuit Deus. Non enim dictum eſt his: quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in*

Cœlo

Cœlo. Habent enim & ii, qui in terra dominantur, vinciendi poteſtatem, ſed in corpora duntaxat. Illud autem vinculum animam attingit ipſam & Cœlos ipſos penetrat. Et quæcunque infra Sacerdotes egerint, hæc ſupra Deus rata facit, ac ſervorum ſuorum ſententiam confirmat. Et quid aliud, quam cœleſtem illis omnem tradidit poteſtatem.

VI. Hæc cum ex Patribus iisque graviſſimis veteris Eccleſiæ doctoribus accepta ſint, quis Grotium dicentem ferat, Chriſtianos Sacerdotes *ligare* & *ſolvere*, cum Chriſti doctrinam promunt, alioſque in ſpem divinorum promiſſorum tollunt, & aliis, quæ eos manent, poenas exponunt? Ita ille, auctoribus Calvinianis, quibuſcum in cæteris rebus & præcipue in explicanda Principum auctoritate in ſacris magnum certamen inierat. Calvinus enim ſolo docendi munere totam, quantam Chriſtus mandavit, Epiſcoporum juriſdictionem metitur. Nanque in libro quarto Inſtitutionum capite ſexto *Clavium vocem & ligandi modum* ſic intelligit: *Quoniam Evangelii doctrina nobis*, inquit, *Cœli aperiuntur; porro non alio modo ligantur & ſolvuntur homines, niſi dum fides alios reconciliat Deo, alios ſua incredulitas magis obſtringit*. Et in commentario ad Harmoniam evangelicam verba percurrens illa *Mat. 16. Dabo tibi claves ... Clavium*, inquit, *ſimilitudo concinne ad docendi munus aptatur*. Atque Grotius iis utitur argumentis, quorum vis pridem debilitata & infracta eſt. Profert primum Hilarium Diaconum, qui *in* II. *Cor.* V. affirmat, Chriſtum, eundem qui pro nobis mortem oppetiit, peccata noſtra dimittere, quaſi qui ſic dicit, is ipſe neget, Chriſtianos Sacerdotes ea præditos eſſe poteſtate, ut de peccatis noſtris judicent alioſque abſolvant & alios condemnet. At utrumque Hilarius recte dixit. Namque ſacri Paſtores hoc judicium reddunt, cum aut adminiſtrant aut recuſant, quominus adminiſtrent Sacramentum, cujus omnis vis ad homines a peccatis eximendos a Chriſto oritur. Ex quo duo perſpicua ſunt & Chriſtum peccata noſtra dimittere, & Sacerdotes de hominibus judicare, quorum alios abſolvunt, alios damnant. Deinde opponit Petrum Lombardum, qui *in libro* IV. *diſt.* 18. putavit, Sacros Paſtores id ſolum efficere, ut homines *vel ſolutos vel ligatos oſtendant*, & ſimiles eſſe Sacerdotum, qui apud Hebræos lepram non ſanabant, ſed an qui ea affecti erant, jam liberati eſſent teſtimonio declarabant ſuo. Iſta Lombardus, quæ in piorum ſententiam Theologi accipiunt. Nos tamen audiamus Chryſoſtomum, qui *in lib. tertio de Sacerdotio* cum judaicos & Chriſtianos contuliſſet Sacerdotes, dixiſſetque judaicos lepræ non curandæ & tollendæ, ſed probandæ duntaxat, an ſanata jam eſſet, poteſtatem habuiſſe, nihiloſecius affirmavit Epiſcopos non corporum, at animorum lepram & impuritatem non ſanatam probandi jus accepiſſe, ſed ſanandi penitus & ab ea liberandi: Οὗτοι δὲ οὐ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν, inquit, ψυχῆς οὐκ ἀπαλλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν, quæ ſonant, *Hi* (Epiſcopi) *non corporis lepram, ſed animæ fœditatem, nec ſanatam probandi, ſed ſummovendi penitus poteſtatem acceperunt*. Tum obiicit Arminianus Cyprianum, qui Sacerdotem in epiſtola LV. *vice Chriſti judicem* appellavit. Ex his enim verbis colligit, Sacerdotum tantum eas eſſe partes, ut ex iis, quæ in evangelio ſunt ſancita declarent, quodnam judicium Chriſtus de peccatis noſtris tulerit. Additque eundem Cyprianum & Ambroſium *de Spiritu Sancto libro* III. *cap.* XIX tanquam conjurantes in adimenda qualibet Epiſcopis poteſtate. Exiſtimat enim eos ſic habuiſſe, Sacerdotes in eo eſſe officio, ut homines peccatorum ſuorum commonefaciant, quorum venia a Deo expectanda ſit: Arminianus quidem hæc, quæ tamen contra Catholicos non faciunt. Hi enim credunt, ſacros Paſtores *vice Chriſti* Eccleſiæ eſſe moderatores & judices: At enim hinc efficiunt, non id, quod Arminianus colligit, ſed quod plane ſequitur, eos Chriſti loco de peccatis hominum reipſa judicare, alioſque ab iis liberare & alios damnare. Iidem Cyprianum & Ambroſium ſic bene accipiunt, perinde atque ſentiant, Chriſtum unum eſſe, qui peccata delet, Paſtoreſque, qui de peccatis judicant, non ex proprio jure rem gerere, ſed ex poteſtate a Chriſto mandata, quæ idcirco ab Ambroſio *officium* vocatur. Uterque enimvero Eccleſiæ doctor pluribus in libris juriſdictionem Epiſcopis manifeſto adſcribit; quam Ambroſius Regiæ ipſi poteſtati antiſtare contendit. Nanque *in libro de Dig. Sacer.*

cer. cap. 2. *Tom.* 4. *Honos*, inquit, *Fratres*, & *ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares & principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas regum colla & principum ſubmitti genibus Sacerdotum.* Reſtant Auguſtinus & Hieronymus, quos tanquam ſibi faventes Grotius commemorat. Ab iis autem nihil habet, quod ad cauſam ſuam ſumat. Auguſtinus enim *adverſ. Litt. Petil. Libr.* III. *cap.* LIV. aperte dicit, clavium poteſtatem, qua Chriſtiani Sacerdotes ſunt præditi, non ſolo docendi munere, ſed adminiſtratione Sacramentorum contineri, cumque hanc rem judicio peragant ſuo, ſic alios *ligare* & alios *ſolvere*. Atque ea eſt juriſdictio, quæ iis tribuenda eſt. *Ad miniſtrandum*, inquit Auguſtinus, & *diſpenſandum verbum ac Sacramenta aliquid eſt Paſt r.* Deinde autem docet, Chriſtum ipſum id agere, ut veterem mentem homines mutent, & ad ſanctitatis juſtitiæque officia revocentur, quod quidem non niſi temere afferri poteſt ad imminuendam poteſtatem quam Epiſcopis & Presbyteris adſcribimus: *Ad mundandum autem*, ſic pergit, & *juſtificandum non eſt aliquid; quia hoc non operatur in interiore homine, niſi per quem creatus eſt totus homo, & qui Deus manens factus eſt homo.* Veniamus ad Hieronymum. Is docet, Sacerdotes in gerenda juriſdictione teneri legibus, quas Chriſtus juſſit, ita ut quos criminum pœnitet ſuorum, abſolvere fas ſit, & qui contra animo ſe habeant, hos damnare. Hieronymo enim negotium erat cum hujuſmodi Paſtoribus, qui illis Chriſti verbis elati, quibus ligandi & ſolvendi jus conſtituitur, in animum induxerant, ſeſe poſſe arbitratu ſuo reos & inſontes facere. Ad eam rem exemplo utitur Judaicorum Sacerdotum, quorum in arbitrio non erat, alios in lepram implicare & alios ab ea eximere. Conferuntur ſcilicet Hebræi & Chriſtiani Sacerdotes non in poteſtate, quæ utriſque eadem non eſt, ſed in ſervando arbitrii modo. Sic enim his non licet, quos placet, aut ligare, aut ſolvere, uti illi alios leproſos facere alioſque arbitratu ſanare ſuo non poterant. Exſcribamus verba, quæ tanquam in diverſis diſjecta locis Grotius recitat. Unus tamen eſt locus, qui ſic legitur *in cap.* 16 *Mat.*, *Illum locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur cum apud Deum non ſententia Sacerdotis, ſed eorum vita quæratur. Legimus in Levitico de Leproſis ubi jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus. Et ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant non quod Sacerdotes leproſos faciant & immundos: ſed quod habeant notitiam leproſi & poſſint diſcernere qui mundus quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit, ita hic alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter. Non eos, qui ſunt inſontes, vel noxii, ſed pro officio, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus.*

VII. Ad extremum Arminianus cum dixiſſet, Epiſcopos & Presbyteros in adminiſtranda Clavium poteſtate nihil agere, ſi quos ligari neceſſe ſit, ſolverint & quos ſolvi deceat, ex ſententia ſua ligaverint, rationem deinde ſic concludit ſuam, ut dicat, nullam penes illos reſidere juriſdictionem, quippe quoniam qui eam habent, ſi contra leges judicaverint, ratum judicium quamvis injuſtum reddere ſolent. Hactenus ille: videamus an recte. Concedimus equidem, ſacrorum Paſtorum judicia, quæ contra Divinas Leges lata ſint, nullam habere vim ad homines vel abſolvendos vel obſtringendos. Sic enim Origenes, Auguſtinus, Hieronymus aliique Patres, quorum teſtimonia collegerunt Veneti in certamine cum Paulo V. apud eruditiſſimum Thuanum in Tomo V. & in libro CXXXVII. Ex his autem effici non poteſt, nullam in Paſtoribus Eccleſiæ ineſſe juriſdictionem, quæ ad animos pertineat. Si enim id ſequatur, nec politicis Magiſtratibus juriſdictio erit vindicanda, quorum injuſtis ſententiis coram Deo nulla eſt auctoritas. At, cum publice agitur, ratum quidem eſt, quidquid civiles judices licet injuſte decreverint, niſi majores Magiſtratus interpellentur, idque ex humanis legibus, quæ ad tollendam publicarum rerum perturbationem ſunt conditæ. Ita quod apud homines res expedienda ſit, eadem de cauſa ab iniquis ſacrorum Paſtorum judiciis Chriſtiani cives pertimeſcant oportet, idque dixerunt duo Ponti-

tifi-

tifices, in epiſtola 93. Sanctus Leo, & in homilia 26. Gregorius Magnus. Hunc in finem Juſtinianus Imperator in Novella 123. juſſit, eos qui a Paſtore ſuo temere ab Eccleſia exiguntur, ab Epiſcopo majoris ſedis abſolvi & in piorum cœtum admitti. Eandem legem omnes a Juſtiniano Imperatores in Oriente ſanxerunt. Nanque legitur in Baſilicon libris, in Photiano nomocanone, in Ecloga AA Leonis ac Conſtantini & in *compendio* juris, quod ſcripſit Michaël Attaliata ad Michaëlem Ducam Imperatorem An. 1071. atque e Baſilicis antiquioribuſque Græci Imperii codicibus depromſit. Juſtinianea igitur Novella habet, *omnibus Epiſcopis & Presbyteris interdicimus ſegregare aliquem a ſacra communione, antequam cauſa monſtretur, propter quam ſanctæ regulæ* (Canones œcumenicorum quatuor conciliorum, quos ipſe confirmaverat) *hoc fieri jubent. Si quis autem præter hoc a ſancta communione quemquam ſegregaverit, ille quidem, qui injuſte a communione ſegregatus eſt, ſolutus excommunicatione a majore Sacerdote ſanctam mereatur communionem. Qui vero aliquem a ſancta communione ſegregare præſumpſerint, modis omnibus a Sacerdote ſuo ſub quo conſtitutus eſt, ſeparabitur a communione, quanto tempore ille perſpexerit, ut quod injuſte fecit, juſte ſuſtineat.* Quam ſanctionem Photius in Nomocanone tit. 9. cap. 9. ſic eleganter extulit, Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος χώρις κανονίκης αἰτίας ἀφορίζων τινὰ τῆς κοινωνίας, λυομένου τοῦ χωρισμοῦ ὑπὸ τοῦ μείζονος ἱερέως, αὐτὸς ἀκοινώνητος γίνεται ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ὁ ἱερεὺς ὑφ᾽ ὃν τελεῖ συνιδεῖν, *Epiſcopus aut presbyter, qui citra cauſam in canonibus comprehenſam a communione quempiam ſegregat, reſoluta ſeparatione per majorem Sacerdotem, ipſe quantocunque tempore Sacerdoti, cui ſubeſt, viſum fuerit, a communione excludatur.*

VIII. Eſt igitur Paſtoribus vera jurisdictio, hujuſmodi tamen, quæ in regendis hominum animis, iiſque ad ſempiternam ſalutem impellendis verſetur. Itaque pœnas ab illis, qui ab officiorum divinorum præceptis aberrant, ſed ſimiles illius poteſtatis repetunt, ex qua eas imponunt, ſacras nempe & ſpiritales. Appoſite Clemens Alexandrinus libro 12. in Joannem de jure Clavium ediſſerit, Ἀφιᾶσι γε μὴν ἁμαρτίας, ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι κατὰ δύο τρόπους, κατά γε διάνοιαν ἐμήν. ἢ γὰρ καλοῦσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα τοὺς, οἷς ἂν ἤδη τούτου τυχεῖν ὠφείλετο διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα, καὶ τὸ δεδοκιμασμένον εἰς πίστιν. ἢ διακωλύουσί τινας, καὶ τῆς θείας χάριτος εἴργουσιν ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους. ἢ καὶ καθ᾽ ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσί τε, καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσιν τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες, hoc eſt, *Remittunt porro peccata, vel retinent ſpiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis. Vel enim ad baptiſmum vocant eos, quibus illius copia fieri debet, propter vitæ honeſtatem & probatam fidem. Vel prohibent aliquos & a divina gratia reiiciunt, quod nondum ea ſe dignos præbuerint. Vel alio modo remittunt, retinentque peccata, dum Eccleſiæ filios vel peccantes caſtigant, vel pœnitentibus ignoſcunt.* Ita enim explicat illam juriſdictionem, quam paulo ante divinam dixerat, τὸ μόνῃ, inquit, πρέπον ἀξίωμα τῇ θείᾳ φύσει τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς περιέθηκεν ὁ σωτὴρ, *ſoli divinæ naturæ congruentem dignitatem diſcipulis ſuis Salvator attribuit*. Eximius ergo Eccleſiæ doctor poteſtatem dicendarum pœnarum in eos, qui peccant, a jure vere divino ligandi & ſolvendi Epiſcopis acceſſiſſe exiſtimavit. Id ipſum docuere cæteri doctores græci & latini. Quæ cum ſint, fidenter Grotius dixit Epiſcopos quaſi præcones aut ſalutare conſilium præberent, ſic in Chriſtianos coercitiones tuliſſe, quas *pœnitentias* vocabant. Putavit enim forte cum pleriſque Hollandis Calvinianis, neminem invitum in veteri Eccleſia pœnas canonum auctoritate conſtitutas perſolviſſe. Hoc tamen cenſuit ſine ullo priſco auctore & teſte. Nanque ab antiquis Patribus accipimus, ultro alios coercitiones canonicas, alios vero ingratiis ſubiviſſe, quod Dionyſius Petavius *in animadverſionibus ad Epiphanium Hær.* 59. probavit. Etſi enim qui Paſtorum ſalutaribus juſſis parere nollent poſt commiſſa flagitia, ab Eccleſia diſcedere potuerint, tamen ea de cauſa effici non poteſt, eos ad ſubeundas pœnas non fuiſſe adactos. Quippe par erit, eodem modo concludere, Magiſtratus politicos nullum habere in nefarios cives imperium, quod qui in jus vocatur, ſolum vertere poteſt, ut non amplius patriis legibus obſtringatur. Licet & ei, qui a Judi-

Judice damnandus eſt, ultro mortem ſibi inferre, ut ille Romæ, qui a M. Cicerone jamjam condemnandus in judicio, *miſit ad eum*, *qui diceret*, teſte Valerio maximo in libro nono, *ſe non damnatum*, *ſed reum periiſſe*; *ac protinus ſudario ore & faucibus coarctatis*, *incluſo ſpiritu*, *pœnam morte præcurrit*.

IX. Atque ab eadem clavium poteſtate jus illud conſtitutum eſt, cujus vi Antiſtites Eccleſiarum Sacramentis nonnullos depellunt. Grotius ita habuit, hanc interdictionem idem valere quod Sacramenta aliquibus non exhibere, rem nimirum privatam eſſe, quæ non ex poteſtate, ſed ex libertate Paſtorum agitur, & nihil juris iis derogat, in quos jubetur: de interdictione autem univerſæ Eccleſiaſticæ ſocietatis, quæ major excommunicatio vocatur, paulo poſt diſputavit: eam enim politicam eſſe pœnam exiſtimavit. Nos eandem eo, quo ſcripſit, ordine ſequimur. Igitur dicimus, Epiſcopos, cum quoſdam Sacramentis interdicunt, hoc ipſum facere, quod ad juriſdictionem pertineat. Hic eſt minor ἀφορισμὸς *aphoriſmus*, ſive minor excommunicatio, quæ in illos ſancitur, quos ab Eccleſia arceri par non eſt. Eam commemorat Theodoretus in Epiſtola LXXVII. ad Eulalium, Κωλυέσθωσαν μὲν τῆς μεταλήψεως τῶν ἱερῶν μυστηρίων, μὴ κωλυέσθωσαν δὲ τῆς τῶν κατηχουμένων εὐχῆς, μηδὲ τῆς τῶν θείων γραφῶν ἀκροάσεως, μηδὲ τῶν διδασκάλων παραινέσεως, *Arceantur a participatione ſacrorum myſteriorum*, *a catechumenorum autem orationibus non prohibeantur*, *neque a divinarum ſcripturarum auditione*, *neque a Magiſtrorum admonitione*. Nimirum hujuſmodi interdictio pœna eſt, eademque gravis, tametſi altera illa minor, quam ii perſolvunt, qui ab ipſa Eccleſia depelluntur. Nanque qui a ſacris ſemoventur, multorum bonorum & quidem divinorum amiſſione multantur, ad quæ capienda jus antea habebant. Gentiles legum latores maximi ſupplicii loco exiſtimarunt id quod eſt εἴργεσθαι ſive ἀποστερεῖσθαι ἱερῶν *ſacris arceri*. Nanque ſanxerunt, ut eo immanium criminum rei afficerentur. Draco, teſte Demoſthene *in oratione contra Leptinem*, ad homines a mutua cæde avocandos legem ſcripſit, in qua juſſit, homicidam εἴργεσθαι σπονδῶν, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς *arceri a libationibus*, *crateribus*, *ſacris & foro*. Complura ejuſmodi pœnæ exempla afferunt Æſchines, Lyſias, Antipho, Andocides, aliique veteres Scriptores. Qui militiam detrectabat, aut ordinem deſerebat, is ex legibus vetabatur εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ δημοτελῆ *ingredi in templa publica*. Rex ſacrorum, qui in Areopago conſidebat & judiciis præerat, auctore Polluce *onomaſt.* 8. *cap.* 9., ſolebat, προσαγορεύειν τοῖς ἐναντίοις ἀπέχεσθαι μυστηρίων καὶ τῶν ἄλλων νομίμων, *interdicere contumacibus ne ad myſteria nec aliis moris patrii beneficiis ſe immiſcerent*. Plato in legibus ſuis imperavit, illos, qui parentibus manus intuliſſent, ab urbe exterminari, & πάντων ἱερῶν εἴργεσθαι *ab univerſis ſacris ſemoveri*. Scitum erat, quod memoriæ prodit Herodotus *in Clio*, ne ad ſacra iidem accederent, qui victores eſſent in ludis Apollinis Triopii, tripodaſque aereos, quos tanquam præmium nacti erant, domum deferrent, nec ipſi Numini ſacrarent. Hanc legem Agaſicles Halicarnaſſenſis violavit. Itaque non modo ipſum, ſed patriam ſuam quinque Civitates Lindos, Jalyſſus, Camirus, Cos atque Cnidus ἐξεκλήισαν τῆς μετοχῆς *a communione ſacrorum disjunxerunt*. Hæc omnia eo conſilio allata ſunt, ut quoniam veteres legum latores publicorum criminum reos a ſacris ſuis, falſis quidem & ridiculis arcebant idque ſupplicium habebant, hinc Grotius diſceret, Chriſtianos Sacerdotes gravi pœna eos afficere, quos a ſacris vere divinis decedere jubent: ex quo intelligat neceſſe eſt, ſacram penes eos animadvertendi poteſtatem reſidere, quam clavium jus iiſdem commiſſum complectitur.

Igitur expoſita eſt divina illa & ſacra præfectura, quam Epiſcopi & Presbyteri gerunt ad Eccleſiam optime adminiſtrandam. Cumque perſequuti eſſemus Patrum teſtimonia & argumenta, quæ ad illam antiquandam afferebantur, porro explicata ſunt ea, quæ Antiſtites quidem ex divino jure agunt, ſed a ſolo docendi munere & curatione quadam, non autem a juriſdictione proficiſci Grotius exiſtimaverat. Videamus nunc de diſciplina, quam Præſules ſæpe in Synodis ad conſervandam morum ſanctitatem & ad conciliandam Religioni auctoritatem inſtituerunt. Nanque Arminianus noſter

ſter putavit, illam a divinis legibus non fuiſſe ſancitam, quippe ſæpe mutata eſt Epiſcoporum arbitratu, eamque ob rem ad Chriſtianos cogendos nullam vim habuiſſe, & neminem niſi conſentientem & libentem obſtrinxiſſe, *quamdiu*, inquit, *imperiali auctoritate deſtituebatur*. Hæc ſunt in erratis, quæ corrigantur neceſſe eſt. Concedimus equidem inſtituta illa, quæ ad cohibenda hominum flagitia fuerunt ſcita, univerſamque Eccleſiæ diſciplinam continent, ab Epiſcopis hoc eſt ex humanis legibus fuiſſe condita. Nanque iis ſæpe Eccleſia derogavit, quæ de jure divino nihil remittere poteſt: At divinus eſt ſacer ille principatus, ex quo Antiſtites canonica ejuſmodi inſtituta pertulerunt. Eſt enim poteſtas clavium, quæ ſive in abſolvendis hominibus peccatorum quæ commiſerunt, ſive in iiſdem damnandis, caſtigandiſque conſiſtit. Univerſæ enim Eccleſiæ ea fides extitit, Chriſtum Dominum per illa verba, quæ Apoſtolis ſuis edidit, ſupra a nobis poſita, *Quæcumque ligaveritis . . . . . & quæcumque ſolveritis*, aut iſta, *quorum remiſeritis . . . .* hoc jus dediſſe non iis ſolum, quos tunc alloquebatur, ſed omnium temporum Epiſcopis, ut ſalutares pœnas ad coercenda peccata ſancire poſſent, ſententiam in reos dicere, eoſque condemnare vel abſolvere. Id colligemus a Tertulliano. Defecerat is in Montani partes, & ab Eccleſia Catholica, quam Pſychicorum ſocietatem dicebat, auctoritatem tollendorum qualiumcumque criminum ſummovebat, eandem tamen ſectæ ſive Eccleſiæ ſuæ adſcribebat. Hac cum in opinione verſaretur, Catholicos rogabat, cur eam poteſtatem ſibi feciſſent? *Unde hoc jus uſurpes*, alloquitur Catholicum? *Si quia dixerit Petro Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Tibi dedi claves Regni Cæleſtis: vel, Quæcumque alligaveris, vel ſolveris in terra, erunt alligata vel ſoluta in Cœlis; ideo præſumis & ad te derivaſſe ſolvendi & alligandi poteſtatem, ideſt ad omnem Eccleſiam Petri propinquam; qualis es evertens, atque commutans manifeſtam Domini intentionem perſonaliter hoc Petro conferentem? Super te, inquit, ædificabo Eccleſiam meam, & dabo tibi claves, non Eccleſiæ; quæcumque ſolveris, vel alligaveris, non quæ ſolverint, vel alligaverint.* Demum ita perrexit: *Quid nunc & ad Eccleſiam & quidem tuam, Pſychice? Secundum enim Petri perſonam ſpiritalibus poteſtas iſta conveniet, aut Apoſtolo, aut Prophetæ?* Ex tota iſta Tertulliani oratione, quam contra Catholicos habuit, duo efficiuntur, primum Catholicos ſenſiſſe, poteſtatem remittendorum criminum, eorumque puniendorum non privatim ſoli Petro, vel Apoſtolis fuiſſe mandatam, ſed etiam omnibus Eccleſiarum præſidibus, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt: alterum vero, id nimirum quod nunc agimus, eoſdem Catholicos crediDiſſe, hujuſmodi auctoritatem eſſe traditam illis verbis, quibus poteſtas clavium inſtituta eſt. Atque eam Eccleſiæ fidem omnes Patres nobis prodiderunt. Ipſe Theodoſius imperator, de quo paulo poſt dicemus, cum Templi ſeptis eſſet interdictus Ambroſii juſſu, libenter confeſſus eſt poteſtatem ita imperandi ei Epiſcopo a Chriſto fuiſſe creditam. Ἐγὼ δὲ στένω, inquit apud Theodoretum in libro v. cap. xviii., καὶ ὀλοφύρομαι τὴν ἐμαυτοῦ συμφορὰν λογιζόμενος, ὡς τοῖς μὲν οἰκέταις καὶ τοῖς προσαίταις ἄνετος ὁ θεῖος νεώς, καὶ εἰσίασιν ἀδεῶς, καὶ τὸν οἰκεῖον ἀντιβολοῦσι δεσπότην. ἐμοὶ δὲ καὶ οὗτος ἄβατος, καὶ πρὸς τούτῳ μοι ὁ οὐρανὸς ἀποκέκλεισται. μέμνημαι γὰρ τῆς δεσποτικῆς φωνῆς ἣ διαῤῥήδην φησίν, ὃν ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *Ego vero gemo ac doleo, meam conſiderans calamitatem: ſiquidem ſervis quidem ac mendicis patet Eccleſia Dei, in quam libere ingrediuntur & Domino ſuo ſupplicant. Mihi vero & Eccleſiæ aditus interdictus eſt & præterea clauſæ ſunt Cœli fores. Memor enim ſum Dominicæ vocis, quæ diſerte ita dicit, Quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis.* Proferamus Auguſtini locum e ſermone quodam ad pœnitentes, quem ſic orditur, *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, ſi tamen eſtis pœnitentes, & non eſtis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo. Et vos enim cum catena paſcetis.* *Qua*, inquis, *catena? Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in Cœlo. Audis ligaturam, & Deo putas facere impoſturam?* Canonica igitur diſciplina, quæ ſacris pœnis flagitioſos homines afficit, ab Epiſcopis lata eſt ex divino clavium jure, quo vera juriſdictio continetur. Hoc perſpicuum eſt ex illis, quæ diſputavimus,

 illud

illud ſequitur, ut canonicis ſtatutis non modo conſentientes & volentes Chriſtiani, ſed etiam inviti obſtricti eſſent, ſin vero ea detrectaſſent, magno crimini eſſent obligati.

XI. At pugnat Grotius, his veterum Epiſcoporum ſcitis, ex quibus priſca diſciplina orta eſt, nullam fuiſſe vim ad cogendos Chriſtianos, *quamdiu imperiali auctoritate deſtituebantur*. Sic ex ſententia ille ſua. Sed nihiloſecius res contra ſe habuit. Vetus enim illa diſciplina, de qua Grotius commemorat, nullas pœnas aut multas complectebatur, niſi ſacras eoque pertinentes ut animos afficerent, eoſque emendarent. Itaque nitebatur quidem in tutela & fide ſummorum Principum, non autem ab illis, ſed ab Epiſcopis, quibus ſpiritalis gladius fuerat commiſſus, auctoritatem capiebat. Priſci enim Eccleſiarum præſides, ſi quid ſancirent, quod ad animum reſpiciebat, aut ſacrarum rerum interdictiones juberent, id jure ſuo egerunt nec ad imperatores receptum habuerunt, ſin vero noſſent, ad continendos flagitioſos ſacram non valere juriſdictionem ſuam, Imperatores adiverunt, ut publice in eos animadverterent. Patres Synodi Antiochenæ Paulum Samoſatenſem, Epiſcopum Antiochenum hæreſeos arceſſitum & convictum munere ſuo abdicarunt, & in ejus locum Domnum ſubſtituerunt. Hactenus poteſtate ſua functi ſunt, quæ iis a Chriſto mandata fuerat ad gubernandam Eccleſiam. Cumque homo ille Patrum ſententiam contemneret, & ab Eccleſia diſcedere nollet, iidem non commiſerunt, ut per vim eum depellerent, ſed ad Ethnicum Imperatorem Aurelianum preces adhibuerunt, qui recte juſſit, iis Eccleſiam committi Antiochenam, ad quos itali Antiſtites & Pontifex Romanus litteras mitterent. Sic Paulus μετὰ τῆς ἐσχάτης, inquit Cæſarienſis *in libro* VII. *cap.* XXX., αἰσχύνης ὑπὸ τῆς κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαύνεται τῆς ἐκκλησίας *cum ſummo dedecore per publicam poteſtatem ab Eccleſia exturbatus eſt*. Disjunxit enim vetus Eccleſia ſæpe in ipſis Synodis politicam animadvertendi rationem a ſacra diſciplina: hanc decreto ſuo condidit, illam a ſummis Magiſtratibus rogavit. Sancivit Concilium Antiochenum, quod anno CCCXLI. imperante Conſtantio habitum eſt, *ut ſi quis Presbyter vel Diaconus, proprio contemto Epiſcopo, ab Eccleſia ſeipſum ſegregaverit & privatim congregationem effecerit & Altare erexerit & Epiſcopo arceſſente non obedierit, nec velit ei parere, nec morem gerere primo & ſecundo vocanti, is omnino deponatur, nec amplius curationem aſſequi aut ſuum poſſit honorem capere*. εἰ δὲ παραμένοι θορυβῶν καὶ ἀναστατῶν τὴν ἐκκλησίαν διὰ τῆς ἔξωθεν ἐξουσίας ὡς στασιώδη αὐτὸν ἐπιστρέφεσθαι, *ſin vero perſeverat perturbare & Eccleſiam evertere, per externam poteſtatem ut ſeditioſus caſtigetur*. In Concilio Carthaginienſi tertio lege rogatum eſt, ut jus conſtitueretur conveniendi ſummum Provinciæ Rectorem ad coercendum Creſconium Epiſcopum Africanum, qui, cum a parœcia ſua diſcedens alienam Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepiſſet, ab Eccleſiaſticis interdictionibus nihil pertimeſcebat. Canon hic eſt XLIIX. in Codice Africano, *Petimus ſecundum quod nobis mandatum eſt, ut concedatis fiduciam, quo, jam neceſſitate ipſa cogente, liberum ſit nobis, rectorem Provinciæ, ſecundum ſtatuta glorioſiſſimorum Principum, adverſum illum* (Creſconium) *adire, ut qui miti admonitioni Sanctitatis veſtræ acquieſcere noluit & emendare illicitum*, αὐθεντίᾳ ἀρχοντικῇ παραχρῆμα κωλυθῇ, *auctoritate judiciaria protinus excludatur*. Legitur in eodem Codice Canon LXVII., in quo Patres litteras commemorant, quibus οἱ τῆς Ἀφρικῆς ἄρχοντες *Judices Africæ* rogantur ut præſidium Catholicæ Eccleſiæ ferant contra Donatiſtas iis in civitatibus, in quibus ἡ τῶν ἐπισκόπων αὐθεντία καταφρονεῖται *Epiſcoporum auctoritas contemnatur*. Plura non addimus, de quibus *in orig. Eccl. lib.* XVI. *cap.* II. veterum canonum peritiſſimus Binghamus. Nanque ex illis, quæ attulimus, perſpicuum eſt, veteres Patres nunquam ad Imperatores adiviſſe, ut ſententiis ſuis, quas ferebant jure clavium, auctoritas adjungeretur, ſed tum demum eos interpellaſſe, cum improbi homines Eccleſiaſticis pœnis haud percellebantur, ita ut politicarum coercitionum genere hos cohiberi oporteret: ex quo illud adparet, eoſdem Patres ſenſiſſe, penes Eccleſiam reſidere poteſtatem jubendi multas, quibus animus affici poſſet & a peccato avocari, ac diſciplinam condendi, quæ Chri-

ſtianos

ſtianos homines ſatis cogeret, etiamſi nulla Imperatorum auctoritas accederet.

XII. Diſputatum eſt hactenus de divina Sacrorum Antiſtitum juriſdictione, cujuſmodi nullam iis a Chriſto fuiſſe creditam Arminianus pugnavit. Jam diſſeramus oportet de altera illa juriſdictione, quam iiſdem pientiſſimi Imperatores, Reges aliique ſummi Magiſtratus commiſerunt. Grotius namque exiſtimavit, univerſam, quantacunque eſt ampliſſimo Paſtorum ordini juris dicundi poteſtas, Principes auctores habere. Atque cenſuit eam fuiſſe mandatam partim *jure ordinario*, qualis illa eſt, quæ in cognoſcendis Religionis rebus poſita eſt, partim ex eorum, qui de civili negotio certabant, conſenſu, approbantibus Imperatoribus & ſententiam, quæ dicebatur, ſupremam habentibus, partim denique ex *delegatione*, illam nimirum, ex qua Antiſtites cognitionibus de criminibus & negotiis Clericorum tanquam judices præerant. Hæc Arminianus dicere ſic perrexit, ut contenderet, credita tandem ab Imperatoribus juriſdictione, jus Epiſcopis acceſſiſſe, quo improbos Chriſtianos poſſent Eccleſiarum ſeptis & piorum cœtu interdicere, quæ *major excommunicatio* appellata eſt. Ruit ſcilicet in dicendo & vera falſis confundit. Igitur disjungamus neceſſe eſt, quæ maxime diſcrepant. Alia enim eſt cognitio de publicis criminibus, item civilibus privatiſque rebus Clericorum & Chriſtianorum, cui adjuncta eſt poteſtas in eos politicis pœnis animadvertendi, qui deliquerunt, aut decretis non parent. Hæc univerſa juriſdictio ad illos, qui imperium gerunt, ita pertinet, ut nemini adſcribi poſſit, niſi iis ſolis, quibus iidem mandaverint. Unum enim & ſummum eſt in unaquaque Republica imperium, a quo omnis politica juris dicundi auctoritas proficiſcitur. Qualicunque hujuſmodi poteſtate præditus eſt ampliſſimus Epiſcoporum ordo, eam habet a ſummis Civitatum & Regnorum Rectoribus, quod perſpicuum eſt tum ex Romanorum Imperatorum reſcriptis, quæ in utroque codice evolvimus, tum ex piorum Regum legibus, quæ in patriis cujuslibet Chriſtianæ Reipublicæ monumentis leguntur. Illudque ſequitur, in hac adminiſtranda provincia, quæ a Principibus commiſſa eſt, Epiſcopos ſacra hoc eſt imperatoria vice judiciis præeſſe, & ex politicis legibus debere ſententias dicere. Atque ea res convenit inter omnes juris divini & humani conſultiſſimos. Alia autem eſt de religione cognitio, cui talis auctoritas adſcribitur, quæ in animos ſolum animadvertit & in imponendis Eccleſiaſticis pœnis verſatur. Ea poteſtas, quæ olim ſive legibus Gentium ſive moſaico jure ſummis Magiſtratibus attribuebatur, a Chriſto ſolis Sacerdotibus data eſt, quos ipſe renunciavit & ad Eccleſiæ gubernacula admovit. Hanc ipſam tamen Grotius Principibus vindicavit, qui deinde Epiſcopos arbitratu ſuo eidem præfeciſſent. Protulit Chriſtianos Imperatores, qui, cum disjunxiſſent a religione civilia omnia negotia, his judicandis magiſtratus ſuos præeſſe, illam vero adminiſtrari ab Epiſcopis juſſerunt. Id ſic Grotius accepit, perinde atque illi Religionis regimen, quod penes ipſos reſideret, Epiſcopis dediſſent. Nominavit Valentinianum I., Arcadium, & Honorium, Valentinianum III., Theodoſium juniorem & Juſtinianum. At enim hi omnes non id ſtuduerunt, quo eos ſpectaſſe Grotius voluit. Nanque reipſa legibus vetuerunt ſuis, ne politici Magiſtratus jus dicere auderent de Religione, cujus cognitionem Epiſcopis Chriſtus commiſit. Quid egerit Valentinianus ſenior, ab Ambroſio accipimus, qui ad ejus Filium Valentinianum juniorem ſic ſcripſit, *Auguſtæ memoriæ Pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit, in cauſſa Fidei vel eccleſiaſtici ordinis alicujus, eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis*, (*hæc enim verba reſcripti ſunt*) *hoc eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare*. Cum dixerit, *in cauſſa Fidei eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis*, plane declaravit, eam rem ad Epiſcopos ſolos jure divino pertinere, eademque Magiſtratibus interdixit. Pergit enim, *Quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſſa Fidei laicos de Epiſcopis judicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris ſimus immemores & QUOD DEUS DONAVIT MIHI, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum?* Et mox, *At certe, ſi vel Scripturarum ſeriem Divinarum vel vetera tempora retractemus, quis eſt, qui abnuat, in cauſſa*

Fidei, *in cauſſa*, inquam, *Fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare*. Nec ſecus Honorius Imperator edixit, *Quoties*, inquit, *de Religione agitur*, *Epiſcopos convenit judicare*. Quid enim valet, *convenire* Epiſcopos Religionis eſſe judices, niſi jus & æquum eſſe, ut illi de religione judicium ferant? Ex quo adparet, Honorium nihil juris Epiſcopis crediđiſſe, ſed tantum declaraſſe quod iis Chriſtus tribuerat. Patres Concilii Carthaginenſis quinti Canone IV., qui eſt LIX. codicis Africani, anno 398. ab Honorio expetiverunt, ut juberet, Clericos qui de pecuniariis negotiis cognoverant ex eorum qui litigabant conſenſu, non adigi ad dicendum teſtimonium, ſi forte qui cauſam amiſerant, non ſtarent ſuis decretis, & publicos Judices interpellarent. Imperator his acceptis precibus, ad Apollodorum Proconſulem Africæ legem juſſit, ut omnes de publicis privatiſque rebus concertationes ſoli Magiſtratus audirent, ſed tamen par eſſet, Epiſcopos ſibi vindicare cognitiones de religione. Ea lex prima eſt in titulo Codicis Theodoſiani de Relig., *Quoties de Religione agitur*, *Epiſcopos convenit judicare*, *cæteras vero cauſſas*, *quæ ad ordinarios cognitores vel ad uſum publici juris pertinent*, *legibus oportet audiri*. His expoſitis, quæ pluribus probavit juris cæſarei conſultiſſimus Gothofredus *in commentario ad legem Cod. Theod. in tit. de Paganis*, Honorius videtur recuſaſſe, quominus Epiſcopis eas partes mandaret, quas publici Magiſtratus implere poterant, contra vero aſſeruiſſe id quod in Epiſcoporum erat poteſtate, & Magiſtratibus per divinas leges ſibi arripere non licebat. Veniamus ad Valentinianum III., qui *in Novella de Epiſc. judic.* 12. ſancivit, Epiſcopos ea prœditos non eſſe auctoritate, ut de cauſis pecuniariis ſive clericorum, ſive cæterorum civium jus redderent, niſi iidem, inter quos negotium agitur, eos arbitros ſibi communi conſenſione delegerint. Hanc vero cauſam attulit, quod Antiſtites nullam ſibi juriſdictionem vindicare poſſint, niſi eam, quæ ad exprομendam explicandamque Religionis doctrinam illis credita eſt, *Quoniam conſtat Epiſcopos & Presbyteros forum legibus non habere*, *nec de aliis cauſſis ſecundum Arcadii & Honorii reſcripta*, *quæ Theodoſianum corpus oſtendit*, *præter Religionem poſſe cognoſcere*. Hæc quidem, ex quibus intelligi fas eſt, Valentinianum, cum quicquid politici juris eſt, Epiſcopis ademiſſet, in iis tamen ſacram ineſſe juriſdictionem affirmaſſe, quæ in judicandis Religionis rebus conſiſtit. Sic Valentinianus, præclare quidem & ex ſententia piorum Imperatorum, qui ante eum Rempublicam Romanam geſſerunt, ut illius memoriam tot figere maledictis ea de cauſa Baronius non debuiſſet. At id quod inſtat. Adjunguntur a Grotio auctores poſtremæ legis, quæ in titulo Codicis Theodoſiani *de Epiſcopali judicio* poſita eſt. In lege edicitur, ut Epiſcopus Alexandrinus Timotheus in univerſa Ægypti Præfectura judicet de cauſis Eccleſiaſticis iiſque quæ ad Chriſtianam pertinent ſanctitatem, ſed cætera negotia ad Optatum Præfectum Auguſtalem deferantur, *Habent* (Clerici) *Judices ſuos*, *nec quidquam his publicis commune cum legibus*, *quantum ad cauſſas tamen eccleſiaſticas pertinet*, *quas decet Epiſcopali auctoritate decidi*. *Quibuſcumque igitur mota fuerit quæſtio*, *quæ ad Chriſtianam pertineat ſanctitatem*, *eos decebit ſub eo Judice litigare*, *qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum*. Ex his verbis efficimus, legis auctores non conceſſiſſe Epiſcopis, ſed ſolum conſervaſſe poteſtatem divino jure mandatam, quæ Religionis cognitione continetur. Hoc enim intelligimus, cum dicunt *cauſſas Eccleſiaſticas* ſive *quæſtiones quæ ad Chriſtianam pertinent ſanctitatem decere* (ſive juſtum eſſe) *Epiſcopali auctoritate decidi*. Cæterum Jacobus Gothofredus exiſtimat, titulum *de Epiſcopali judicio*, in quo ea lex poſita eſt, nuſquam in antiquis Theodoſiani Codicis exemplaribus exſiſtere & totum eſſe confictum. Atque ad hanc tollendam legem id magno eſſe argumento dixit, quod Præfectus Auguſtalis non erat Optatus, cum Timotheus Alexandrinam Eccleſiam regebat. Nanque *notitia Præfectorum Auguſtalium* quam Scaliger edidit, Florentium quendam Auguſtalem eo tempore hoc eſt anno 385. nominavit. Sed hæc miſſa faciamus, quippe quoniam in ea lege ſive ſincera, ſive fal-

fa

ſa aut interpolata nihil eſt, quod nobis officiat. Jam eorum Principum, quos Grotius commemoravit, poſtremus eſt Juſtinianus, qui plane in iis legibus, quæ afferuntur, rem explicavit. Nanque inquit, *neceſſe fore jubemus, ut negotia Eccleſiaſtica a ſolis religioſiſſimis Epiſcopis aut Metropolitanis aut a ſacris Synodis aut a ſanctiſſimis Patriarchis cognoſcantur*: & alias, *Oportet talia eccleſiaſtice examinari*. Si enim oportet, ut ſacri Antiſtites de Religione cognoſcant & judicent, quod Juſtinianus profitetur, palam eſt, eos non a Principatu, ſed a Chriſto hujuſmodi provinciam adminiſtrandam ſuſcepiſſe. Tenemus igitur piorum Principum mentem, qui cognitionem Religionis a rebus civilibus disjunxerunt, & has Magiſtratibus, illam vero Epiſcopis commiſerunt. Nanque aperte ſentiunt, hanc poteſtatem Epiſcopos a Chriſto habere, in quam nefas ſit publicos magiſtratus invadere, quod dogma multis in proluſione perſequuti ſumus.

XIII. Sequitur ex iis quæ de auctoritate Clavium diſputavimus, penes Epiſcopos jure divino eam eſſe juriſdictionem, ut eos, qui Religionis præcepta non ſervant nec monitis ſuis parent, ab Eccleſia depellere poſſint, hoc eſt non modo ſacris, ſed omnium Eccleſiaſticorum officiorum ſocietate interdicere. At quoniam Grotius hoc jus ad Epiſcopos acceſſiſſe contendit a piis illis Imperatoribus, qui de Eccleſia optime meruerunt, porro is locus pluribus exponendus eſt. Plerique eorum, qui XVI. ſæculo deſciverunt ab Eccleſia Catholica Romana, de jure quærere cæperunt, quo interdictio omnium Eccleſiaſticarum rerum, ſive *excommunicatio* niteretur. Primi fuerunt Tigurini Theologi qui cenſuerunt, auctoritatem ex Divinis Legibus non eſſe ſacris Paſtoribus ſubmovendi hominis a ſacris & præſertim ab Euchariſtia. Illi enim, cum anno 1519. Eccleſiam Tigurinam condidiſſent, *non inſtituerunt presbyterium vel talem Senatum Eccleſiaſticum, qui examinaverit communicaturos & ad communionem admiſerit aut ab ea excluſerit peccatores . . . exiſtimarunt enim & crediderunt Cœnam Dominicam a Domino eſſe inſtitutam non ut ſit ventilabrum aut cribrum quo cribrentur aut diſpergantur ab invicem homines ſed ſynaxin ideſt coagmentationem*. Ad eos Zuinglius putavit Eccleſiam, primis illis ſæculis, in quibus Principes ei nullum præſidium afferebant, ad coercendos flagitioſos Chriſtianos id conſilium cepiſſe, ut iſtos a piorum cœtu divelleret & numero ſceleratorum publice haberet: hoc vero coercitionis genus nec porro utile nec ſalutare eſſe, poſtquam Principes Chriſtianam Religionem aſciverunt in Civitate. Sic ille, cum an. 1531. rogatus eſt, quid Anabaptiſtis reſponderetur, qui de excommunicatione decertabant, *Apoſtoli ſub ethnico Magiſtratu vixerunt, qui tamen ſcelera non puniverunt, a quibus quiſque Chriſtianus abhorrere debet. Sed ut Eccleſia pœnam ſcelerum aliquam haberet, admonitionem aſſumſit & excluſionem, quia gladio punire non poterat. Et hæc quidem cauſſa apud eos excommunicationis erat. Quia vero jam Chriſtianus Magiſtratus ſcelera ipſa ipſemet ſuppliciis coercet, ideo excommunicatio non amplius neceſſaria eſt*. Zuinglium ſequuti fuerunt Theologi Zofingæ, qui anno 1532. judicarunt, *poſſe etiam aliam pœnam & coercitionem in Eccleſia Dei eſſe, quam haberi pro Ethnico & Publicano. Quia Chriſtus nihil aliud vult, quam ut ſcelera puniantur, atque adeo non perperam fiet ſi & hoc quoque tempore aliud pœnæ genus conſtituatur, ut ea nempe Magiſtratui committatur*. In eandem ſententiam loquuti ſunt præcipui omnes Helveticarum Eccleſiarum Miniſtri in comitiis, quæ Baſileæ anno 1536. habuerunt. Hæc ordine enarrat Tigurinæ Eccleſiæ Paſtor Heinrychus Bullingerus in Epiſtola ad Petrum Dathenum in Palatinatu Miniſtrum & Theologum, eoque ſpectat, ut Eccleſiarum quæ a Romana diſceſſerunt, conſenſu evinceret, interdictionem ſacrorum aut nullo aut certe temporario Divino Præcepto fuiſſe ſancitam.

In iis vero, qui de abroganda excommunicatione cogitarunt, princeps auctor eſt Thomas Eraſtus, vir quidem medicus & magno optimarum artium ſtudio excellens, ſed qui in divinarum rerum diſciplinis ita verſatus eſt, ut perdere eas ſtuderet. Librum edidit, quem inſcripſit, *Explicatio graviſſimæ quæſtionis; utrum excommunicatio, quatenus Religionem intelligentes & amplexantes a Sacramentorum uſu propter admiſſum*

faci-

facinus arcet, *mandato nitatur Divino*, *an excogitata ſit ab hominibus*. Cumque is a pluribus male exceptus eſſet, ſtatim libri ſui apologiam conſcripſit, quam *confirmationem* vocavit. Quid agat aut ſentiat, idem in operis ſui *Theſi* 10. ſic declarat, *Quæritur*, inquit, *utrum in ſacris litteris vel mandatum vel exemplum aliquod extet*, *quo tales* (flagitioſi Chriſtiani) *jubeantur aut doceantur a Sacramentis ſubmoveri? Reſponſio noſtra eſt*, *nullum extare*, *ſed contrarium potius*, *tum exempla tum præcepta paſſim in Bibliis occurrere*. Scripſit deinde Joannes Seldenus opus *de ſynedriis & præfecturis juridicis veterum Hebræorum*. In toto ferme primo libro contendit, Eccleſiam jus illud, quo improbos cives ſuos ſacris depellit, ſtatim ſibi aſciviſſe tum ab Hebræis tum a Gentilibus, atque eorum, quos complexu ſuo continebat, conſenſu & pacto confirmaſſe. Diſciplinam enim quandam excogitavit, quam percuſſo fœdere Chriſtiani ſibi conſtituerunt & cui libenter paruerunt ſacrorum Paſtorum admonitu & juſſu: Rem eo fuiſſe loco exiſtimavit, donec Principes Chriſtianam Religionem amplexi eſſent & quidquid in Eccleſia erat receptum ad flagitioſos homines puniendos, legibus ſuis ſanxiſſent. Ab horum partibus ſtetit Grotius noſter, qui ſacram omnem juriſdictionem Epiſcopis & Presbyteris negavit, eam nimirum poteſtatem, quæ jus in animos diceret eoſdemque cogeret, & quam ii adminiſtrant, illam eſſe politicam & Imperatoriam arbitratus eſt. Itaque collegit, eoſdem Eccleſiarum Paſtores, ſi quos ſacris; piorum conventibus & Templorum ſeptis interdicant, id eo jure facere, quod a Principibus acceperunt. Ita ille.

XIV. At contra inter eos ipſos, qui ab Eccleſia Romana defectionem fecerunt, longe plures ſunt, qui poteſtatem ferendæ excommunicationis vindicant, tanquam Divinam & Evangelicam, cui omnes Chriſtiani parere debeant. Joannes Calvinus, quem omnes fere auditores ſui ſequuti ſunt, in libro quarto *inſtitutionum Chriſtianæ Religionis* cap. XI. exiſtimavit, Chriſtum hanc juriſdictionem Sacris Paſtoribus dediſſe, cum eos his affatus eſt apud Mat. XVIII. 17. *Si Frater aliquis Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis*, *quæcumque ligaveritis ſuper terram*, *erunt ligata & in Cœlo*. Quæ verba ſic perſequutus eſt, ut ex iis Zuinglianos refelleret, qui præceptum depellendi cujuslibet ſcelerati hominis a piorum ſocietate non perpetuum ſed temporarium crediderunt. In Thomam Eraſtum multi ſcripſerunt, quorum princeps Theodorus Beza omnibus antelatus eſt. Hic enim anno 1590. librum edidit *de vera excommunicatione & presbyterio*, in quo libro poteſtatem jubendæ ſacrorum interdictionis eſſe Divinam probavit iiſdem argumentis, quibus ad eam rem Catholici Theologi utebantur. Idem certamen cum Eraſtianis ſuſcepit Samuel Baſnagius Flottemanvillæus in diſſertatione III. *de Chriſtiana excommunicatione*, quæ legitur in volumine ſecundo Annalium Politico-Eccleſiaſticorum. Quid ſingulos auctores perſequamur? Lutheranæ enim & Calvinianæ pleræque Eccleſiæ in publicis, quas ediderunt, *Confeſſionibus* excommunicationem eſſe pœnam exiſtimant, quam ad perpetuam Chriſtianæ ſanctitatis conſervationem Chriſtus ſancivit. In *Confeſſione Fidei*, quæ exhibita eſt inviſtiſſimo Imperatori Carolo V. Cæſari Auguſto in comitiis Auguſtæ anno MDXXX. hæc legimus, *Cum de juriſdictione Epiſcoporum quæritur*, *diſcerni debet Imperium ab eccleſiaſtica juriſdictione. Porro ſecundum Evangelium*, *ſive ut loquuntur de jure Divino nulla juriſdictio competit*, *Epiſcopis ut Epiſcopis*, *hoc eſt his quibus eſt commiſſum miniſterium verbi & Sacramentorum*, *niſi remittere peccata*; *item cognoſcere doctrinam*, *& doctrinam ab Evangelio diſſentientem rejicere*, *& impios*, *quorum nota eſt impietas*, *excludere a communione Eccleſiæ ſine vi humana ſed verbo. Hinc neceſſario & de jure Divino debent eis Eccleſiæ præſtare obedientiam juxta illud*, *Qui vos audit*, *me audit*. Quibus in verbis a politico & publico principatu ſeponitur ſacra juriſdictio, quæ ad animos ſolum pertinet, & in abolendis peccatis, itidem in expromenda vera Religionis doctrina & in ſubmovendis nefariis hominibus ab Eccleſia verſatur. Hæc aperte Epiſcopis ex Divinis Legibus adſcribitur. Neque enim porro hac in re diſcrepant ab Auguſtana *Confeſſiones* Helvetica *in Art.* 18., Gallicana *in Art.* 14., Bohemica *in Art.*

Art. 33., aliæque plures. In Belgica Calviniani ſic mentem exprimunt ſuam *in Art.* 32., *Nos omnia humana inventa omneſque leges reiicimus quæ ad Dei cultum ſunt introductæ, ut iis Conſcientiæ ullo modo illaqueentur aut obſtringantur. Eaſque ſolas ſuſcipimus quæ idoneæ ſunt vel ad fovendam alendamque concordiam vel ad nos in Dei obedientia retinendos. Ad id vero in primis neceſſaria eſt excommunicatio ex præcepto Verbi Dei uſurpata & aliæ illi annexæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ appendices*. Cumque hæc *Confeſſio* in Synodo Dordrechtana examinaretur, articulus trigeſimus ſecundus in verbis quidem, at non in ſententia mutatus eſt. Sic enim concipitur, *Ad id vero in primis requiritur Excommunicatio juxta verbum Dei cum reliquis ejus appendicibus uſurpata*. Quorſum enim hæc verba ſpectant, niſi ſignificent, excommunicationem verbo Dei eſſe præſcriptam? Hujuſmodi enim ſenſus redditur in duabus Græcis verſionibus, in quibus quaſi ad jucunditatem Belgica *Confeſſio* legitur; in altera, quam elaboravit Jacobus Revius poſt Synodum Dordrechtanam, ὧν ἐστι ἡ θεοπαράδοτος ἀφόρισις ἤτοι Ἀναθεματισμὸς καὶ τὰ τούτου ἐχόμενα, *e quibus eſt excommunicatio a Deo tradita, ſive anathematiſmus cum ejuſdem appendicibus*; in altera vero, ſed græcæ linguæ vulgaris quam Hierotheus Archimandrita confecit, Εἰς τὰ ὁποῖα εἶναι ὁ Ἀφορισμὸς ἤγουν ὁ Ἀναθεματισμὸς παραδόμενος καὶ προσταγμένος ἀπὸ τὸν Θεὸν μετ' ἐπίλοιπα ὁ ποῦ περιέχει, *id genus eſt excommunicatio tradita & imperata a Deo ideſt anathematiſmus & reliqua in eo contineri ſolita*. Accedit, quod publice in Anglicana Eccleſia receptum eſt, ut excommunicationis ferendæ auctoritas Divina haberetur. Nanque Eliſabetha imperante poſt Edwardum & Henricum mutatæ Religionis in Regno ſuo primos auctores, in Synodo Anglicani Paſtores hanc formulam ſanciverunt, *Epiſcopus N. NOMINE ATQUE AUCTORITATE DEI OPTIMI MAXIMI excommunicat N. ab omni ſocietate Eccleſiæ Dei & tanquam membrum emortuum amputat a Chriſti corpore*. His expoſitis novimus, quanti ab iis ipſis, qui ab Eccleſia Catholica ſeceſſerunt, illorum opinio æſtimetur, qui excommunicationem ex Divinis eſſe legibus negant.

XV. Igitur apud Hæreticos, qui de ſanctioribus quibuſque Chriſtianæ Religionis rebus diſputarunt, in his eſt quæſtio de interdictione ſacrorum. At enim apud omnes Catholicos dogma eſt, Eccleſiam hac regiminis temperatione contineri, ut Epiſcopis jus eſſet ab illa eos arcere, quos ſæpe commonefecerint neque a fraude revocare potuerint, idque facerent ſine dominatu & ſine ulla publica vi, ſed ſolo verbo & ſententia, cui ab omnibus mos ſit gerendus, quos Chriſtianum nomen complectitur. Hæc autem interdictio a Divino jure id ſolum habet, ut illi, in quos lata eſt, non modo procul abſint a Sacris, ſed Eccleſiaſticorum officiorum ſocietate diſiungantur, qua Chriſtiani omnes tanquam Chriſtiani devinciuntur. Ea quidem Divini juris ſanctio eſt, ad quam Principes illi diſciplinæ conditores Apoſtoli adjunxerunt, ut iidem, quibus Eccleſia interdictum eſt, a piorum cœtu depellerentur, & ea porro conſuetudine hominum carerent, quæ ad propiorem amicitiam accedit, ſed quam nec leges Gentium, nec civiles jubent. Nanque ab officiis, quæ ex his legibus impleri debent, nemo ſubmoveri poteſt, niſi ob publicum facinus & eorum decreto, qui Principatum politicum gerunt. At Chriſtus voluit, penes eos, quos Eccleſiarum Præſides & Rectores creaverat, ad perpetuam Religionis incolumitatem talem ſolum juriſdictionem reſidere, quæ ad regendos animos pertineret, nec de civili imperio aliquid demeret. Explicata eſt Catholicorum ſententia, ad quam paucis probandam aggredimur. Eccleſia eſt hominum ſocietas qui vivunt ex Divinis legibus iiſque quas Chriſtus rogavit. Oportet porro ut quidquid in ea geritur, id ordine peragatur, quo ſublato perturbatio rerum ſequitur & magna confuſio. Eum in finem ab initio deligendus fuit ſacrorum adminiſtrorum quaſi ſenatus, qui cæteris omnibus præeſſent, Hos Apoſtolus vocavit ποιμένας *Paſtores* Eph. IV. I. τοὺς προϊσταμένους *Præſides* Rom. XII. 8. κυβερνήσεις *gubernatores* 2. Cor. 12. 28. & alias πρεσβυτέρους *Epiſcopos*. At quomodo ab iis hujuſmodi præfectura adminiſtraretur, niſi cenſuram de moribus agere poſſent, & eos, qui præceptis parere nollent, ab Eccleſia divellere? Hanc quidem juriſdictionem Chriſtus iis, quos Eccleſiæ præfecit, expreſ-

ſacris & Eccleſia arceat. Atque primum dicit, in iis non ſignificari excommunicationem, quæ apud Hebræos in more erat recepta, quippe ad ethnicos & publicanos illius vis non pertinebat. Nanque Hebræi quum eos, quos excommunicabant, in poſterum priſtinæ ſocietatis exſortes exiſtimarent: quomodo ethnicos & publicanos hac pœna afficere poſſent, quibuſcum nulla unquam erat conſuetudo? Ad hoc objicit, in iiſdem verbis non contineri Chriſtianam excommunicationem. Qui enim hanc ſubeunt, ſacris interdicuntur, cum contra publicani atque ethnici a Templis apud Hebræos decedere non juberentur Chriſti temporibus: perſpicuum illud eſt apud Lucam XVIII. 10., *Duo homines aſcenderunt in Templum, ut precarentur, unus Phariſæus, alter Publicanus*. Hæc cum Seldenus oppoſuiſſet, ſic concludit, Chriſtum dumtaxat præcepiſſe quid privatus civis cum cive ageret, a quo offenſus ſit, idque voluiſſe, ut alter alterum loco publicani atque Ethnici ſive *ſocii vilis* haberet.

Hæc fere ille. Sed, quod primum eſt, diſpiciamus. Apud Hebræos quidem Publicanis atque Ethnicis nec ſocietatis nec amicitiæ officiis interdicebatur eorum decreto, ad quos ea res ſpectabat. Cur enim utrique illi interdicerentur ea conſuetudine hominum qua ex publicis legibus ſemper carebant ob vitæ & religionis ſuæ rationem? Quanto contemptu inter Hebræos laboraverit ethnicum ipſum nomen, ecquis neſcit? Ethnici enim erant ἀλλόφυλοι *alienigenæ*, iidem, qui a Deo animum averterant: quo Hebræorum judicio utebantur & publicani, quos ἁμαρτωλοὺς *peccatores*, παρανόμους *exleges*, ἀσώτους *diſſolutos* vocabant, & ſæpe cum πόρναις *meretricibus* conjungebant. Eos Baptiſta apud Lucam III. 12. improbitatis ſuæ monuit. Neque enim aliarum gentium de iis honeſtior erat exiſtimatio. Zeno Comicus,

Πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες,
Quot publicani ſunt, tot raptores puta.

Apud Suidam vetus Scriptor publicanorum vitam ſic deſcripſit, Πεπαῤῥησιασμένη βία, ἀνεπιτίμητος ἁρπαγὴ, ἀναίσχυντος πλεονεξία, πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα, ἀναιδὴς ἐμπορία, *vis ſoluta, rapina non reprehenſa, inverecunda avaritia, negotium ratione carens, impudens mercatus*? Scholiaſtes ad Equites Ariſtophanis, Διεβέβλητο τὸ τοῦ τελώνου ὄνομα, ὡς καὶ τοῦ Κλέωντος ὄντος τελώνου καὶ ὑπὲρ τὸ τέλος τελωνοῦντος, *male audiebat nomen Publicanorum, quia & Cleon erat publicanus & plus exigebat, quam fas erat*. Apud Plutarchum de Græcis eſt, Τὸ τελωνεῖν ὄνειδος ἡγοῦνται, *vectigal conducere dedecori ducunt*. Redeamus ad Hebræos, quorum patriæ leges ethnicos & publicanos indignos eſſe ſciſcebant, quibuſcum qualiſcumque ſocietas intercederet. Verſabantur quidem in Republica, ſed univerſi fere juris exſortes & maximo cum probro. Ad has leges *apud Matthæum* IX. 11. Phariſæi reſpexerunt, qui Apoſtolos rogarunt, διατί μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίει ὁ διδάσκαλος ὑμῶν; *quare cum publicanis & peccatoribus edit Magiſter veſter*? Petrus *Act.* X. 23. Cornelium alioſque Gentiles ſic affatur, ὑμεῖς ἐπίστασθε, ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, *Vos ſcitis quomodo nefas ſit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam*. Plura in eandem ſententiam omittuntur. Nanque perſpicuum eſt, apud Hebræos ex perpetuis legibus ſuis ethnicos & publicanos Synagoga hoc eſt Eccleſia & Republica eſſe interdictos, ex quo opus non erat, ut publico decreto ab ea exterminarentur. Nimirum non Magiſtratus, ſed leges Civitatis alienigenas excommunicabant. Quinimo, cum is, qui Judæus erat, ob facinus ſegregabatur e ſynagoga, reipſa hoc ipſum agi videbatur, ut eodem, atque publicanus & Gentilis, loco exiſtimaretur. Itaque plane efficitur, Chriſtum ſanxiſſe, penes Apoſtolos & Epiſcopos poteſtatem reſidere jubendæ *excommunicationis*, idque iis verbis, quibus juſſit, numero publicanorum atque Ethnicorum eos haberi quorum animus poſt multas objurgationes a peccatis ſeſe non averterit.

Jam illud alterum, quod opponitur, paucis explicemus. Quis nimirum animo intelliget, eos, quos ad Synagogam non pertinere leges ſciſcebant, cum Judæis fuiſſe conjunctos Religionis officiis? Eos ſacrorum fuiſſe participes, quibuſcum omnis ſocietas & conſuetudo vetabatur, atque in ea regione, in qua Reſpublica eadem erat atque Eccleſia? Nec contra facit illud ex parabola, *Duo homines aſcenderunt in Tem-*

plum, *ut precarentur*, *unus Phariſæus*, *alter publicanus:* Sequitur enim parabola, Καὶ ὁ τελώνης μακρόθεν ἑστὼς οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπᾶραι, *publicanus longe conſiſtens nolebat oculos ad Cœlum tollere*. Nanque intra Templum Hieroſolymis erat atrium, quo publicani iidemque Gentiles accedere poterant. Id de Templo Salomonico nonnulli negant, ſed de altero Templo omnes aſſirmant, quod conditum eſt, cum Hebræorum Reſpublica Gentibus parere cœperat. Eo publicanus, de quo in parabola, acceſſerat, nec ultra eum locum progreſſus erat: longo enim intervallo a Phariſæo diſtabat. Intra ſeptum conſiſtebat, quo a Gentilibus judæi ſegregabantur. Sic nanque publicæ leges jubebant, ea quidem de cauſa quod Judæis cum Ethnicis nulla nec Religionis, nec pontificii juris, nec ſacrorum intercedebat communitas. Arbitramur autem in primum illum ſacrarum ædium aditum Gentiles fuiſſe intromiſſos, ut ſublata ſuperſtitione, illius religionis, quæ in illis coleretur, veritate & majeſtate moverentur. Eam ſane ob rem illi in Proſeuchas admittebantur. Teſtis eſt Philo *in Legatione*, ἠπίστατο οὖν καὶ προσευχὰς ἔχοντας καὶ συνιόντας εἰς αὐτὰς καὶ μάλιστα ταῖς ἱεραῖς ἑβδόμαις, ὅτε δημοσίᾳ τὴν πάτριον παιδεύοντας φιλοσοφίαν, *ſciebat enim illos proſeuchas habere & in eos convenire ſolitos*, *præcipue ſabbatis*, *quo die patrias leges ac philoſophiam publice condiſcunt:* qua in pericopa vox δημοσίᾳ *publice* otioſe ſe non habet. Nanque declarare videtur, Judæos palam admiſſis cujuslibet religionis hominibus, libros legis moſaicæ explicaſſe, quod & docet Tertullianus in *Apologetico cap.* 18., *ſed & Judæi palam lectitant*. *Vectigalis libertas vulgo additur ſabbatis omnibus*. Hujuſmodi erat proſeucha illa, de qua Lucas *in cap.* XVI. *Actorum Apoſtolicorum*, τῇ τε ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἐξήλθομεν ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν, οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι, *Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus extra Civitatem juxta fluvium*, *ubi videbatur eſſe proſeucha*. Nanque ea ad Judæos pertinere debuit, quippe antequam Paulus in Urbem Philippos veniſſet, nullidum iis in locis erant Chriſtiani. Atque illud Judæorum inſtitutum majores noſtri ſequuti fuerunt: Nonnulli quidem temporibus Tertulliani receperant in Africana Eccleſia, de quibus ipſe queritur *in libro de Præſcriptione Hæreticorum cap.* 41., *In primis quis Catechumenus*, *quis Fidelis*, *incertum eſt: pariter adeunt*, *pariter audiunt*, *pariter orant: etiam Ethnici ſi ſupervenerint*, *ſanctum canibus & porcis margaritas*, *licet non veras*, *jactabunt*. Tertulliani autem auctoritas ab incepto Afros non deterruit. Nanque in Synodo Carthaginenſi IV. *cap.* 84. ſanxerunt, *ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam & audire verbum Dei ſive Gentilem*, *ſive Hæreticum*, *ſive Judæum uſque ad miſſam Catechumenorum*. De aliis Eccleſiis, quæ idem exemplum ſibi aſciverunt, Doctiſſimus Cotelerius ediſſerit *in ann. ad lib.* II. *conſtitutionum Apoſtolicarum*.

XVII. Sequuntur verba, *Quæcunque alligaveritis ſuper terram*, *erunt ligata & in Cœlis*. Exiſtimat Grotius Chriſtum ad ſingulos Chriſtianos reſpicere qui injuriam acceperunt, iiſque ligandi & ſolvendi poteſtatem credere. Nominat quaſi conſentientes ſibi priſcos Eccleſiæ Doctores, & in his Theophylactum qui ad cap. XVIII. Matth. *Si tu offenſus*, inquit, *habes eum*, *qui te injuria affecit ſicut publicanum & gentilem*, *erit ille & in Cœlo talis*. *Si autem ſolveris eum*, *hoc eſt ignoveris*, *erit ei & Cœlo condonatum*. *Non enim ſolum quæ ſolvunt Sacerdotes*, *ſunt ſoluta*, *ſed quæcunque & nos injuria affecti vel ligamus vel ſolvimus & ipſa erunt ligata vel ſoluta*. Hæc facile reiiciuntur. Nanque nobis Sacras Tabulas legentibus nihil tam apertum eſt, quam Chriſtum oratione ſua ad ſolos Eccleſiæ Paſtores ſpectare, cum præcepit de corripiendo Fratre, eodemque deinde ligando, qui ſæpe monitus ad ſe redire recuſaverit. Id ipſum vero ſatis paulo ante expoſitum eſt. Accedit quod omnis auctoritas, cujus inſigne eſt clavis, eximia quidem eſt, iiſque tribuitur, qui ſumma dignitate præditi ſunt. Narravit Iſaias XXII. 22. clavem Davidicæ domus (מפתח maphteah) penes Eliacimum reſidere. Hoc quidem idem valebat, atque Eliacimum Regiæ Aulæ totique Reipublicæ præeſſe. Is a Flavio Joſepho in *libro* x. *cap.* I. *Antiq. Judaic.* dictus eſt τῆς βασιλείας ἐπίτροπος *Regni procurator*. Munus enim illud adminiſtravit, quod deinde apud Conſtan-

ſtantinopolitanos *κουροπαλάταις*, & apud Gallos *Majoribus domus* mandatum eſt. Chriſtus, qui ſummam in Eccleſia ditionem ſibi vindicat, tamen in Apocalypſi cap. III. v. 7. appellatur, *ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβὶδ is, cui data eſt clavis Davidis*, in quem Apocalypſεως locum Andreas Cæſarienſis ſic ſcripſit, *Κλεὶς ἐξουσίας σύμβολον*, *clavis poteſtatis ſymbolum*. Quinimo ex priſco Indorum, Perſarum & Ægyptiorum more cum claves, tum annuli magnam illorum, quibus attribuebantur, præfecturam ſignificabant, quod Achmet in *Onirocriticis capp.* 259. & 260. oſtendit. Quocirca Artemidorus in *lib.* III. *cap.* 54. *κλεῖδα clavem* dixit *ἀποκλεισμοῦ καὶ κατοχῆς σημαντικὴν rem ad exprimendum excludendi & admittendi arbitrium accommodatam*. Quapropter ſi poteſtas clavium ſive ligandi & ſolvendi ſingulis eſſet delata, profecto Eccleſia, quot homines complexu ſuo continet, tot Rectores ſibi haberet, quo ſocietatis genere perturbatius eſſe nihil poteſt. Quod ſi veteres inter Doctores nonnemo extitit, qui Chriſtum cunctis Chriſtianis dediſſe cenſuerit, ut ligare & ſolvere eos poſſent, a quibus injuria ſibi illata eſt, is profecto proprium verborum ſenſum perſequutus non eſt, ſed quod ſolis Sacerdotibus tribuitur, ad complures tranſtulit. Sic Theophylactus propter ſimilitudinem dixit, privatum Chriſtianum *ſolvere*, qui, cum læſus ſit, inimicum ſuum in deliciis habuerit & monitis ad officium revocaverit, eundem vero *ligare*, qui, ſi injuria affectus ſit, ei qui offendit, nunquam ignoverit. At enim eximius Pater alias docuerat, quid Chriſtus reipſa conſtituiſſet. Nam in commentario, quem in caput XVI. Matth. conſcripſerat, ſolis Eccleſiæ moderatoribus vindicavit id quod eſt *ligare* & *ſolvere*, Κλεῖδας, inquit, *νοήσεις, τὰς δεσμούσας καὶ λυούσας τὰς τῶν σφαλμάτων ἢ συγχωρήσεις, ἢ ἐπιτιμήσεις. Ἔχουσι γὰρ ἐξουσίαν ἀφιέναι καὶ δεσμεῖν, οἱ κατὰ Πέτρον τῆς ἐπισκοπικῆς ἀξιωθέντες χάριτος. Εἰ γὰρ καὶ πρὸς Πέτρον μόνον εἴρηται τὸ, δώσω σοι. ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἀποστόλοις δέδοται. Πότε; ὅτε εἶπεν, Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται, Claves intelliges, quæ ligant & ſolvunt, hoc eſt delictorum vel remiſſiones vel pœnas. Habent enim poteſtatem remittendi & ligandi, qui ſicut Petrus, Epiſcopatus gratiam conſequuti ſunt. Quamvis enim ſoli Petro dictum ſit, Tibi dabo, omnibus tamen Apoſtolis datæ ſunt. Quando? cum dixit: ſi quorum remiſeritis peccata, remittuntur.* Hactenus Theophylactus, cujus explicatio omnium Patrum conſenſu firmata eſt.

XVIII. Igitur ſatis conſtat, optimum Eccleſiæ conditorem Chriſtum adminiſtris, quos creavit, juriſdictionem dediſſe, quæ pertineret ad arcendos depellendoſque a piorum cœtu eos omnes, qui in flagitiis hærebant. Atque Apoſtoli ſæpe auctores fuerunt, ut ſacri Paſtores eam poteſtatem gererent. Paulus quidem in epiſtola I. *ad Cor. cap.* V. valde doluit, quod quidam turpiſſimi inceſti reus impune eſſet in Chriſtianorum conventibus; deinde hominem ipſe Satanæ ſacrum fecit, hoc eſt Cacodæmoni in ditionem & manum tradidit, ut omni malorum genere vexaretur: Tandem Præſules monuit, ut eundem ab Eccleſia depellerent ſive excommunicarent: Ἐξαρεῖτε, inquit, *τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν*, *tollite flagitioſum hunc virum ex vobis ipſis*, vel quod paulo ante dixerat, *ἐκ μέσου ὑμῶν de medio veſtrum*. Magna eſt horum verborum perſpicuitas ad ſignificandam juriſdictionem, quæ verſatur in eiiciendis ab Eccleſia iis, qui ab improbitate non diſcedunt. Nos non movet Seldenus qui in *lib.* I. *cap.* VIII. *de Synedriis* pro *τὸν πονηρὸν hominem malum* ſubſtituit *τὸ πονηρὸν hoc malum* ut eum ſenſum efficiat, *Tollite iſtud malum ex vobis*. Hoc enim ille audet contra veterum mſſ. fidem, in quibus *τὸν πονηρὸν* omnes legerunt. Teſtis eſt Auguſtinus, qui in *Retract. lib.* II. 17., *Græca*, inquit, *lingua*, *ubi ſine ambiguitate ſcriptum eſt*, *non hoc malum*, *ſed hunc malum*. Atque ſic prorſus Apoſtolus ſcripſit: Nam Corinthiis ſupra ſuccenſuerat, quod turpiſſimum virum non depuliſſent, Καὶ *ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστὲ, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, ἵνα ἐξαρθῇ ἐκ μέσου ὑμῶν ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας; Et vos inflati eſtis, & non magis lugetis, ut tollatur de medio veſtrum qui opus hoc fecit?* Quinimo divinus ſcriptor Moſem ſpectavit, qui *in Deut.* XXIV. 7. inquit, *ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν*, *auferes improbum hominem ex vobis ipſis*: Sed rem hanc contra Seldenum confecit Samuel Baſnagius in *diſſ.* III. *de excom. Chr.*, quæ edita eſt in volumine

 ſecun-

ſecundo Annalium Politico-Eccleſiaſticorum. Idem Apoſtolus in *Epiſtola* II. *ad Theſſalonicenſes cap.* III. eos commonefecit, ut conſuetudine ſua improbis Fratribus interdicant, illis nimirum, qui nec morum nec Religionis præceptis parent, Παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί, ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν ἣν παρέλαβον παρ' ἡμῶν, *Denuntiamus autem vobis, Fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut omnem fratrem arceatis, qui non ſervat præceptorum ordinem, nec traditionem, quam a nobis acceperunt*: Quibus in verbis dilucide exprimitur id quod eſt *excommunicare*. Ad hæc ſcripſit ille epiſtolam ad Galatas, in qua Paſtores Eccleſiis Ancyranis, Tavianis, & Peſſinuntiis præfectos juſſit ſedulam operam impendere, ne Religio fraudem caperet, & anathematis ſententiam in eos pronunciare, qui nova & præceptis ſuis contraria molirentur: *Etſi nos*, inquit, *in cap.* I. v. 8. *aut Angelus de Cœlo* εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω, ὡς προειρήκαμεν, καὶ ἄρτι πάλιν λέγω, εἴ τις ὑμῖν εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω, *evangelizet vobis, contra id quod evangelizavimus vobis, anathema ſit, ſicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis evangelizaverit contra id quod accepiſtis, anathema ſit*. Syrus in hoc loco בהואחרם *ſit Cherem*, Hebræus יהי חרם ſeu הוא חרם *habeatur in ſtatu ejus, in quem ſententia Cherem hoc eſt excommunicatio lata eſt*, Arabs Erpenianus, *ſit per Cherem excommunicatus*. Paulo Apoſtolo adjungendus eſt Joannes. Is enim in epiſtola ſecunda commate x. docet, iis, qui a doctrina Chriſti deſciſcunt, omnem officiorum conjunctionem eſſe adimendam, omnemque amicitiam tollendam: *Si quis*, inquit, *venit ad vos & hanc doctrinam* (eam, quæ eſt in evangelio) *non adfert*, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε *nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis*. Hæc declarant, Rectores in Eccleſiis a Chriſto eſſe conſtitutos, quibus data ſit poteſtas peragendæ cenſuræ de illa, quam quiſque ſequitur, doctrina, & ferendæ interdictionis contra eos, qui a pietate recedunt, ejuſque muneris partes ab ipſis eſſe implendas ad Religionis ac diſciplinæ incolumitatem.

XIX. Arminianus autem noſter tam audax non fuit, ut abnueret, in Apoſtolicis temporibus judicia extitiſſe, in quibus de Religione & moribus Chriſtianorum quæreretur, eoſque qui bonam vitæ ſuæ rationem non ſequerentur, ſuprema pœna excommunicatio maneret. At enim contendit, eam diſciplinam non contineri aliqua lege, quam Chriſtus juſſiſſet, ſed priſcis Judæorum inſtitutis, quorum optima quæque Apoſtoli tranſtulerunt in Eccleſiam. Sic ille cum in pluribus locis, tum in annotationibus quas *ad Lucam cap.* 6. *v.* 22. conſcripſit. At quidquid dixit, nunc paucis expendamus. Majorum quidem moribus apud Hebræos conſtituta erat cenſura quædam, in quam omnes illi vocabantur, qui ab officio recedebant. Hi quidem non modo ſynagoga, ſed omni Populi conſuetudine arcebantur, quod Helleniſtæ ſive Hebræi græce loquentes exprimebant his verbis ἐκβάλλειν *ejicere*, ἀφορίζειν *ſeparare*, ἀναθεματίζειν *excommunicare*, & ἀποσυνάγωγον ποιεῖν *extra ſynagogam depellere*. Huic Cenſuræ tam ſimilis illa eſt, quam Apoſtoli & deinde Præſules in Eccleſia geſſerunt, ut altera alterius exemplo fuiſſe recepta videatur. Sed nihiloſecius exiſtimari neceſſe eſt, peculiarem in novo Fœdere fuiſſe legem de improbis coercendis Chriſtianis, iiſdemque, qui ad ſe non redierint, ſacrorum ſocietate interdicendis. Quod, niſi talis lex ſancita eſſet, primi illi & ſanctiſſimi Eccleſiæ conditores nunquam commiſiſſent, ut jurisdictionem ſibi attribuerent, quæ in ſolis Hebræorum inſtitutis niteretur. Politicum in iſraelitica Republica erat illud munus, cujus partes fuerunt, cives notare, eoſque, qui in moribus & religione deliquiſſent, numero ſceleratorum cenſere & a priſtino Civitatis jure depellere: nam ab iiſdem adminiſtrabatur, qui imperium regebant. Res ita ſe habebat, ſi Hebræorum Populo eſſet αὐτονομία ſive copia ex legibus ſuis vivendi. Cum enim is in Populi Romani poteſtatem ditionemque venit, ab Imperatoribus Julio, Octavio & Claudio impetrare debuit, ut Magiſtratibus uteretur, qui ex patriis legibus jus dicerent. Hæc concedit Grotius, quibus tamen poſitis, par eſt intelligi Apoſtolos eo faci-

facile non fuiſſe evaſuros, ut eam ipſam animadvertendi poteſtatem, quæ ex Hebræorum inſtitutis oriebatur, in Eccleſia exercerent, & aliis, quos creabant, Paſtoribus mandarent. Neminem enim præterit, illos ab omni dominatu animum avocaſſe, prudenterque caviſſe, ne, dum Populos de Religione admonebant, imperandi ſpeciem præberent. Verſabantur enim in Regnis & Rebuspublicis, ut nec Regum, neque Magiſtratuum auctoritatem affectarent, quinimo eam colerent, & Gentibus univerſis ſeſe eſſe ad ſempiternam ſalutem tantum miniſtros & adjutores declararent. Verum aliquis objiciet, quamdiu Hebræis permiſſum eſſet ex legibus ſuis vivere in romano orbe, eamque juriſdictionem in ſuos habere, quæ ex patriis moribus proficiſcebatur, id ipſum & Apoſtolis licuiſſe, qui ab Hebræis genus ducebant cumque iis unam gentem efficere videbantur, ita ut iidem, ſi quos Chriſtianos notarent & a piis cœtibus ejicerent, hanc poteſtatem Romanorum Principum voluntate adminiſtrarent? Sic quidem Eraſtus & Seldenus *in libro* I. *cap.* VIII. *de Synedriis*, qui in eam quidem ſententiam dicunt, ut docere videantur, Apoſtolos omnia ſibi tribuiſſe quæ Synagogæ Imperatores conceſſerant. At enim diſpiciendum eſt, num ſanctiſſimos viros hoc inire conſilium fas fuiſſet. In Romanorum Principum legibus iſraeliticæ Nationi datum erat ἰδίοις ἔθεσι χρῆσθαι . . . καὶ συμπολιτεύεσθαι, *ut proprios mores & græcarum Civitatum, in quibus lares figeret, jus haberet*. Ab illis legibus Apoſtolica Eccleſia proficere hoc modo poterat, ſi Synagogæ ſeſe adſcriberet, ac judaicos mores, qui ad diſciplinam pertinebant, quaſi ἰδίους καὶ πατρίους *proprios ac patrios* adſciſceret, ut ex iis, permittente Imperatore, juriſdictionem ſibi vindicaret. Audax negotium, & indignum, quod ab Apoſtolis ſuſciperetur. Eccleſia enim rationes omnes ſuas ſeorſum a ſynagoga habebat. Nam ſatis conſtat, eos, qui Chriſtum eſſe Meſſiam credebant, ἀποσυνάγωγους *ſynagoga alienos fuiſſe*, quod Dominus *Joan.* XVI. 2. portenderat. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, Judæos narravit ſolitos, ἐν ταῖς συναγωγαῖς καταναθεματίζειν τοὺς ἐπὶ τὸν χριστὸν πιστεύοντας, *in ſynagogis anathema dicere iis qui in Chriſtum crederent*. Tum Judæos his affatus eſt, Καὶ νῦν τοὺς ἐλπίζοντας ἐπ' αὐτὸν (τὸν χριστὸν) καὶ τὸν πέμψαντα αὐτὸν παντοκράτορα καὶ ποιητὴν τῶν ὅλων Θεὸν ἀθετεῖτε καὶ ὅσον ἐφ' ὑμῖν ἀτιμάζετε, καταρώμενοι ἐν ταῖς συναγωγαῖς ὑμῶν τοὺς πιστεύοντας ἐπὶ τὸν χριστόν, *Et nunc eos, qui in ipſum (Chriſtum) ſperant, ſimulque in eum, qui Chriſtum miſit omnipotentem & omnium opificem Deum, rejicitis & quanta maxime poteſtis ignominia afficitis, etiam diris devoventes in ſynagogis veſtris eos, qui in Chriſtum credunt*. Iſta Tryphon confeſſus eſt, & porro in Synedriis Doctorum conveniſſe docuit, μηδενὶ τῶν χριστιανῶν ὁμιλεῖν μηδὲ κοινωνῆσαι τῶν λόγων, *ne Judæi cum Chriſtianorum ullo amicitia conjungerentur, aut ſermonem haberent*. Igitur quoniam Apoſynagogi Civitatem amittebant, univerſoque civium jure abdicabantur, quod *in diſſ.* II. *de excomm. Jud.* Samuel Baſnagius oſtendit, plane ſequitur, penes eos nullam poteſtatem reſidere potuiſſe, quæ ab judaicis inſtitutis vim caperet ſuam. Accedit, quod Eccleſia in ipſis Apoſtolicis temporibus prorſus diverſa erat ſocietas a ſynagoga. Etenim Synagoga Judæos tantum & proſelytos, ſed Eccleſia Judæos atque Ethnicos ſine ullo Gentium delectu complectebatur. Teſtis eſt Flavius Joſephus *in lib.* XVIII. *Antiq. cap.* 4., *Chriſtus*, inquit, πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο *multos quidem Judæos, ſed multos etiam Ethnicos habuit*, quæ verba Euſebius *in Hiſt. Eccl. lib.* I. *cap.* 10. ſic legit, πολλοὺς μὲν τῶν Ἰουδαίων, πολλοὺς δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο, *multos Judæorum ac multos etiam ex Gentibus ſibi adjunxit*. Quocirca illi, qui Chriſto parebant, ne cum Judæis nomine confunderentur, Chriſtiani ab Auctore ſuo dici cœperunt *Act.* II. 26., quod accidit, cum Claudius imperare ingreſſus eſt. Hoc ſentiunt Suidas & Joannes Antiochenus, cujus ſunt illa in Chronologicis, Ἐν δὲ ταῖς ἀρχαῖς τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοῦ Κλαυδίου Καίσαρος . . . . πρῶτος μετὰ τὸν ἅγιον πέτρον τὸν ἀπόστολον τὴν χειροτονίαν τῆς Ἐπισκοπῆς τῆς Ἀντιοχέων μεγάλης πόλεως τῆς Συρίας ἔλαβεν Εὐόδιος . . . Καὶ ἐπὶ αὐτοῦ χριστιανοὶ ὠνομάσθησαν . . . πρῶην γὰρ Ναζωραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι ἐκαλοῦντο, *Initio Claudii Cæſaris Imperatoris . . . primus poſt Sanctum Petrum Apoſtolum creatus eſt Antiochiæ ma-*

magnæ Syriæ Urbis Epiſcopus Evodius : cujus tempore nominabantur Chriſtiani. Olim enim Nazaræi & Galilæi dicebantur. Quinimo Ethnicus vulgus, viventibus Apoſtolis, Chriſtianos alios eſſe atque Judæos aperte cognovit, quamvis in ipſis Eccleſiæ incunabulis utroſque eodem nomine appellaret. Ex quo factum eſt, ut, ſalvis Judæorum rebus, ab anno 64. vulgaris epochæ Chriſtianis bellum inferretur, quod tandem Conſtantini tempore conquievit. Sed ad id quod inſtat. Jam enim effeciſſe videmur, id ipſum Apoſtolicæ Eccleſiæ commune eſſe non potuiſſe quidquid juriſdictionis Synagogæ ex patriis moribus deferebatur. Igitur concludendum eſt, Apoſtolos, cum improbos Chriſtianos ſacris interdicebant & a piorum conventu ejiciebant, eam cenſuram exercuiſſe, quam Chriſtus peculiari lege conſtituiſſet, quæque ad animos tota pertineret.

XX. Redeamus ad Grotium. Is in §. XXII. de Chriſtianorum Principum auctoritate ediſſerit, quæ adhibenda ſit, ſi forte Paſtores vel contra divinas leges vel contra receptos canones clavium poteſtatem adminiſtraverint & Civibus fraudem faxint. Hoc quum acciderit, Principes e re publica facere duxit, ſi ipſimet cauſſæ cognitionem ſuſcipiant. Exempla Juſtiniani & Mauritii Imperatorum attulit, quorum ille legem juſſit, in qua ferendæ excommunicationis rationem dedit, hic vero imperavit, Gregorium Magnum, qui Johannem C-Politanum Antiſtitem Eccleſiaſtica ſocietate divulſerat, cum eo ipſo officiorum conjunctionem habere. Deinde in §. XXIII. inſtituta laudavit præſtantiorum Gentium, ex quibus Principes iis præſidio eſſe ſolent, qui ab Eccleſiaſticis hominibus injuria afficiuntur. Sic illi, quibus vim Antiſtites injuſtam facere parant, in Hiſpaniis & in Belgio apud Politicos Magiſtratus receptum habent, qui de more *intercedunt*, ſive præſidium ſuum opponunt, ne ullus offenſioni locus ſit, & in Galliis iidem Regem vel Curiam Parlamenti adeunt, quod *provocare tanquam ab abuſu* Juriſconſulti dicunt. Perrexit deinde Grotius dicere quem modo ſequemur. Nunc diſpiciamus quæ hactenus ille confuſe diſputavit. Nam exiſtimandum eſt quidem, ſummos Magiſtratus Chriſtianæ Reipublicæ præeſſe non modo ad fortunandos tranquillitate & pace univerſos cives, ſed ad tollendum Religionis & canonum contemptum: ex quo perſpicuum eſt, licere omnibus, quibus injuria illata eſt Epiſcoporum decreto, Magiſtratus convenire publicamque tutelam ſibi implorare, idque per ipſas leges, quibus politicus Status continetur. Atque univerſa antiquitas ita habuit. Euſebius Dorylæi Antiſtes, quem Dioſcorus ab Eccleſia depulerat in concilio epheſino, ad Marcianum Imperatorem adivit eundemque his alloquutus eſt *in Act.* I. *Conc. Calched.*, Σκοπος τῳ ὑμετερῳ κρατει ἁπαντων μεν των ὑπηκοων προνοειν, και χειρα ὀρεγειν ἁπασι τοις ἀδικουμενοις, μαλιστα δὲ των εἰς ἱερωσυνην τελουντων, και ἐν τουτῳ το θειον θεραπευοντες παρ᾽ οὗ το βασιλευειν ὑμιν, και κρατειν των ὑφ᾽ ἡλιῳ δεδωρηται, *Conſilium eſt Majeſtati veſtræ, univerſis quidem ſibi ſubditis providere & manum porrigere omnibus injuſte oppreſſis, præcipue tamen iis, qui Sacerdotio funguntur, in hoc divinitati placentes, a qua vobis imperare & dominari ſub hoc Sole donatum eſt.* Verum canonica judicia duplicis ſunt generis, alia quidem civilia, in quibus contra Clericos quæſtiones de profanis rebus exercentur, alia vero Eccleſiaſtica, quæ ad fidem & Eccleſiæ diſciplinam pertinent. Atque ſi de prioribus judiciis quæramus, dubium non eſt, quin iis Epiſcopi præſint ea cum poteſtate, quæ ex imperatoriis legibus credita eſt. Quocirca omnis juris ratio ſancit, ut ſi qui Clerici in hujuſmodi judiciis Sacerdotio abdicentur aut ſacris interdicantur, his vicem dolentibus ſuam Principes alios judices dare poſſint, niſi ipſimet cauſſæ cognitionem inire velint: Auctorem enim habent Conſtantinum nomine & re magnum, quique de Religione optime meritus eſt. Synodus Tyria in Athanaſium, qui de publicis criminibus quaſi reus deferebatur, immaniſſimam ſententiam dixerat. Nam ab Alexandrini Sacerdotii procuratione eum dejecerat, & Eccleſiaſticorum officiorum ſocietate disjunxerat: Brevius in eum καθαίρεσιν *depoſitionem* tulerat, quo verbo in libro I. Hiſt. cap. XXXII. Socrates rem expreſſit. Hæc vero καθαίρεσις *depo-*

depoſitio complectebatur *ἀκοινωνησίαν excommunicationem*. Neque enim probabile eſt, Euſebianos, qui Athanaſium ex veteribus inimicitiis oderant, ipſum Epiſcopatu ſolum deturbaſſe, & pœnæ, quam decreverant, hunc modum impoſuiſſe. Itaque ſanctiſſimus Antiſtes ad Conſtantinum venit, quumque dixiſſet, Tyrienſes Patres quippe omnes fere hoſtes ſuos iniuſte ſecum egiſſe, contemptis legibus & canonum ſcitis, illum monuit, ut coram ipſo ſummo Judice ſeſe cauſſam dicere pateretur. Imperator ei fidem ſuam deſpondit, qua ſtatim ſeſe liberavit. Nam vetuit, ne ulla vis tribueretur decreto, quod latum erat, donec omnes ii, qui judicaverant, C-Polim pervenirent, & cur ita in Athanaſium cenſuerint, apertis rebus docerent. Omnia hæc accipimus ex Conſtantini Epiſtola ad Tyrios Patres, quam Socrates attulit. In ea Imperator inquit, *Athanaſius nihil amplius ſe poſtulare dixit, quam ut vos hic adeſſetis, quo vobis præſentibus ea, quæ perpeſſus eſt, neceſſitate coactus poſſet deplorare*; Ὅθεν ἐπειδὴ εὔλογόν μοι εἶναι φαίνεται, καὶ τοῖς καιροῖς πρέπον καταφαίνεται, ἀσμένως ταῦτα γράψαι πρὸς ὑμᾶς προσέταξα ἵνα πάντες ὅσοι τὴν Σύνοδον τὴν ἐν Τύρῳ γενομένην ἀνεπληρώσατε, ἀνυπερθέτως εἰς τὸ στρατόπεδον τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας ἐπειχθῆτε, τοῖς ἔργοις αὐτοῖς ἐπιδείξοντες, τὸ τῆς ὑμετέρας κρίσεως καθαρόν τε καὶ ἀδιάστροφον ἐπ' ἐμοῦ δηλαδή, ὃν τοῦ Θεοῦ γνήσιον εἶναι θεράποντα οὐδ' ἂν ὑμεῖς ἀρνηθείητε, *quod cum mihi æquum in primis & temporibus noſtris congruum eſſe videatur, hæc ad vos libenti animo ſcribenda curavi, ut omnes qui ad Concilium in Civitate Tyro conveniſtis, ad comitatum clementiæ noſtræ abſque ulla dilatione properetis: integritatem ac ſinceritatem judicii veſtri rebus ipſis oſtenſuri: idque coram me, quem ſincerum eſſe famulum Dei ne vos quidem ipſi inficiari poteſtis*. Iſtud Conſtantinus peregit quod perpetua lege Juſtinianus juſſit in Novella 123. cap. 21., Ἐι μεν τοιγε ἐκ βασιλικης κελευσεως ἠ δικαστικης προσταξεως ἐπισκοπος κρινη μεταξυ οἱωνδηποτε προσωπων, ἡ ἐκκλητος ἐπι την βασιλειαν ἠ ἐπι τον παραπεμψαντα την ὑποθεσιν ἀναφερεσθω, *ſi tamen imperiali juſſione aut judiciali præcepto Epiſcopus judicat inter quaſcunque Perſonas, appellatio ad Imperium aut ad eum, qui tranſmiſit negotium, referatur*. Hæc Principes perferebant approbantibus ipſis Romanis Præſulibus, interque eos Gregorio Magno, cujus conſulenda eſt epiſtola ad Joannem Lariſſæum Epiſcopum.

Proficiſcamur vero ad ea judicia, quæ habentur cauſſa rei Eccleſiaſticæ. Veteres quidem Patres Chriſtianis Imperatoribus & Regibus quandam in iis auctoritatem tribuebant, quam exorare & implorare illis omnibus datum erat quos in crimen violatæ Fidei aut diſciplinæ falſo adductos Paſtorum ordo ab Eccleſia manifeſta cum injuria ſummoviſſet & ſacris interdixiſſet. At ſi, quid antiquitas memoriæ prodidit, recte teneamus, nobis equidem perſpicuum erit, iis qui de iniquitate Eccleſiaſticorum judiciorum querebantur, Principes non ita aſſuiſſe, ut ſibi ipſis cognitionem de ſacris negotiis vindicarent. Magna illis Religio erat, ne iſtud auderent & committerent. Hoc enim unum bene ſapienterque egerunt, ut eam tutelam in quam ſanctiſſimos canones receperant, univerſis afferrent, qui a receptis patrum inſtitutis Epiſcopos diſceſſiſſe indolebant in gerenda Clavium poteſtate. Quapropter optimum conſilium a Piis Imperatoribus initum eſt, ut acceptis illorum querelis, qui iniquum judicium ſubiviſſent, ſi rem ordine non eſſe peractam perſpicerent, eam integram ad alios Judices ſed Eccleſiaſticos reiicerent. Ad pios & veteres Romanos Principes noſtra reſpicit oratio. Nam qui poſtremis temporibus C-Politanum Imperium geſſerunt, iidem audacter ſacrorum quæſtiones a Synodo Patriarchæ ad publicorum Judicum ſenatum deferebant. Id enim cum Magiſtratibus Lucas Patriarcha exprobraret, ei reſponſum eſt apud Balſamonem *in comm. ad can. 15. Synod. Carthag.*, Ἡ' βασιλικη ἐξουσια παντα δυναται ποιειν . . . το ἐκκλησιαστικον δικαστηριον μεταγει κατα νομιμον παρατηρησιν ἐις πολιτικον, *Imperatoria poteſtas omnia facere poteſt . . . eccleſiaſticum judicium legitime in politicum immutat*. Sic enim iſti ad voluntatem & ſententiam Imperatorum dicebant. Sed nihiloſecius ipſe Balſamon ſatis declaravit, illud, quod ab iis Principatui dabatur, ſacris canonibus eſſe contrarium. Atque neceſſe non eſt, ut quod apertum eſt, de eo ipſo a nobis canones recitentur, quos facile quiſque legit apud Petrum de Marca in toto libro quarto de con-

cor

cordia Sacerdotii & Imperii. Iſtud tamen ipſum paulo poſt iterum dicetur. Nunc reſtat ut videamus, quæ contra diſputata ſint.

Exempla primum Juſtiniani & Mauritii a Grotio proferuntur, quorum nemo eas partes ſibi vindicavit, quas ille Chriſtianis Rerumpublicarum Rectoribus attribuit. Juſtinianus quidem in Novella cxxiii., quæ lex recepta eſt in *Baſilic. lib.* iii. *cap.* xxiv., cauſſas præſcripſit, quamobrem ſacræ interdictionis pœna repeti poſſet, idemque ſancivit, ut qui hanc pœnam injuſte dederint, ea liberarentur a Metropolitano, vel Patriarcha, qui deinde Epiſcopum arbitratu ſuo agentem ſegregare ab Eccleſia deberent. Itaque ſapientiſſimus Imperator illud ſibi non ſumpſit, ut cognoſceret de ſententiis, quas Antiſtites in ſacris judiciis tuliſſent, ſiquidem hoc ipſum majoribus Epiſcopis commiſit. Quid enim juſſit, niſi quod veteres Patrum Synodi præceperant. Ac conſenſio quidem legis, quam ille dixit, cum priſcis canonibus ſatis probata eſt in Nomocanonis Photiani titulo ix. cap. ix. Synodus Nicæna in canone quinto conſtituit, hoc in provinciæ Synodis eſſe quærendum, an Antiſtites *μικροψυχίᾳ, ἢ φιλονεικίᾳ ἢ τινὶ τοιαύτῃ ἀηδίᾳ ſimultate*, aut *contentione* aut *aliqua alia moleſtia* in quendam ſententiam pronunciaverint. Declaravit enim, iis quos temere Eccleſiæ complexu Epiſcopus divelleret, receptum patere ad Synodos, a quibus ſtatim abſolverentur. Hanc eandem diſciplinam Sardicenſis Synodus ſancivit in canone xvii. quem iiſdem verbis deſcribimus, *Oſius Epiſcopus dixit: Quod me adhuc movet, reticere non debeo, ſi Epiſcopus, qui forte iracundus cito & aſpere commovetur adverſus Presbyterum ſive Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit, providendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem: & ideo habeat poteſtatem is, qui abjectus eſt, ut Epiſcopos finitimos interpellet, & cauſſa ejus audiatur, ac diligentius tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti; & ille Epiſcopus, qui juſte aut injuſte eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium diſcutiatur, ut vel probetur ſententia ejus a plurimis, vel emendetur*. Sed ſatis de Juſtinianæa lege. Venimus ad Mauritium, qui ab Arminiano ſic aſſertur, perinde atque re cognita & deliberata imperaſſet, Gregorium Magnum Eccleſiaſticam amicitiam cum Joanne C-Politano inire. Hoc enim ne in mentem quidem Principi venit. Gregorius ſacram officiorum conjunctionem cum Joanne ſuſtulerat, quod hic Patriarchæ œcumenici præconio laudari vellet, ejuſque temeritatis commonefactus a ſententia non diſcederet. Sanctiſſimus Romanus Pontifex ſapienter exiſtimaverat, eum titulum reliquorum Præſulum dignitati officere, ex quo Divinus Eccleſiæ Status perturbaretur. Nec ulla componendæ pacis ſpes affulgebat. Tum Mauritius Joannis rogatu in animum induxit, ut conciliatorem ageret. Verum Pontifex in conſilio perſtitit: Omnia ipſe narrat in Epiſtola 39. ad Sabinianum, *Miror*, inquit, *quomodo dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres Domno Imperatori perſuaderi, quatenus ad me ſua ſcripta de hac cauſſa tranſmitteret, in quibus admoneret, ut cum eo pacem habere debuiſſem, qui ſi juſtitiam tenere vult, illum debuit admonere, ut ſe a ſuperbo vocabulo compeſceret & protinus inter nos pax fieret. Idcirco enim hoc ille fecit, ut aut audiretur Domnus Imperator, & ille in ſua vanitate confirmatus eſſe videretur, aut non a me audiretur, & ejus animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenentes nihil in hac cauſſa aliud, niſi omnipotentem Dominum metuentes*. Ex his docemur, Mauritium non ſuſcepiſſe controverſiæ arbitrium, quæ inter Præſulem C-Politanum & Præſulem Romanum intercedebat, ſed tantum alterius admonitu inter utrumque conjungere pacem ſtuduiſſe. Igitur perſpicuum eſt, Principes illos, quorum exemplis Grotius uſus eſt, in quæſtionibus ſacris nec tanquam Judices, nec tanquam arbitros, ſed quaſi conciliatores & canonum diſciplinæque pios vindices fuiſſe verſatos. At enim Arminianus commemorat inſtituta Hiſpanorum, Belgarum & Gallorum, apud quos iis omnibus, qui de Epiſcoporum ſententiis in Eccleſiaſticis cauſſis queruntur, præſidium in Regibus conſtitutum eſt. Quid vero ille proficiat ad conſilium ſuum? In iis enim inſtitutis hoc receptum eſt, ut in officio manere ii Paſtores cogantur, ſi qui ſacram ſuam juriſdictionem ad publicæ incolumitatis fraudem traduxerint.

rint. Neque enim ſapientiſſimi ſane & pientiſſimi illarum Gentium Reges de ſacris cognitionem capeſſunt, ſed cognita Eccleſiaſticorum judiciorum perverſitate, ſtatim Civium ſaluti conſulunt, idque publicæ tutelæ jure, in quam eos receperunt. Verumtamen iidem cavent, ut Eccleſiaſtica juriſdictio Epiſcopis ſoſpes & integra ſit, nec in contemptum veniat. De Gallicanis provocationibus, quas vulgus *ab abuſu* dicit, ſic Gerſon *in Tract. circa materiam excom. & irregul. conſid.* x. *Contemptus clavium non ſemper invenitur apud illos, qui nedum non obediunt ſententiis excommunicationum promulgatis per Pontificem vel ſuos, ſed etiam non eſt judicandus apud illos, qui per poteſtatem ſæcularem adverſus tales prætenſas ſententias tueri ſe procurant. Lex enim naturalis dictat, ut poſſit vis vi repelli. Conſtat autem quod tales excommunicationes non debent dici jus, ſed vis & violentia, contra quam fas habet liber homo vel animus ſe tueri.* Sed ne in longam abeamus orationem, perlegi jubemus eum, quem ſæpe nominavimus, Petrum de Marca *de Conc. Sacer. & Imp. in libro quarto cap.* xx.

XXI. Jamvero de jure Principum in conſtituendis canonicis judiciis Arminianus dixit, ſed ita ut omnia, quæ fundit, nemini probari poſſint. Ait primum, Eos poteſtatem habere, quæ ad ſanciendum horum judiciorum ordinem pertineat. Illis totum iſtud tribuit, quod ab Epiſcoporum ſententiis ſæpe ad alios Antiſtites provocetur. Vetus hoc eſſe imperatorium jus, ex quo C-Politanus Præſul inter omnes Orientis Epiſcopos eminuit, ex quo Melchiades Papa & Maternus Rheticiuſque Gallicani Præſules de Donatiſtis pronuntiarunt, ex quo denique Calchedonenſis Synodus Concilium ſecundum Epheſinum antiquavit. Tum docet apud Veteres hunc fuiſſe judiciorum ſtatum, ut Synodi de cauſſis Eccleſiaſticis cognoſcerent, ſin illi, qui in jus fuerant vocati, vicem quererentur ſuam, alii conventus qui ſociabantur extra ordinem, appellari poſſent, niſi ſi Imperatores, quod raro accidebat, de primorum Judicum religione & æquitate judicare vellent. Id enim iis licere exemplo Conſtantini Magni arbitratur. Addit vero, rejectis interdum Synodis, rem eo rediiſſe, ut ipſimet Principes de ſacris negotiis decernerent ſapientum Theologorum ductu & ratione. Sic enim efficit ex canone xii. Antiochenæ Synodi, quem ex ſententia ſua intelligit. Hæc ille, de quibus breviter videamus. Omnia quidem, quæ exprompſit, in duplici ſummo capite conſiſtunt, quorum unum eſt, Canonicorum judiciorum ordinem politici eſſe peculii, alterum autem eſt, Principes jure ſuo agere, ſi cum Epiſcoporum Concilia rejiciuntur, vel cum ab iis appellatur, ipſi cauſſarum cognitionibus præſint. Utrumque iſtud cum exemplis, quæ adjunguntur, nunc perſequemur. Primum equidem ornare conabimur, id vero, quod poſtremum eſt, paucis refellemus.

XXII. Atque ex clariſſimis antiquitatis monumentis perſpicuum eſt, Romanos Imperatores, veluti pios Eccleſiæ vindices, bonos Reipublicæ parentes & fideles civium omnium tutores diligenter provridiſſe, ut judicia, quæ de eccleſiaſticis cauſſis inſtituuntur, eo ordine gererentur, quem ipſimet juberent. Hic vero Ordo non modo ad Religionis incolumitatem, ſed ad eorum, qui in jus vocabantur, ſalutem & tranquillitatem erat accommodatus. In Œcumenicis Conciliis politici Magiſtratus ſæpe fuerunt, qui a Principibus mittebantur, ut de legitima tractandarum rerum ratione caverent. Ea provincia mandata eſt Candidiano Comiti in Concilio Epheſino primo, Elpidio Comiti in Epheſino ſecundo, & Judicibus in Calchedonenſi. Exiſtimabatur porro, iis nullam eſſe vim & auctoritatem, quæ non eo modo ſancita fuerant, quem Principes lege conſtituerant. Theodoſius Epheſinum illud primum Concilium coegerat, eique injunxerat, ut coram Candidiano Comite de fide conſultaret, nec ullas quæſtiones exerceret de Epiſcopis, qui fortaſſe poſtulari poſſent, ſed eas C-Polim rejiceret. Concilium haberi cœptum eſt. De dogmate Patres deliberant & Neſtorium honore depellunt. Decretum hoc conditum eſt, quin Joannes Antiochenus cum Epiſcopis ſuis expectaretur. Hic paulo poſt venit, cumque ægre tuliſſet, in Neſtorium ſententiam eſſe pronunciatam, conventu ſeorſum habito, Cyrillum & Memnonem tanquam commiſſi facinoris auctores Sacerdotio abdicat. Tantam hominis audaciam Concilium exhorreſcit, eumque viciſſim ſacris interdicit. Omnia Impera-

perator cognoſcit ex litteris Comitis Candidiani, qui ſcripſerat, Concilium Imperatoris nec juſſis paruiſſe, nec canonicum ordinem ſervaſſe. Quocirca ſtatim ille edicit, ne ulla iis tribuatur publica firmitas, quæ perturbate in Concilio peracta ſint, utque omnes iterum res amplius cognoſcantur. Recitemus Imperatoris legem, quæ *part.* I. *Epheſini Concilii* deſcripta eſt, ὅθεν δεδοκται τῃ ἡμετερᾳ θειοτητι, χωραν μεν την τοιαυτην μηδαμως ἐχειν ἀκολουθιαν. των δε ἀνακολουθως γεγονοτων ἀργουντων, τους περι της ἐυσεβειας λογους, ὥσπερ ἐδεδοκτο πρότερον ἐξετασθηναι, και κατα το κοινη πασῃ τῃ συνοδῳ δοκουν εις τον ἑξης χρονον κρατειν, *Proinde Sacræ Majeſtati noſtræ placuit, talem procedendi modum nullum habere locum aut momentum, his vero, quæ inepte & citra ordinem geſta ſunt, ceſſantibus, doctrinam de pietate prius, ſicuti decretum fuit, diſcuti, eamque ſecundum communem totius Synodi ſententiam in poſterum obtinere.* Patres non abnuunt, id ipſum, quod in lege ſciſcebatur, ad Principes pertinere. Quin etiam certum habent, Theodoſio jus fuiſſe diſpiciendi, num Concilium probatam judicandi rationem inſtituiſſet, eumque admonent, ut Comitem cum Epiſcopis evocet, a quibus ſcire poſſit, an omnia recte ſe habuiſſent. Id conſilium Theodoſius ſequitur, & accitis C-Polim utriuſque factionis ſeptenis Epiſcopis plane ab iis cognoſcit, Patres in cauſſa Neſtoriana ſic fuiſſe verſatos, ut ab illa agendi forma non diſceſſiſſent, quam Canones & Leges præcipiebant: quod cum detexiſſet, publice confirmavit quidquid de Neſtorio Concilium decreverat. Ex his plane intelligimus, veterem Eccleſiam Theodoſio condendi ordinis ultro detuliſſe facultatem, quo Eccleſiaſtica judicia continerentur. Itaque ille in altero Epheſino Concilio, cujus acta recitantur *in Syn. Calch.*, ab Elpidio appellatur της ταξεως ἑυρετης και φυλαξ *ordinis auctor & cuſtos*. Eximia hæc erat auctoritas, ex qua neceſſario efficiebatur, Imperatores potuiſſe iis alterum Eccleſiaſticum judicium dare, qui ad ipſos ab Epiſcoporum primis Synodis appellabant. In Concilio Milevitano, quod anno CCCCXVI. coactum eſt, ſic Africani Patres conſtituunt, *Placuit, ut quicunque ab Imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur. Si autem Epiſcopale judicium flagitaverit, nihil ei obſit.* Baſſianus, qui Epheſino Sacerdotio dejectus fuerat, ad Marcianum provocavit, ut cauſſæ ſuæ cognitionem Calchedonenſi Synodo committeret: Θεσπισαι, inquit, καταξιωσῃ το ὑμων ὀυρανιον κρατος δια θειας ὑμων ὑποσημειωσεως καταπεμπομενης προς την ἁγιαν συνοδον, διαγνωσιν συγκροτηθηναι κ. λ., *Sanciat veſtra cœleſtis poteſtas, ſacra ſubnotatione miſſa ad Sanctum Concilium, ut cognoſcat inter me miſerrimum, & eos, qui in me talia perpetrarunt, ac dicunt ſe aliquid adverſus me habere.* Has preces Baſſianus Imperatori admovebat, qui, cum eas libenter accepiſſet, ad Synodum ſcripſit *in Act.* XI., Τελησατω τοινυν ὑμετερα ἐυλαβεια δεξαμενη ταυτα ἡμων τα θεια γραμματα, ζητησαι τα τοῦ πραγματος, και τυπον δουναι τον ὑμιν παριστατμενον, *Feſtinet igitur veſtra reverentia, has noſtras ſuſcipiens litteras, cauſſam diſcutere, & formam quæ vobis viſa fuerit, proferre.*

XXIII. Atque probe ad declarandam hujuſmodi imperatoriam auctoritatem allatum eſt ab Arminiano noſtro exemplum C-Politani Præſulis, qui voluntate Romanorum Imperatorum tantam ſibi amplitudinem dignitatis adjunxit, ut univerſis judiciis præeſſet, quæ in Thracicis, Ponticis & Aſianis Synodis ab Epiſcopis reddebantur. In canone III. C-Politani Œcumenici Concilii Patres ita decernunt, Τον μὲν Κωνσταντινουπολεως ἐπισκοπον ἐχειν τα πρεσβεια της τιμης μετα τον της Ρώμης ἐπισκοπον, δια το ειναι ἀυτην νεαν Ρωμην, *C-Politanæ Civitatis Epiſcopus habeat privilegia honoris poſt Romanum Epiſcopum eo quod ſit ipſa nova Roma*: Jubent nempe omnibus Orientis Epiſcopis C-Politanum Præſulem anteferri propter eam nobilitatem quæ Urbi acceſſerat ab Imperatoribus. Hoc decreto, etiamſi ille non reipſa ſed nomine Patriarcha conſtitueretur, tamen Thracicæ Diœceſeωs, in qua C-Polis continebatur, procurationem ſibi vindicavit. Sed quomodo ei ex ſententia ſucceſſiſſet, paucis cognoſci poteſt. Idem C-Politanum Concilium in canone II. ſanciverat, ſupremam eſſe cujuſque Diœceſeωs poteſtatem in gerendis ſacris negotiis. Diœceſis cum dicebatur, eam regionem Veteres intelligebant, quæ plures provincias complectebatur, & Præfecto Prætorio vel hujus

hujus Vicario in rebus civilibus, atque Exarcho vel Patriarchæ in rebus Eccleſiaſticis parebat. Hujuſmodi regiones in Oriente erant quinque, quot Notitia Imperii nobis prodit, Ægyptiaca, Antiochena, Thracica, Pontica & Aſiana. Ad Ægyptiacam quinque provinciæ pertinebant, quarum caput erat Alexandria: Adſcribebat ſibi Antiochena unam ſupra decem provincias: Thracica, cujus Metropolis erat Heraclea, in ſex provincias tribuebatur: In Aſiana idem erat Provinciarum numerus, qui in Antiochena, Epheſina Urbs omnibus antiſtabat: Pontica denique, in qua eminebat Cæſarea Cappadocia, decem provincias in complexu ſuo concludebat. Quapropter in canone illo II. hoc ſancitum eſſe videtur, ut Alexandrinus Præſul Diœceſin Ægyptiacam, Antiochenus Orientem (ſic enim Antiochena Diœceſis vocabatur), Heracleenſis Thracicam, Epheſinus Aſianam & Cæſareenſis Ponticam adminiſtraret. Verum iis Præſulibus non ea adminiſtratio mandata eſt, quæ Metropolitanis Synodis officeret. Nam in eodem canone ſic cavetur, τὰ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἡ τῆς ἐπαρχίας σύνοδος διοικήσει κατὰ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα, *Ea, quæ ad unamquamque Provinciam pertinent, Synodus Provinciæ adminiſtret ſecundum ea, quæ in Nicæa definita ſunt*. Hæc quum conveniant, prorſus dicamus oportet, quinque illis Exarchis hoc unum datum fuiſſe, ut ad ipſos provocari poſſet a Synodis, quas Metropolitani convocabant. Atque Concilio hanc fuiſſe mentem ſatis docet canon ſextus, qui in Codice canonum Eccleſiæ univerſæ ſic legitur, Τούτους κελεύει ἡ ἁγία σύνοδος πρῶτον μὲν ἐπὶ τῶν τῆς ἐπαρχίας πάντων ἐπισκόπων ἐνίστασθαι τὰς κατηγορίας.... Εἰ δὲ συμβαίη ἀδυνατῆσαι τοὺς ἐπαρχιώτας πρὸς διόρθωσιν τῶν ἐπιφερομένων ἐγκλημάτων τῷ ἐπισκόπῳ, τότε αὐτοὺς προσιέναι μείζονι συνόδῳ τῶν τῆς διοικήσεως ἐπισκόπων ἐκείνης, ὑπὲρ τῆς αἰτίας ταύτης συγκαλουμένων, *Hos jubet Sancta Synodus primum quidem apud omnes illius Provinciæ Epiſcopos inſtituere accuſationes... Si vero acciderit, provinciales ad correctionem illorum criminum non ſufficere, tunc accedant ad majorem Synodum Epiſcoporum illius diœceſews qui hac de cauſſa convocati fuerunt*. Ex his, quæ ſcita fuerunt, plane ſequitur, ſummam penes Diœceſanam Thraciæ Synodum reſediſſe auctoritatem, ad quam omnes appellare poſſent, qui a Metropolitanis conventibus iniquum ſeſe judicium accepiſſe putabant. Quumque C-Politanus Antiſtes ea honoris laude jam claruiſſet, ut univerſis poſt Romanum Pontificem Præſulibus antepoſitus eſſet, is ſine ullo negotio aſſequutus eſt, ut, abdicato Heracleenſi Exarcho, Diœceſanæ illi Synodo præficeretur. In hunc ſenſum Socrates intelligendus eſt, qui ait, *Nectario* Præſuli Thraciam obtigiſſe decreto C-Politani Concilii. Sic enim ille *in lib. v. Hiſt. Eccl. cap.* 8., Καὶ κληροῦται Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν καὶ Θρᾴκην, *Nectarius quidem regiam Urbem & Thraciam ſortitus eſt*. Hæc prima fuit dignitatis acceſſio, quæ C-Politano Antiſtiti facta eſt ab Urbis majeſtate ſive Imperatorum conſilio, qui inter tot Urbes Byzantium delegerunt, ubi lares figerent. Eo quum ille perveniſſet, facile in aliis Diœceſibus Aſiana & Pontica ſummam auctoritatem ſibi quæſivit, quæ initio quidem in voluntate Exarchorum Epheſini & Cæſarienſis nitebatur, deinde ex eo jure exerceri cœpit, quod moribus erat conſtitutum. Cogitur poſtea Calchedonenſis Synodus, quæ in tribus canonibus IX., XVII., & XXVIII. omnia rata habuit, quæ is ex conſuetudine comparaverat. Nanque ſancivit, ut Antiſtes C-Politanus Metropolitas omnes Diœceſewn Aſianæ & Ponticæ ordinaret, idemque de illorum querelis cognoſceret, qui ad ipſum ab eorum judiciis provocarent. In canone IX. hæc leguntur, Εἰ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη, καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ ἐπὶ αὐτῷ δικαζέσθω, *ſi cum ipſius provinciæ Metropolitano Epiſcopus vel Clericus controverſiam habeat, Diœceſis Exarchum adeat, vel imperatoriæ Urbis Conſtantinopolis thronum & apud eum litiget*. Hac de re Petrus de Marca *in diſſ. de Patriarchatus C-Pni inſtitutione*. Optime igitur Grotius ſcripſit, præfecturam illam, quam C-Politanus Epiſcopus per Orientem in Eccleſiaſticis judiciis nactus eſt, ei ab Imperatoribus fuiſſe adjunctam.

Percurramus alia exempla, quæ exprompſit Grotius. Dixit quidem accommodate

ad id, quod agebat, Conſtantinum Magnum africanæ controverſiæ Melchiadem, Maternum & Rheticium judices præfeciſſe Donatiſtarum precibus. Sed haud ſcimus, an recte & apte is commemoraverit Calchedonenſem Synodum tanquam alterum judicium, quod Imperator inſtituerit ad antiquanda Epheſini ſecundi Concilii decreta, in quibus non modo Perſonis, ſed Catholico dogmati fraus facta erat. Ille ſic mentem ſuam expreſſit, *Unde Calchedonenſi Synodo id jus, ut Epheſinæ ſecundæ acta abrogarit?* Ac ſi quidem intellexit, œcumenicum Epiſcoporum conventum, quem Romanus Pontifex regeret, jus non habuiſſe ad explicandam conſervandamque fidem, niſi Imperator id tribuiſſet, ecquis tam impudens & audax hoc ipſum conceſſerit? Ampliſſimus enim Præſulum Ordo Divina præditus eſt poteſtate, ut Religioni diligenter conſulat, eandemque contra omnes, qui temere ſentiunt, & dilucide declaret & fortiter defendat. Sin vero Arminianus exiſtimavit, Imperatorem potuiſſe rogari ut Synodum alteram convocaret ad ea tollenda, quæ contra canonicum ordinem in Epheſo Dioſcorus commiſerat, iſtud quidem non modo appoſite, ſed ex veteris hiſtoriæ ſententia affirmavit. Atque res prorſus ita ſe habuit. C-Politana Synodus, quam eximius Præſul Flavianus convocaverat, de Eutychis presbyteri & archimandritæ doctrina cognitionem ſuſcepit eumque in hæreſi inſiſtentem ſua ſacris interdixit. Hic ſtatim Theodoſium convenit, a quo Concilium epheſinum impetravit. In eo Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus, qui præſes creatus fuerat, improbam operam dedit, ut Eutychem quaſi Orthodoxum criminis abſolveret, & Flavianum tanquam illum, qui inique judicaverat, Sacerdotio deiiceret. Interceſſerunt Romani Legati, ad quos Flavianus provocavit. Iis rebus acceptis Leo Pontifex conventum Italorum Epiſcoporum coegit qui omnia ea abrogavit, quæ in Epheſino concilio fuerant ſancita, Sed nihiloſecius veritus eſt, ne Orientis Eccleſiæ decretis Romanæ Synodi obtemperarent: itaque litteris Theodoſium obſecravit & obteſtatus eſt, ut cum epheſinæ Synodo contra Flavianum, tum C-Politanæ contra Eutychem nullam eſſe vim juberet, *Ecce ergo*, inquit, *Chriſtianiſſime & Venerabilis Imperator cum Conſacerdotibus meis implens erga reverentiam Clementiæ veſtræ ſinceri amoris officium, cupienſque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante Tribunal Chriſti Domini de ſilentio rei judicemur, obſecramus coram unius Deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, quum ipſa veſtri ſit cuſtos & auctor Imperii, & coram Sanctis Angelis Chriſti, ut omnia in eo ſtatu eſſe jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe numerus Sacerdotum congregetur*. Addidit idem litteras ad Auguſtam, in quibus cum dixiſſet, Dioſcorum in epheſino concilio negotium per vim & metum confeciſſe, illam rogavit, ut Theodoſium de altera frequentiore Synodo apud Italos convocanda moneret. Hoc Pontifex maxime ſtuduit, ſed Imperatorem votis ſuis adnuentem nactus non eſt, qui nunquam retractari id voluit quod contra Flavianum Dioſcorus peregerat: ſed tandem, Theodoſio demortuo, Marcianus Auguſtus ſivit alterum œcumenicum concilium congregari. Hoc habitum eſt Calchedone. Patres a Marciano contenderunt, ut epheſina Synodus, quæ publice approbata erat, juſſu ſuo antiquaretur. Nam *in Actione* x. inquiunt, *Oportet, ut rurſus eundem tranquilliſſimum & Chriſtianiſſimum Principem adeamus*, *ὡστε ἐκεινην την συνοδον ἱερῳ ἰδιῳ νομῳ μητε ὀνομαζεσθαι προσταξῃ*, *quatenus illud (Epheſinum) Concilium ſacra propria lege neque nominari præcipiat*. Expoſita eſt univerſæ rei hiſtoria, ex qua plane quiſque intelligit, poſt Synodum epheſinam Imperatoris auctoritatem fuiſſe imploratam duplici de cauſſa, quod is tollere poſſet quidquid contra ordinem peractum eſſet, & quod Theodoſianæ legi derogari oporteret, quæ rebus perturbate judicatis publicam firmitatem adiecerat. In eam ſententiam Calchedonenſe concilium illorum judiciorum ſimile exiſtimari poteſt, quæ Imperatores ad eorum, qui ad ipſos receptum habebant, querelas concedere ſolebant.

XXIV. Ediſſeramus alterum illud caput, quo omnis Grotii oratio de judiciis canonicis ſpectavit, an nimirum Principes in ſacris negotiis judices eſſe poſſint, ſi qui accuſantur, iidem vel de Synodorum ſententiis querantur, vel Synodos initio reiiciant

& ad

& ad ipſos ſeſe recipiant. Ait quidem ille, & ne ſine auctoribus loqui videretur, primum de Conſtantino Magno commemoravit, qui diſceptator & cognitor fuit Africanæ controverſiæ poſt Romanam & Arelatenſem Synodos, deinde Antiochenos Patres attulit, quod ii in canone XII. Principibus poteſtatem decernendi non ademerunt in Eccleſiaſticis cauſſis. Nos vero contra ſentimus & conſentientes omnes habemus, quibus Catholicum nomen eſt. Sed de re, quæ aperta eſt & vulgo conſtat, porro diſputari non oportet. Dicamus ſolum ad ea, quæ Grotius objecit. Atque de Conſtantino ſatis diſſeruimus in diſſertatione prolegomena. Reſtat igitur Antiochenus ille canon, qui nobis explicandus eſt. Is in Codice Eccleſiæ univerſæ ſic legitur, *Εἴ τις ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου καθαιρεθεὶς πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ καὶ ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου, ἐνοχλῆσαι τολμήσειε τὰς βασιλέως ἀκοάς, δέον ἐπὶ μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον τρέπεσθαι, καὶ ἃ νομίζει δίκαια ἔχειν, προσφέρειν πλείοσιν ἐπισκόποις, καὶ τὴν παρ' αὐτῶν ἐξέτασίν τε καὶ ἐπίκρισιν ἐκδέχεσθαι. εἰ δὲ τούτων ὀλιγωρήσας, ἐνοχλήσειεν τῷ βασιλεῖ, καὶ τοῦτον μηδεμιᾶς συγγνώμης ἀξιοῦσθαι, μηδὲ χώραν ἀπολογίας ἔχειν, μηδὲ ἐλπίδα μελλούσης ἀποκαταστάσεως προσδοκᾶν, Si quis a proprio Epiſcopo depoſitus, Presbyter vel Diaconus, vel Epiſcopus a Synodo, auſus fuerit Imperatoris auribus moleſtiam afferre, cum oporteat ad majorem Synodum converti, & jus, quod ſe habere putat, ad plures Epiſcopos referre, eorumque examen & judicium ſuſcipere: ſi itaque his contemptis, Imperatori moleſtus fuerit, is nulla venia dignus, neque ſui defendendi locum habeat, nec ſpem reſtitutionis expectet.* Recitatus eſt canon cuius ad perſpiciendam vim revocanda eſt in memoriam conſtitutio illa canonicorum judiciorum, quæ in Eccleſiis adſcita erat anno CCCXLI. cum Antiochenum concilium coactum eſt. Hanc conſtitutionem ex perſpicuis antiquitatis monumentis deſcripſerunt Petrus de Marca *in libro* VII. *Concordiæ Sacerdotii & Imperii*, Joannes Launojus in multis epiſtolis, anonymus auctor libri *de antiquis & majoribus Epiſcoporum cauſſis*, Paſchaſius Quenellius in diſſ. ad Leonem, quæ in volumine II. reperiuntur, clariſſimus Dupinius *in diſſ.* II. *de antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Gerbeſius Pariſienſis Doctor contra Davidium aliique complures. Receptum erat, ut Metropolitanæ Synodi ſingulas provincias ſuprema auctoritate adminiſtrarent, & jus dicerent, a quo nulla eſſet provocatio. Eam legem ſcripſerunt Nicæenſes Patres, qui in canone quinto inquiunt, *Περὶ τῶν ἀκοινωνήτων γινομένων, εἴτε τῶν ἐν κλήρῳ, εἴτε τῶν ἐν λαϊκῷ τάγματι τεταγμένων, ὑπὸ τῶν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπων κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα, τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι . . . . . μέχρις ἂν τῷ κοινῷ τῶν ἐπισκόπων δόξῃ τὴν φιλανθρωποτέραν ὑπὲρ αὐτῶν ἐκθέσθαι ψῆφον, De iis, qui communione privantur, ſive ex clero ſive ex laico ordine, ab Epiſcopis uniuſcujuſque Provinciæ ſervetur hæc ſententia ſecundum canonem, qui pronuntiat, ut hi, qui ab aliis abiiciuntur, ab aliis non recipiantur . . . . donec Epiſcoporum cœtui viſum fuerit pro iis humaniorem ferre ſententiam.* In his Patres aperte ſciverunt, Synodorum decreta eſſe rata, quin ſive a pari, ſive a majore Poteſtate abrogari poſſent, donec, ajunt, *Epiſcoporum cœtui viſum fuerit pro iis humaniorem ferre ſententiam*. Et quamvis illi de cauſſis minorum Clericorum explicate dixerint, tamen Epiſcoporum negotia non diverſo contineri jure ſatis declararunt: Nanque de iis judiciis loquuti ſunt, quibus non unus, ſed plures Epiſcopi præfecti eſſent. Nos autem id non movet quidquid contra eam interpretationem Chriſtianus Lupus attulerit in libro, quem Petro de Marca, Quenellio, Gerbeſio & Garnerio objecit. Id enim explicatum eſt apud Dupinium in diſſertatione, quæ paulo ante laudata eſt. Pergamus igitur. Nicæenſibus enim Patribus conſilium fuiſſe, ut Eccleſiaſticas Epiſcoporum cauſſas provincialibus Synodis judicandas crederent, C-Politana Synodus docuit, quæ in canone ſecundo ſic prodit, *Εὔδηλον ὡς τὰ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἡ τῆς ἐπαρχίας σύνοδος διοικήσει κατὰ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα, Manifeſtum eſt, ea, quæ ad unamquamque provinciam pertinent, Synodum provinciæ adminiſtrare ſecundum ea, quæ in Nicæa definita ſunt.* Res confecta eſſe videtur. Nam a Nicænis Patribus, interprete C-Politana Synodo, cujuſque provinciæ procuratio metropolitanis Synodis credita

dita eſt. Quumque in regenda Eccleſiaſtica provincia præcipuum ſit illud negotium; quod in commonefaciendis officii ſui Epiſcopis iiſdemque coercendis conſiſtat, prorſus efficitur, hoc omne Nicænorum Patrum juſſis ita eſſe commiſſum Synodis, ut ab iis ad parem vel ad majorem poteſtatem provocare nemini liceret. Hæc eximia auctoritas in judiciis Synodorum provincialium reſidebat, quam antiochenum concilium anno CCCXLI. confirmavit. In eo enim Patres ſanciverunt, ei Synodo, quæ concors in decernendo eſſet, ſine ulla provocatione obtemperari: *ſi quis Epiſcopus*, inquiunt in canone XV., *ab omnibus provinciæ Epiſcopis condemnatus fuerit*, πάντες τε σύμφωνοι μίαν κατ' αὐτοῦ ἐξενέγκοιεν ψῆφον, τοῦτον μηκέτι παρ' ἑτέροις δικάζεσθαι, *& univerſi unam conſentientem adverſus eum ſententiam tulerint, is ne ab aliis judicetur:* Sed porro in canone XIV. iidem juſſerant, Metropolitanum, ſi forte provincialis Synodus divideretur & in ſententiis diſſentiret, ei finitimos Epiſcopos adjungere, ut, quod in frequentiore collegio ſcitum eſſet, hoc amplius cognoſci non deberet, *Si . . . . contingat*, ajunt, *Epiſcopos provinciæ diſſidere . . . . . pro tota componenda controverſia* ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὸν τῆς μητροπόλεως ἐπίσκοπον, ἀπὸ τῆς πλησιοχώρου ἐπαρχίας μετακαλεῖσθαι ἑτέρους τινὰς τοὺς ἐπικρίνοντας, καὶ τὴν ἀμφισβήτησιν διαλύοντας, τοῦ βεβαιῶσαι σὺν τοῖς τῆς ἐπαρχίας τὸ παριστάμενον, *placuit ſanctæ Synodo, ut Epiſcopus metropolitanus è vicina provincia judices alios convocet qui controverſiam tollant, & quod cum provinciæ Epiſcopis probatum fuerit, confirmet*. Igitur Eccleſiæ gerebantur a provincialibus Synodis tanquam iis, quæ ſupremo jure de ſacris negotiis decernerent. Sed per idem tempus Principes exorari ſolebant, ut rem aliis Synodis committerent, in quas major Præſulum numerus veniret. Sancitum erat civilibus legibus, ut, quoniam a ſententiis, quas Præfecti Prætorio ferrent, provocatio non erat ad Principes, tamen perfugium ad eoſdem libere permitteretur, qui cauſſas retractari & tanquam relegi ſæpenumero jubebant. Diocletianus & Maximianus *in lege 16. C. de ſententiis Præf. præt.* inquiunt, *Litigantibus in ampliſſimo prætorianæ Præfecturæ judicio, ſi contra jus ſe læſos affirment, non provocandi, ſed ſupplicandi licentiam miniſtramus*. Politicum id inſtitutum Eccleſiæ, quæ erant in imperio, libenter adſciverunt, quin Synodorum ampliſſimæ dignitati derogarent. Itaque Antiocheni Patres, tametſi ſingulis Provinciis ſummum accurandæ Eccleſiaſticæ rei arbitratum detuliſſent, illud tamen caverunt, ut quidquid decretum eſſet, hoc amplius conſultari in frequentioribus Epiſcoporum comitiis oporteret, ſi Principes idipſum imperarent. In canone enim illo XII. qui a Grotio prolatus eſt, conſtituerunt, Diaconis, Presbyteris & Epiſcopis, qui ad Imperatorem adirent, & de iniquitate Synodorum expoſtularent, alteram majorem Synodum eſſe dandam, in qua de rebus judicatis iterum referretur: ſed iis, qui contemptis Eccleſiaſticis judiciis ſolum Principis præſidium implorarent, non modo non eſſe ignoſcendum, ſed omnem ſpem adimendam beatioris fortunæ. Hæc perſpicua eſt Antiochenorum Patrum ſententia, quam Dupinius vir eximius non tenuit. Nanque hoc illos ſanxiſſe putavit, tantum Epiſcopis, qui in provinciali concilio judicaſſent, jus eſſe frequentiorem Synodum habere ad eos coercendos, qui decreto ſuo non ſtarent & ob eam rem Principis juſſum impetrare. Negavit enim ei, qui Synodicum primum judicium ſubiviſſet, juſſu Imperatoris licuiſſe ad majorem Eccleſiaſticum conventum provocare. Sic Dupinius, qui hanc Patrum Antiochenorum mentem ex iis verbis effecit, quibus canon conceptus eſt apud Dionyſium Exiguum, in cujus latino codice ſic legitur, *Si quis . . . . a Synodo fuerit Epiſcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus moleſtus extiterit, oporteat ad majus Epiſcoporum converti concilium, & quæ putaverint habere juſta, plurimis Epiſcopis ſuggerant, ac eorum diſcuſſiones ac judicia præſtolentur*. Ex his Dupinius aperte colligere viſus eſt, non eum, qui damnatus eſſet & Imperatorem conveniret, ſed eos qui judicarunt in provinciali Synodo, *oportere ad majus Epiſcoporum converti concilium, & quæ putaverint habere juſta, plurimis Epiſcopis ſuggerere*. Nam ei illud ægre fuit, quod primum canonis comma hoc, *ſi quis . . . . . a Synodo fuerit Epiſcopus forte damnatus & Imperatoris auribus moleſtus extiterit* conjungi non poſſet cum verbis poſtremi commatis, quæ in nume-

numero multitudinis efferebantur. At enim miramur equidem doctum hominem ad græcum canonum codicem ſeſe non recepiſſe, quo facilius rem illam facile extricaret. Nam ex eo noſſet, duo illa Antiocheni canonis commata recte eſſe conjuncta ita ut qui ad Imperatorem provocaverit & Eccleſiaſticum judicium exoraverit, eidem danda ſit altera major Synodus, in qua *ἃ νομίζει δίκαια ἔχειν, προσφέρειν πλειόσιν ἐπισκόποις, καὶ τὴν παρ' αὐτῶν ἐξέτασιν τε καὶ ἐπίκρισιν ἐκδέχεσθαι*, *jus quod ſe habere putat, ad plures Epiſcopos referre* poſſit, *eorumque judicium ſuſcipere*. Huic canonis explicationi conſentanea eſt hiſtoria eorum ferme temporum, cum Antiochena Synodus coacta eſt. Tum enim complura conſtituta fuerunt canonica judicia, quæ Imperatores conceſſerunt propter illorum querelas, qui a provincialibus Synodis ad ipſos perfugiebant. Hæc Petrus de Marca erudite perſequitur. Nos enim quum ſatis Antiochenorum Patrum conſilium expoſitum habuiſſemus, prorſus confeciſſe contra Grotium videmur, eos non modo nullam ſummis Magiſtratibus poteſtatem judicandi detuliſſe in Eccleſiaſticis cauſſis, ſed etiam graviores pœnas in Clericos dixiſſe, qui iſtud ipſum, contemptis Epiſcoporum conventibus, ab illis contenderint.

XXV. Jamvero inſiſtamus in cæteris, quæ Grotius dicere perrexit. Atque is ſermonem injecit de jure, quod Principes ſibi habebant in iis recipiendis, quos Ordo Epiſcoporum ab Eccleſia alienos pronuntiaverat. Nam laudavit Ivonem Carnotenſem, qui in Epiſtola 171. Epiſcopos monuit, ne id crimini ſibi tribuerent, ſi Gervaſium quendam abſolviſſet, qui a Rege gratiam iniverat: antiquam eſſe legem, quæ jubebat conſuetudine ſacrorum eos donari, quos ſummi Reges in amicitiam ſuam ſuſciperent. Poſt Ivonem Joannes Papa allatus eſt, qui Juſtinianum Imperatorem rogavit, ut Neſtorianis aliiſque hæreticis eccleſiaſticam officiorum ſocietatem redderet, quos animum vera pietate imbuiſſe, & Catholicis conventibus nomen adſcribere ſuum exoptantes cognoſſet. Tum Arminianus alia quædam perſequutus eſt, quæ potius Principum ſedulitatem diligentiamque promunt in ſanciendis legibus, in quibus cavebatur, ne ſacra juriſdictio publicæ tranquillitati noceret. Sic enim ille; ſed profeſſus eſt, imperatoriam eam auctoritatem, quam extorres a piorum cætu Chriſtiani impetrare ſibi poterant, conſtitutam fuiſſe veterum Epiſcoporum modeſtia. Attamen res omnis a nobis extricanda eſt, ne quis arbitretur poteſtatem clavium, quæ Apoſtolis credita eſt, Principibus eſſe communem. Videamus primum de lege illa, quam Ivo Carnotenſis commemoravit. Duplex erat *excommunicatio*, altera quidem Chriſtianos reos, ſed eoſdem, quos criminum ſuorum pœnitebat, ab univerſis ſacris disjungebat: Hæc vocabatur medicinalis. Altera vero eos ab Eccleſia divellebat, qui, cum ſcelus ſibi conſcirent, ab eo animum non avocabant: Hæc mortalis dicebatur. Utrumque pœnæ genus apud Veteres expoſitum eſt. Auguſtinus *in lib.* 50. *Hom. ult.* plane ſic inquit, *Nos vero quemquam a communione prohibere non poſſumus, quamvis hæc proibitio nondum mortalis ſit, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum*. Prima illa excommunicatio ſæpe *pœnitentiæ* nomine dicebatur. Idem Auguſtinus in Epiſtola 108. eam ſic explicat, *Agunt homines pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari & poſtea reconciliari mereantur*. Hæc vero diſciplina quum Chriſtianos vicem ſuam dolentes coerceret ad ſalutarem animi ſui medicinam, Epiſcoporum arbitrio delata fuerat. Patres Nicæni in Can. XII. decernunt *ἐξεῖναι τῷ ἐπισκόπῳ φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι*, *licere Epiſcopo aliquid humanius ſtatuere de iis*, qui tempus ad dandam canonicam pœnam conſtitutum nondum expleverint. Ancyrani porro Præſules in canone V. conſtituunt, *τοὺς δὲ ἐπισκόπους ἐξουσίαν ἔχειν τὸν τρόπον τῆς ἐπιστροφῆς δοκιμάσαντας φιλανθρωπεύεσθαι, ἢ πλείονα προστιθέναι χρόνον, πρὸ πάντων δὲ καὶ ὁ προάγων βίος, καὶ ὁ μετὰ ταῦτα, ἐξεταζέσθω. καὶ οὕτως ἡ φιλανθρωπία ἐπιμετρείσθω*, *Epiſcopos ratione vitæ examinata, poteſtatem habere vel humanius erga eos* (excommunicatos) *agendi, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia vero & prior vita, & quæ conſequuta eſt, examinetur, & ſic eis impertiatur humanitas*. Hanc Epiſcoporum poteſtatem commendant

dant Baſilius *in can.* LXXIV., Chryſoſtomus *in Homil.* XIV. *in* 2. *Cor.*, Synodus Ilerdenſis *in Can.* V., & Calchedonenſis *in Can.* XVI. Quocirca quemadmodum Epiſcopi ſummos Magiſtratus exorabant, ut in reos publicorum criminum humanius animadverterent, ſic Magiſtratus ad Epiſcopos adibant, & apud eos canonicas pœnas deprecabantur. Teſtis eſt Auguſtinus, qui in Epiſtola LIV. ad Macedonium Magiſtratus ita affatus eſt, *Si vobis fas eſt eccleſiaſticam correptionem intercedendo mitigare, quomodo Epiſcopus veſtro gladio non debet intercedere, quum illa exſeratur, ut in quem exſeritur, bene vivat, iſte ne vivat?* In eodem ſtudio ſapientiſſimi Hiſpaniarum Reges fuerunt. Ad honoris autem ſignificationem ſancitum eſt in Hiſpanicis Conciliis, ut ſi qui regiam amicitiam ſibi demeruiſſent, illi ſtatim ab omni Eccleſiæ interdictione liberarentur. Toletana Synodus XII., quæ coacta eſt an. 680., cum Ervigius regnabat, canonem III. edidit, quem ſic concepit: *Vidimus quoſdam & flevimus ex numero culpatorum* (excommunicatorum) *receptos in gratiam Principum extorres extitiſſe a Collegio Sacerdotum... Et ideo quia remiſſio talium, qui contra Regem, Gentem, vel Patriam agunt, per definitiones Canonum antiquorum in poteſtate ſolum regia ponitur, cui & peccaſſe noſcuntur, adeo nulla ſe deinceps a talibus abſtinebit Sacerdotum communio, ſed quos regia Poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit aut participes menſæ ſuæ effecerit, hos etiam Sacerdotum & populorum conventus ſuſcipere in eccleſiaſticam communionem debebit, ut quod Principalis pietas recipit, nec a Sacerdotibus Dei extraneum habeatur.* Canon ad eos præſertim ſpectare videtur, qui ſacris interdicti fuerant vel ob Majeſtatis crimen, vel ob ſeditiones, vel denique ob conſpirationes contra auguſtiſſimam eorum, qui imperabant, Gentem. Habet illud Chriſtiana Religio, quod in ea eximium eſt, ut non modo immortali vitæ, ſed publicæ quieti & ſummorum Regum incolumitati conſulat. Audiamus Tertullianum ad Scapulam cap. II., *Circa Majeſtatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani* (Romani cives, qui in Imperatores conjuraverant), *inveniri potuerunt Chriſtiani: ſed iidem ipſi, qui per genios eorum in pridie uſque juraverant, qui pro ſalute eorum hoſtias & fecerant & voverant, qui Chriſtianos ſæpe damnaverant, hoſtes eorum ſunt reperti. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto Romano Imperio, quouſque ſæculum ſtabit.* Hoc officium in Reges Hiſpaniarum Præſules nunquam deſeruerunt. Quapropter Toletana Synodus IV. can. XLIV. juſſit, Clericos qui in ſeditione partibus ſtuduiſſent, in qualemcunque Monachorum locum abire ad vitam ſuam perpetuis laboribus conficiendam. Toletana autem quinta can. II. in memoriam revocavit ſacramentum, quod omnis Natio dixerat pro conſervanda colendaque Regis domo, pertulitque, ut qui ſacramento illi derogarent, anathemate percuterentur: quod ipſum canone IV. ſancivit in omnes eos, qui aut Regiam Majeſtatem affectarent, aut de Principe nec fauſta, nec fortunata ominarentur, aut in eum maledicta coniicerent. In eandem ſententiam res deliberata eſt in Synodis ſexta & decima. Ex his ſuperioribus Synodis facile explicatur, quid Toletana XII. ſanxiſſet. In ea Præſules, cum ſanctiones renovaſſent, quas Majores ſui ad Reipublicæ ſalutem & pacem condiderant, canonem conſtituerunt, ut omnes illi, qui publicum crimen commiſiſſent & deinde Regum amicitiam inirent, ſtatim ab Epiſcopis abſolvi deberent. Itaque tenemus quorſum valeant hæc, *Quia remiſſio talium, qui contra Regem, Gentem, vel Patriam agunt, per definitiones canonum antiquorum in poteſtate ſolum regia ponitur, cui & peccaſſe noſcuntur, adeo nulla ſe deinceps a talibus abſtinebit Sacerdotum communio.* Quæ ſic equidem accipimus, quaſi Patres illi dicerent par eſſe, ut jus Eccleſiæ iis civilium criminum reis redderetur, qui Reges, ad quos Civitatis tranquillitas maxime pertinet, ſibi placaſſent, & ad eorum neceſſitudinem ſeſe applicuiſſent. Hiſpanienſium ea inſtituta iiſdem verbis deſcribuntur in Gallicanis legibus, quas capitularia olim univerſi dicebant. Hæc eſt lex illa, quam Ivo Carnotenſis attulit in Epiſtola 171. *De Gervaſio*, inquit, *non debet veſtra Paternitas mirari vel indignari, quod eum ad communionem in Paſchali*

ſt curia ſuſcepi : pro Regia enim honorificentia hoc feci fretus auctoritate legis , in qua legitur , ſi quos culpatorum Regia Poteſtas ; ſequuntur cætera , quæ ex Toletano canone ſunt recitata . Quocirca apud eundem *in Decr. part.* 17. *cap.* 344. titulus legitur, *Ut quos Regia Poteſtas in gratiam receperit , his minores Poteſtates communicent* . Ex quo in Galliis mos ille fuiſſe videtur , ut ſi quos publicorum criminum arceſſitos humanitate ſua ampliſſimi Reges proſequerentur & ad amicitiam adjungerent, eos ab interdictione ſacrorum Eccleſiaſticus ordo liberaret . Hactenus de Ivone . Sed paucis explicandus eſt Joannes Papa . Juſtinianus Romam legatos miſerat cum litteris, in quibus Papam exorabat, ut ab Eccleſiæ Romanæ complexu quoſdam divelleret , qui Neſtorianam hæreſin inſtauraverant . Hæc Epiſtola legitur in lege, quæ incipit, *cognoſcere volentes Cod. de ſumma Trinitate* . Pontifex reſpondit , ſeſe conſuetudinem Eccleſiaſticam illis ademturum , quibuſcum Imperatori certamen intercedebat , ſiquidem eorum doctrina Catholicæ Fidei contraria erat . Quæ cum dixiſſet , ſtatim addidit , *Sed quia gremium ſuum redeuntibus nunquam claudit Eccleſia , obſecro clementiam veſtram , ut , ſi proprio depoſito errore , & prava intentione depulſa , ad unitatem Eccleſiæ reverti voluerint , in veſtram communionem receptis , indignationis veſtræ removeatis aculeos , & nobis intercedentibus , benigni animi gratiam condonetis* . Pars pontificiæ epiſtolæ continetur in leg. *liquet* Cod. de *Summa Trinitate* . Ex his omnes intelligunt, Imperatorem admonitum fuiſſe a Joanne , ut hæreticos , quos ad Catholicam Fidem redeuntes Eccleſia abſolvit , *communione* ſua ſive conſuetudine civili proſequeretur , eoſdemque impune verſari in Republica pateretur . Diſcedamus parumper a Grotio . Perſtringendus enim eſt Eutychius Patriarcha Alexandrinus , qui auctor eſt , non ab Epiſcopis , ſed a Conſtantino Magno Euſebium & Theognin in Eccleſiam fuiſſe admiſſos , quos Nicænum Concilium excommunicaverat . Is enim in libro arabico MSS , qui aſſervatur in Bibliotheca Cottoniana fol. 94. , cum Alexandri Patriarchæ C-Politani mortem narraſſet , tum addidit hæc , *Et venerunt Euſebius Epiſcopus Nicomedienſis & ſocius ejus* (Theognis Nicænus) *quos Patres trecenti octodecim* (Nicæni Patres) *excommunicarant, ad Conſtantinum Imperatorem opem ejus implorantes , deſiderantesque ut eos reciperet ipſe , atque excommunicatione ipſe eos ſolveret , profitentes inſuper ſe in maledictis habere Arrium & doctrinam ejus & fidem Patrum* 318. *amplecti . Inde recepit eos Imperator & ſolvit eos excommunicatione . Et cepit Euſebium Epiſcopum Nicomediæ & conſtituit eum Patriarcham C-Politanum* . In his duplex hominis error facile convinci poteſt . Primum committit , cum putat , Euſebium & Theognin in Nicæno Concilio ſacris fuiſſe interdictos . Nam beatus Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos prodidit , Euſebium & Theognin Nicæni Concilii judicium effugiſſe : idque probavit tum teſtimonio eorum, qui Nicæam venerant , tum ex Actis , in quibus inter eos , qui Concilio nomen ſuum adſcripſerant , Præſules illi reponebantur . Philoſtorgius vero teſtis eſt , eos , cum trium menſium intervallum a Nicæno Concilio eſſet exactum , ab Eccleſiis ſuis fuiſſe dejectos , quod ipſum Sozomenus in libro primo Hiſtoriæ cap. 21. approbavit . Quocirca veroſimile eſt , Conſtantinum Magnnm , dimiſſo Nicæno Concilio , alium Epiſcoporum conventum ſociaſſe , qui Euſebium & Theognin Sacerdotio abdicaret . Hoc enim docere videntur Athanaſius in libro de Synodis , & Theodoretus in libro I. Hiſtoriæ cap. 19. Conſulendus eſt Henricus Valeſius in annotationibus ad Socratis librum primum cap. XIV. Sed alter Eutychio error eſt , quem refellere nunc refert . Veterum omnium conſtans fides eſt , Euſebium & Theognin conſcripſiſſe libellum , in quo perfidiæ ſuæ ſeſe pœnitebat , ac Epiſcoporum Cœtui dediſſe , eundemque deprecatos eſſe , ut ad Eccleſias ſuas ipſos accedere daret . Hunc quidem libellum Sozomenus in libro 2. cap. XVI. deſcribit . In eo Ariani illi ſic Epiſcopos alloquuntur, καταξιώσατε οὖν , ὡς ἁρμόζει τῇ φιλοχρίστῳ ὑμῶν εὐλαβείᾳ , καὶ τὸν θεοφιλέστατον βασιλέα ὑπομνῆσαι , καὶ δεήσεις ἡμῶν ἐγχειρίσαι καὶ θᾶττον βουλεύσασθαι τὰ ὑμῖν ἁρμόζοντα ἐφ' ἡμῖν , *Vobis ergo , ſicut reverentiam decet veſtram Chriſti amantiſſimam , placeat benigne Imperatorem Deo cariſſimum admonere , eique preces noſtras referre , & in noſtra cauſſa ea quæ vobis congruunt , mature*

ture decernere. Quibus in verbis Eccleſiaſtico Ordini tribuitur, ut decernat quæ ſibi conveniunt, ſive quod idem eſt, de ſolvendo anathemate pronuntiet, Imperatori vero id defertur, ut univerſæ rei moneatur, pœnamque exilii tollat quam impoſuerat. Atque res eo modo geſta eſt: Nam Socrates in libro 2. cap. 14. eam ſic litteris conſignavit, *Εὐσέβιος δὲ καὶ Θέογνις βιβλίον μετανοίας τοῖς κορυφαίοις Ἐπισκόπων ἀποστείλαντες, ἀνεκλήθησάν τε τῆς ἐξορίας ἐκ βασιλικοῦ προστάγματος, καὶ τὰς Ἐκκλησίας ἑαυτῶν ἀπέλαβον*, *Euſebius porro & Theognis, pœnitentiæ libello ad præcipuos Epiſcopos miſſo, Imperatoris juſſu ab exilio revocati, Eccleſias ſuas receperunt*. Hæc eſt vera rerum hiſtoria, quam corrupit Eutychius ille Cottonianus; ſcriptor levis ſupra quam quiſquam exiſtimare poteſt.

XXVI. Redeamus ad Grotium, qui tandem hoc caput peroravit. Dixit enim, ſummos Magiſtratus *rebus novis non ſtudere*, *qui ad excommunicationem quippe cum publica nominis traductione nolunt veniri*, *niſi probatis ſibi cauſſis*, *& qui cenſuras manifeſte iniquas imperio ſuo inhibent*, ſiquidem illorum munus eſt, *& injuriam a ſingulis & tyrannidem ab Eccleſia depellere*. Ita ille. Sed nobis dubium non eſt, quin iſta omnis auctoritas ipſis conveniat, qui Rempublicam adminiſtrant, ſi in hunc ſenſum explicata ſit, ut Divino Eccleſiæ ſtatui nec deroget, nec officiat. Nos enim ſic habemus, illos eſſe vindices utriuſque tabulæ & *εὐταξίας diſciplinæ* Eccleſiaſticæ, quam Chriſtus præcepit, vel Patres in œcumenicis conciliis & Pontifices conſtitutam voluerunt. Ex quo eorundem partes ſunt, ut optimos & ſanctiſſimos canones tueantur, potiſſimum eos qui pertinent ad poteſtatem clavium bene ſapienterque gerendam. Hoc cum faciunt, tum quidem cauſſas probare videntur, ob quas Chriſtiani cives ſacris interdici poſſint. Multos a Conſtantino Imperatores pios & virtutibus eximios extitiſſe ex ſacra hiſtoria accepimus. Hi omnes canonicis inſtitutis, quibus Eccleſia regebatur, firmitatem publicam dabant, & quominus ab iis diſcederetur, lege ſanciebant, de quo jure alias quæſitum & diſputatum eſt. Atque ex ea Principum tutela ſequitur, ipſos poſſe cenſuras cohibere, quas Eccleſiaſticus cœtus male peregerit, ſi tamen eam agendi rationem teneant, quæ cum Evangelico Eccleſiæ regimine conſentiat. Hæc vero ſic procedit, ut, cum per Epiſcopos ſive Clericis ſive cæteris civibus injuria facta eſt in canonicis judiciis, jubeant eos ad majorem adire poteſtatem Eccleſiaſticam, quæ rem amplius cognoſcat. Quod ſi civium querelæ ſint de cenſuris, quæ non modo animos afficiant, ſed civile probrum inferant & opes fortunaſque eripiant, tum ſapientes Civitatis moderatores optime conſulunt Eccleſiaſtici ordinis dignitati & publicæ hominum tranquillitati, ſi diacritico judicio univerſum negotium gerant: itaque quidquid ſacrum eſt, ad ſynodos rejiciant, id vero quod politicum eſt, ad arbitrium revocent ſuum. Veterem hanc ſi viam inſtituant, ſatis cavent, ne civibus ſuis ulla fraus inferatur, aut penes Eccleſiam tyrannis reſideat.

CA-

AD
CAPUT X.
EXERCITATIO CRITICA.

I. Conſtituitur illud, de quo Grotius egit in hoc capite, & paucis colliguntur quæ idem attulit, ut conficeret varium fuiſſe in Eccleſia rationem conſtituendorum Paſtorum.

II. Plebs non modo teſtimonium dabat ei, qui Eccleſiæ præficiendus erat, ſed eundem eligebat.

III. Hoc jus Plebi ademptum non fuit in canone quarto Concilii Nicæni.

IV. Nec in Canonibus Antiochenis, Laodicenis & Calchedonenſibus.

V. Ea tamen res juris Divini non eſt, ſed ad mutabilem Eccleſiæ diſciplinam pertinet.

VI. Chriſtiani Imperatores de modo creandorum Epiſcoporum leges condiderunt, ſed ex canonum mente.

VII. Diſſeritur de eorundem jure in eligendis Epiſcopis: Hoc a Grotio aſſeritur argumentis duplicis generis, quorum alterum in ratione principatus, alterum in exemplis nititur. Principatus perpenditur ratio, quam Grotius profert.

VIII. Accedit oratio ad diſpicienda exempla, quæ promuntur. Conſilium aperitur Romanorum Imperatorum, qui Epiſcopos Eccleſiis dederunt.

IX. Iis prorſus tribuebatur, ut Epiſcopi Eccleſiis non præficerentur ſine ſua ipſorum aſſenſione.

X. Sermo injicitur de Juſtiniano, atque e re nata illæ partes explicantur, quæ C-Politanis Imperatoribus deferebantur in Romanorum Pontificum creatione.

XI. Gallicani Principes ante Carolum Magnum Romanos Pontifices non ita ſibi demeruerant, ut ab his poteſtatem creandorum Epiſcoporum impetraverint. Exponitur epiſtola Lupi Abbatis Ferrarienſis.

XII. Confictum eſt decretum illud Hadriani Papæ, in quo jus renuntiandorum Epiſcoporum & creandi Romani Pontificis Carolo Magno attribuitur. Id oſtenditur pluribus argumentis.

XIII. Horum argumentorum maximum illud eſt, quod ex hiſtoria ducitur eorum Pontificum, qui poſt Carolum Magnum Eccleſiæ Romanæ præfuerunt.

XIV. Rejicitur auctoritas, quæ Hadriani decreto ex Leonis octavi Synodo adſtruitur.

XV. Principum jus, quod in eligendis Epiſcopis verſatur, ab ea liberalitate vires accepit, qua illi Eccleſias affecerunt. Nam Eccleſiæ ante Carolum Magnum ampliſſimis prædiis donatæ fuerant.

XVI. Accedit quod Carolinis temporibus Antiſtites juriſdictionibus & imperiis præficiebantur. Iſtud oſtenditur ex eorum militia & vacatione belli, quam ſæpe a Regibus impetrabant.

XVII. Item ex concordia inita inter Paſchalem II. & Henricum V.

XVIII. Proferuntur exempla juriſdictionum, quas Epiſcopi gerebant ſub Dagoberto, Carolo Martello, Pipino, Carolo Magno, Ludovico pio & Carolo Calvo.

XIX. Concluditur, Principes, qui Epiſcopos eligi injuſſu ſuo non patiebantur, id præſertim ſibi adjunctum habuiſſe propter eximiam bonorum copiam, quam Eccleſiis intulerant. Huic ſententiæ non officiunt Onuphrius Panvinus & Nicolaus Cuſanus.

XX. Quid ſit inveſtire Epiſcopos per annulum & baculum in mediæ ætatis monumentis.

XXI. Eam ob rem paucis hiſtoria pertexitur contentionis, quæ Sacerdotium & Imperium diu exercuit.

XXII. Perſtringuntur ea, quæ Grotius Gomariſtis reſpondit objicientibus canonem trigeſimum Apoſtolicum, & ſecundam Nicænam Synodum.

XXIII. Carolus Magnus creationes Epiſco-

porum Imperio non aſſeruit ſuo.

XXIV. Notatur denique Grotius, qui putavit Proculum poſt Siſinnii obitum Epiſcopum C-Politanum fuiſſe electum.

I. AGgreditur Grotius diſputare de jure, quod verſatur in eligendis & renunciandis Paſtoribus. Sed quo commodius orationem inſtituat, primum explicat, quid illud ſit, quod quærendum ſuſcipit. Is quidem rem peragere dicit de Preſbyteris & de Diaconis, quos ſolum ex opinione Puritanorum putat munia in Eccleſiis perpetua & neceſſaria obire. Atque quatuor locos dividit, quorum primus eſt de origine Pontificiæ poteſtatis, alter eſt de ea poteſtate optimis viris mandanda & committenda, quod græce eſt Χειροτονεῖν & latine ordinare, tertius eſt de illis, quibus ea poteſtas credita eſt, certo Chriſtianorum cœtui aut Eccleſiæ præficiendis, quæ *electio* appellatur, quartus eſt de publica auctoritate iis attribuenda, qui Eccleſiis præfecti ſunt, quam Græci ἐπικύρωσιν aut βεβαίωσιν & Latini *confirmationem* vocant. Negotium Arminiano noſtro non eſt de primis duobus locis. Nam is non dubitavit, quin munus ſacrorum Paſtorum Deum auctorem habeat, idemque nemini mandari poſſit, niſi ab iis Paſtoribus, ad quos res pertinet. Neque porro quartus locus in certamen venit. Nemo enim eſt, qui neget, ab illis qui ſummo præſunt imperio, publicam amplitudinem eſſe repetendam, quæ Præſulibus Eccleſiarum accedit. His enim in Chriſtiana Civitate adjunguntur hæc omnia, ut præſidio & tutela Principum tegantur, juriſdictione quadam publica præditi ſint, item ab obeundis civilibus muniis liberentur, ab imperio Magiſtratuum multis in rebus eximantur, & complura eximia ſibi vindicent, quibus reliqui Civium ordines carent. Tertius igitur locus eſt, quem Grotius in hoc capite pluribus pertractat. Ampliſſimi Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordines veterem legem iterum juſſerant, in qua ſancitum erat, ut in Senatu qui partim politicus, partim Eccleſiaſticus eſſet, ſacri Paſtores deligerentur, quorum deinde doctrina & diſciplina ab Eccleſiaſticis viris examinaretur, iidemque Populis proponerentur, antequam ſummi Magiſtratus eos publice confirmarent. Huic Legi Calviniani Gomariſtæ palam interceſſerunt. Inter eos enim Sibrandus Populis jus eſſe divinum pugnavit, ut Eccleſiarum regimen iis committerent, quos ipſi creaſſent: Quidquid autem de Populorum jure ediſſeruit, id reipſa ſoli Clericorum cœtui adſcripſit: Nanque cenſuit, ab eo Paſtores eſſe deligendos, & eorum, qui renuntiati fuiſſent, nomina Populis expromenda, ut ſi quid criminis haberent, id manifeſtis rebus aperirent: Hoc quum peractum ſit, ad extremum civiles Magiſtratus eſſe adeundos, qui novos Paſtores auctoritate probarent ſua. Hujuſmodi certamen commoverant Gomariſtæ, cum Grotius Hollandicorum Ordinum Patronus librum conſcripſit, quem dixit, *Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ pietatem*. In eo libro ſic, *Sunt qui hunc eligendi modum* (eum nempe, quem Gomariſtæ commendabant) *non tantum ut optimum laudant, ſed juris eſſe dicunt plane divini, atque immutabilis. Contra vero pii atque eruditi complures jampridem putant, quum munera publica cujuſcumque generis conferre ſit τοῦ αὐτοκράτορος, ejus qui ſupremam habet poteſtatem, ejuſdem eſſe etiam, ubicumque Eccleſia eſt publica, certæ urbis aut loci curam atque functionem Eccleſiaſticam idoneis hominibus mandare, non tantum quia ad illius ſollicitudinem pertinet dare operam, ut ſubditi queant βίον διάγειν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ vitam degere in omni pietate, quod obtineri vix poteſt, niſi boni ſint Paſtores, verum etiam quia ad Reipublicæ ſtatum magni ſit momenti quibus hominibus aures affectuſque vulgi committas*. Hæc tum ille contra Gomariſtas. At enim in hoc opuſculo copioſius & uberius adverſus illos oſtendit, nec Populos, neque Clericos hoc ex divino jure habere, ut quos cenſuerint, eos in Paſtores cooptent: quoniámque iſtud docuit, tum vero totum eligendorum Paſtorum negotium politicis Chriſtianæ Reipublicæ Rectoribus adſcribit.

Quod primum eſt, his Grotius perſequitur. Ait enim ab ipſo Domino, qui condiderat Eccleſiam, Apoſtolos fuiſſe creatos, qui deinde cæteros Paſtores, ſed mente, numine & arbitratu divino conſtituerunt, tametſi Miniſtri, qui accurandis tribuendiſque

diſque pecuniis præerant, multitudinis judicio delecti fuiſſent. Addit, in principe Eccleſia multitudinem ſolum reſpondiſſe de genere vitæ, de moribus & virtutibus eorum, quos Apoſtoli legiſſent, quod ipſum *Paſtores* δοκιμάζεσθαι ſive complurium teſtimonio *comprobari* dicebatur. Hæc erudite expoſita ſunt ex libris, qui hiſtoriam novi Fœderis complectuntur. Idem poſt apoſtolicum ævum dicit, rogatam non fuiſſe legem, quæ unam & perpetuam eligendorum Præſulum rationem ſciſceret. Apud pleraſque quidem Eccleſias tanquam in comitiis Paſtores eſſe electos, ut Plebs iis teſtimonium daret: ſed ab eo inſtituto Majores noſtros ſæpe abiviſſe. Nam Epiſcopi, quin Populum conſulerent, Presbyteros creabant, & ſolus interdum Clerus Epiſcopos renuntiabat. In Nicæno Concilio nullum Plebi jus tributum eſt. Nam ſapientiſſimi illius Patres in canone quarto explicate ſanciverunt, in Synodis Epiſcoporum Paſtores eſſe creandos. Hoc ipſum Carthaginenſe Concilium in canone XIII. & Antiochenum in canone XIX. ſanciverunt. Sed nihiloſecius per idem tempus Plebs conſulebatur, cum Præſules erant eligendi. Hæc diſciplina demum abrogata eſt poſt Calchedonenſem Synodum, quæ Laodiceni concilii canones œcumenica auctoritate impertiit. Inter eos enim canones, is qui ſecundus & decimus eſt, Epiſcopis Provinciæ mandavit, ut in locum demortuorum Præſulum alios ſubſtituerent, & is, qui tertius & decimus eſt, perſpicuis verbis cavit, ne Epiſcoporum creationes Multitudini permitterentur. Hæc inſtituta Juſtinianus Imperator mutavit. In Novellis CXXIII. & CXXXVIII. juſſit, clericos & τοὺς πρώτους τῆς πόλεως *Proceres Urbis* communi conſilio tres viros eligere, e quibus unum Metropolitanus ſeponeret, & ad Eccleſiæ, in qua Paſtor deceſſiſſet, gubernacula admoveret. Rurſum ſublatis Juſtiniani legibus Præſules in Synodis creati fuerunt. Uſque adeo mutabilis ea res fuit. Sic enim Grotius, cujus hæc oratio eum in finem comparata eſt, ut facile quiſque intelligat, jus multitudinis in eligendis Paſtoribus divinum non eſſe, quod unum idemque eſt, nec unquam mutari poteſt.

II. Atque dubium nobis equidem non eſt, quin Grotius dicendo pervenerit quo inſtituerat. Quid enim magis perſpicuum & apertum eſt, quam, cum incerta & varia ſit diſciplina, efficere eam in divina lege non eſſe ſancitam? Diſpiciamus tamen de priſco multitudinis jure, eane teſtimonium ſolum diceret, an vero reipſa eligeret, itidem num qualecunque illi jus eſſet, id ipſum poſt Concilium Nicænum, Antiochenum & Laodicenum ſibi tribuiſſet. Univerſum enim iſtud argumentum, quod Grotius haud diligenter percurrit, paucis requirendum eſt, ut ratio, quæ contra Gomariſtas concluſa eſt, in rebus certis nitatur. Non enim exigua cauſſa eſt, cur hoc facto opus ſit, quod poſt Grotium ſententiam Gomariſtarum multi viri docti & in his Blondellus vindicandam ſuſceperunt. Igitur ordine expromamus, quid nobis de eo argumento quærentibus occurrit. Primum ita cenſemus, Plebem illius Urbis, in qua Epiſcopus deceſſerat, non modo teſtimonium dediſſe novo Paſtori, qui proponebatur, ſed eum renuntiaſſe. Has fuiſſe Plebis partes ſentiunt Spalatenſis de Rep. Eccl. in libr. III. cap. III., Richer. in Hiſtor. Concil. lib. I. cap. XII., Juſtellus not. in can. VI. Conc. Calched., Binghamus in lib. IV. cap. II. Orig. Eccleſiaſt aliique Doctores antiquitatis conſultiſſimi. Doctus Petrus de Marca in libro VIII. cap. II. de concordia Sacerdotii & Imperii arbitratus eſt quidem, hoc penes Plebem jus reſediſſe, ut non modo illos, qui Eccleſiis præficiendi ſint, teſtimoniis ſuis proſequeretur, ſed in eos conſentiret, quamquam, quum utrumque illa peregiſſet, eos ipſos nondum fuiſſe Paſtores creatos exiſtimavit. Verum contra eximium Archiepiſcopum Pariſienſem pluribus Maſonius dixit in reſponſo ad Pamelium. Proferamus vero rationum momenta, quæ nos perpulerunt, cur cum iis auctoribus cenſeamus. Cyprianus in Epiſtola LXVIII. al. LXVII. ad Fratr. Hiſpan. plane prodidit, in more fuiſſe, ut nemo ad Epiſcopatum admoveretur, niſi qui Cleri Plebiſque ſuffragiis & ſcitis probaretur, *Coram omni Synagoga*, inquit, *jubet Deus conſtitui Sacerdotem, ideſt inſtruit & oſtendit ordinationes ſacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur & ſit ordinatio juſta*

&

& legitima, *quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata*. Atque hujuſmodi ſuffragia Cyprianus intellexit, quibus multitudo nedum teſtimonium de moribus daret, ſed reipſa eum Paſtorem expeteret & crearet, quem ſignificabat. Id enim ipſe docet, cum Hiſpanos ſic alloquitur, *Apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione*, *ut de univerſæ Fraternitatis ſuffragio & de Epiſcoporum*, *qui in præſentia convenerant*, *judicio Epiſcopatus ei deferretur & manus ei in locum Baſilidis imponeretur*. Eo enim ſpectant verba hæc, *de univerſæ Fraternitatis ſuffragio & de Epiſcoporum judicio*, *Epiſcopatus Sabino deferebatur*, ut declarent, multitudinis tabellis Sabino Epiſcopatum eſſe commiſſum. Ita Cyprianus priſcus Africanæ Eccleſiæ Doctor, idem, qui in contrariam ſententiam proferri ſolet. Sed porro certiora nobis monumenta antiquitas ſuppeditat, ex quibus intelligimus multitudini hoc datum eſſe, ut Paſtores eligeret. Teſtes ſunt veteres Scriptores, eam ſæpe ſuffragium tuliſſe his vocibus, ἄξιος ἐστι, vel ἀνάξιος ἐστι *dignus eſt*, vel *indignus eſt*. Euſebius in libro VI. cap. XXIX., Ἐφ᾽ ᾧ τὸν πάντα λαὸν ὥσπερ ὑφ᾽ ἑνὸς πνεύματος θείου κινηθέντα ὁμόσε, προθυμίᾳ πάσῃ καὶ μιᾷ ψυχῇ ἄξιον ἐπιβοῆσαι, *quo ſpectaculo permotus Populus ac divino ſpiritu incitatus ſumma cum alacritate uno conſenſu ſimul omnis exclamare cœpit*, *dignum eſſe*. Philoſtorgius in lib. IX. cap. X., πολλοὶ τοῦ παρόντος ὄχλου ἐν τῇ Δημοφίλου καθιδρύσει ἀντὶ τοῦ ἄξιος ἀνεβόων τὸ ἀνάξιος, *Dum Demophilus in Epiſcopali Sede collocaretur*, *multi ex populo*, *qui tum aderant*, *non DIGNUS acclamarunt*, *ſed INDIGNUS*. Auctor Conſtitution. Apoſt. in libro VIII. cap. IV., Ἐκ τρίτου πάλιν πυθέσθωσαν, εἰ ἄξιός ἐστιν ἀληθῶς τῆς λειτουργίας . . . καὶ συνθεμένων αὐτῶν ἐκ τρίτου ἄξιον εἶναι, ἀπαιτείσθωσαν οἱ πάντες σύνθημα κ. λ. *Rurſus tertio interrogent*, *utrum ſit miniſterio dignus* . . . *& cum tertio annuerint & dignum eſſe aſſenſi fuerint*, *petatur ab omnibus*, *ut præbeant ſignum aſſenſus*. Photius in Cod. CCLVI. pag. 1414. ὁ λαὸς μιᾷ φωνῇ σὺν αὐτῷ βασιλεῖ ἐπὶ πλείους ὥρας ἐβόα τὸ ἄξιος, *Populus uno ore cum ipſo Imperatore horis aliquot exclamavit*, *dignus eſt*. Atque hæc verba, quibus ſuffragium multitudo concipiebat, in eum ſenſum explicari non poſſunt, quaſi rationem vitæ ſolum ſignificarent, quam novus Paſtor peregerat. Iis enim eadem vis inerat, quæ ad deſignandum & eligendum Paſtorem valebat. Certe ſi qua popularis concio ex legibus majorum roganda eſſet, eaque reſpondere ſoleret, dignum vel indignum eſſe qui propoſitus eſſet, profecto exiſtimari oporteret, totum hoc quod agebatur, non ad teſtimonium, ſed ad eligendum pertinuiſſe. Ad hoc iidem priſci Scriptores tradiderunt, multitudinem interdum, quum eum, cui Eccleſia committenda ſit, arbitratu probaſſet ſuo, conſenſum decreto comprehendiſſe, ut iis, qui ſuffragium tulerant, e ſententia diſcedere non liceret. Inter Arianos & Catholicos convenit de Meletio Antiochenæ Eccleſiæ præficiendo, & ſtatim decretum conditum eſt. Sic enim legimus apud Theodoretum in libro II. Hiſt. Eccl. cap. XXXI., Οἱ δὲ τῶν Ἀποστολικῶν δογμάτων ἀντεχόμενοι, τοῦ μεγάλου Μελετίου τὴν ἐν τοῖς δόγμασιν ὑγείαν εἰδότες . . . συνεψηφίσαντο. καὶ τὸ ψήφισμα γραφῆναι, καὶ παρὰ πάντων ὑπογραφῆναι μετὰ πλείστης ὅτι μάλιστα σπουδῆς παρεσκεύασαν, *Apoſtolicorum vero dogmatum defenſores*, *quibus magni Meletii ſanitas doctrinæ cognita erat* . . . *conſenſum præbuerant*, *ſummoque ſtudio curarunt*, *ut decretum ea de re perſcriberetur & cunctorum ſubſcriptionibus firmaretur*. Optimus nobis auctor eſt Auguſtinus, id ipſum factitatum eſſe in Africanis Eccleſiis. Quin etiam ille proponens Eradium, qui poſt obitum ſuum Eccleſiæ Hipponenſi præeſſet, diligenter effecit, ut in popularibus comitiis de eo eligendo ſcitum Plebis fieret, cui omnes, qui poſſent, nomen ſuum ſubſcriberent. Rem idem narrat in Epiſt. CX., *A Notariis*, inquit, *Eccleſiæ*, *ſicut cernitis*, *excipiuntur quæ dicimus*, *excipiuntur quæ dicitis*, *& meus ſermo & veſtræ acclamationes in terram non cadunt* . . . *Hoc ad ultimum rogo*, *ut geſtis iſtis dignemini ſubſcribere qui poteſtis*. Hæc declarant, illud quidem ipſum, quod in priſcis erat inſtitutis, habuiſſe multitudinem, ut non modo aperiret, ſi quid criminis in novis Epiſcopis noſſet, ſed ipſos eligeret. Accedit, quod in concionibus, quæ ad creandos Paſtores habebantur, Plebs ſæpe uni animum non adjungebat, ſed diverſis ſtudiis agebatur, & in plures factiones diviſa in-

gen-

gentem motum ciebat. Ammianus in libro xxvii, cap. iii. & Socrates in libro iv cap.. xxix. de tumultu commemorant, qui Romæ ortus eſt, cum Damaſus Pontifex renuntiatus eſt. De univerſis popularibus comitiis, in quibus Præſules eligebantur, accurate Chryſoſtomus in libro iii. *de Sacerdotio* cap. xv. Tom. iv. edit. Francof. pag. 41., Βούλει σοι καὶ ἕτερον ἐπιδείξω ταύτης τῆς μάχης εἶδος, μυρίων ἐμπεπλησμένον κινδύνων; ἴθι δὴ καὶ διάκυψον εἰς τὰς δημοτελεῖς ἑορτὰς, ἐν αἷς μάλιστα τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἀρχῶν τὰς αἱρέσεις ποιεῖσθαι νόμος. καὶ τοσαύταις ὄψει κατηγορίαις τὸν ἱερέα βαλλόμενον, ὅσον τῶν ἀρχομένων τὸ πλῆθός ἐστι κ. λ. *Vis & aliud tibi pugnæ hujus genus aperiam, periculis mille plenum? Ito hinc jam, & publica feſta ſpectato: ea dico, in quibus dignitatum Eccleſiaſticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari Epiſcopum, quanta eſt tota illa ſubditorum multitudo, quibus ſuffragandi poteſtas conceſſa eſt*. Quorſum autem contraria vulgi ſtudia evadebant, ſi ille tanquam teſtis ſolum rogabatur de moribus eorum quos Eccleſiæ Rectores dari par erat? Quinimo, quum is certamina ſereret, certe jus eorundem legendorum ſibi adſcribebat Eccleſiæ conſenſu: quod ſatis explicavit Chryſoſtomus, qui pergit, ἕκαστος καθ' ἑαυτὸν ἑστήκασιν, ὁ μὲν τοῦτον, ὁ δὲ ἐκεῖνον αἱρούμενος, *Unuſquiſque* (e vulgo) *a ſuis partibus ſtat, alius hunc, alius illum eligens*. Atque his, quæ ediſſeruimus, ſatis roboris eſt. Sed non minus in eo momenti eſt, ſi probe ſciamus, Populorum ſæpe ſuffragiis Paſtores fuiſſe electos, non ex voto Epiſcoporum, qui comitiis aderant. Demophilus Antiſtes C-Politanus una cum quibuſdam aliis Epiſcopis Cyzicum venerat, ut ad ejus Eccleſiæ gubernacula novum Præſulem admoveret: Sed ex ſententia rem non geſſit: Nam Cyzicenis illud ſtetit, neminem ſibi Epiſcopum eſſe dandum, niſi quem ipſi renuntiaſſent, quod Philoſtorgius in libro ix. cap. xiii. ſic prodit, Cyziceni οὐχ ἕτερόν τινα ταύτην ἐλθεῖν ἀνασχόμενοι, ἀλλ' ὃν αὐτῶν αἱ ψῆφοι προσέταττον, *Neminem alium ad Epiſcopatum accedere paſſi ſunt, niſi qui ipſorum ſuffragiis antelatus ſit*. Porro Martinum Turonicæ Eccleſiæ fuiſſe præfectum ſolius multitudinis voluntate quis neſcit? Præſules enim provinciæ & non nemo, qui *Defenſoris* nomine vocabatur, Populo interceſſerunt, ne eum Epiſcopum conſtitueret, cujus rei fundus nobis eſt Sulpicius Severus in vit. Mart. cap. ix. pag. 314. edit. Lipſ. mdcciii. Id genus plura exempla in antiquitate facile quiſque evolvet. Inter cætera vero, quæ lubenter præterimus, duo ſunt, quæ negligi non poſſunt. Alterum eſt, orthodoxæ Plebi, eos Epiſcopos non eſſe præponendos, quos ea recuſaverit, aut ſcito non probaverit ſuo. Valentinianus III. in Novella xxiv., quæ legi poteſt in fin. Cod. Theod., Hilarium Arelatenſem objurgavit, quod *invitis & repugnantibus Civibus* Epiſcopos fecerat. Nam Hilarius non paruerat Majorum inſtitutis, quæ Maximus Pontifex Leo nos docuit in epiſt. lxxxiv., *Quum*, inquit, *de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri Plebiſque conſenſus concorditer poſtularit, ita ut ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis: tantum ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne plebs invita Epiſcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religioſa, quam convenit, cui non licuerit habere, quem voluit*. Alterum autem eſt, latinos Metropolitanos mittere ſolitos fuiſſe Epiſcopum ad Eccleſiam, quæ Paſtore vacabat, eique mandata dediſſe, ut Plebi eſſet auctor ad eligendum omnium optimum virum, qui in locum demortui Præſulis confeſtim ſubſtitueretur, eandemque cunctantem regeret, & diſſentientem ab inſanis partium ſtudiis revocaret, idem diligenter provideret ut quum electus eſſet novus Paſtor, ea de re decretum conderetur. Hic Epiſcopus, qui mittebatur, interceſſor, interventor & viſitator dictus eſt. Symmachus Papa in Epiſt. v. cap. vi. vol. iv. conc., *Decretum*, inquit, *ſine viſitatoris præſentia nemo conficiat, cujus teſtimonio clericorum ac civium poſſit unanimitas declarari*. Et Gregorius Magnus Beneventanum Epiſcopum delegit, qui Panormum iret, in eaque Eccleſia Præſulem creandum curaret. Nam in Epiſtola xvi. lib. xi. eum ſic affatus eſt, *Dilectio tua ad prædictam Eccleſiam* (Panormitanam) *properabit & aſſiduis adhortationibus clerum plebemque*

que

que ejuſmodi Eccleſiæ admonere feſtinet , ut remoto ſtudio uno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant Sacerdotem , qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri & a venerandis canonibus nullatenus exſpuatur. Jam plura opus non eſt. Nam iſta omnia, quæ paucis complexi ſumus, ad perſpicuitatem oſtendunt, Plebi jus eximium fuiſſe in eligendis Paſtoribus, nec ſolum de eorum vita, qui proponebantur, ſive Metropolitano, ſive Epiſcoporum ſynodo rogante, reſpondiſſe.

III. Dicemus deinde hanc , quæ penes Plebem erat auctoritas , eidem abrogatam non fuiſſe in Conciliis Nicæno, Laodiceno & Antiocheno . Adverſatur quidem nobis Græcus canonum explanator Balſamon, qui credidit, Nicænos Patres caviſſe ne Populus ullas ſibi partes vindicaret in creandis Epiſcopis. Eum ſequutus eſt vir doctus Schelſtratus in diſſertationibus ſuis ad Concilium Antiochenum . Sed nihiloſecius nos pleroſque ſcriptores conſentientes habemus Spalatenſem in lib. III. de Rep. Eccl. cap. III. Pearſonium in vind. Ign. part. I. cap. XI. Cabaſſutium in Notitia Conc. cap. XVII. Richerium in hiſt. Conc. volum. I. cap. II. Henricum Valeſium not. in Euſeb. lib. VI. cap. XLIII. Petavium Not. in Syneſium , Marcam de Concordia lib. VIII. cap. III. alioſque , quorum longum eſſet nomina promere . Agedum vero conſtituamus primum , quid priſci Patres in tribus illis conciliis ſanxerint . Atque Nicæenſes in canone quarto par eſſe dicunt, ut Præſul ab univerſis Provinciæ Epiſcopis conſtituatur, ſin hi omnes convenire non poſſint , ſaltem a tribus eligatur, iis tamen conſenſum adhibentibus , qui abſunt: idque monitum volunt, ut rei, quæ geritur, Metropolitanus firmitatem & auctoritatem adjungat: Ἐπίσκοπον , inquit , προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι. εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο . . . ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ, *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in provincia, conſtitui. Si vero hoc difficile fuerit . . . tres omnino eundem in locum congregatos , abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque adſentientibus, tunc electionem facere. Confirmatio autem eorum , quæ in quaque provincia geruntur, Metropolitano tribuatur*. Hoc ipſum Laodiceni in canone XII. juſſerunt, quorum verba ſunt, Τοὺς Ἐπισκόπους κρίσει τῶν μητροπολιτῶν καὶ τῶν πέριξ ἐπισκόπων καθίστασθαι εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἀρχὴν, ὄντας ἐκ πολλοῦ δεδοκιμασμένους , ἔν τε τῷ λόγῳ τῆς πίστεως , καὶ τῇ τοῦ εὐθέος λόγου πολιτείᾳ, *Oportet Epiſcopos judicio Metropolitanorum & finitimorum Epiſcoporum ad Eccleſiaſticum magiſtratum admoveri, plurimo tempore probatos & in verbo Fidei & in Divini verbi diſpenſatione*. Scitum eſt ab iiſdem in canone XIII. ne tumultuantium Populorum ſuffragiis Præſules legerentur . Nam ſic decernunt , creationes Epiſcoporum μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν *turbis non eſſe permittendas*. In eandem ſententiam Antiocheni loquuti ſunt . Nam primum ſanxerunt , ne Epiſcopus , penes quem nullius Eccleſiæ regimen reſideat, aliam Eccleſiam, quæ Paſtore vacat , gerendam ſuſcipiat ſine Metropolitanæ Synodi conſenſu , univerſus licet Populus eum expetat , Præſulemque ſuum renuntiet : Edixerunt enim in canone XVI. τοῦτον ἀπόβλητον εἶναι , καὶ εἰ πᾶς ὁ λαὸς , ὃν ἐφήρπασεν , ἕλοιτο αὐτὸν, *hunc expellendum eſſe , etiamſi omnis Populus , quem arripuit, eum elegerit*. Conſultum porro proviſumque ab illis eſt in canone XIX. ne ullus conſtituerentur Epiſcopus δίχα συνόδου καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας *ſine Synodo & præſentia Metropolitani, qui Provinciæ præfectus eſt*. Perrexerunt autem, Εἰ δὲ ἄλλως παρὰ τὰ ὡρισμένα γίγνοιτο , μηδὲν ἰσχύειν τὴν χειροτονίαν , *Sin res contra id , quod decretum eſt, geratur, jure non eſſe peractam ordinationem*. Iſta ſunt decreta, quibus Patres Epiſcoporum & Metropolitanorum auctoritatem defendunt , ſed Plebis jus conſenſu Eccleſiæ & vetuſtis moribus firmatum non antiquant . Iſtud quidem Nicænis Patribus fuit conſilium quod facile is intelligit qui eorum mentem bene perſpexerit. Meletius Lycopolitanus Epiſcopus, vir audax , quamvis Sacerdotio abdicatus eſſet in Ægypti Eccleſiis, arbitratu ſuo plures Præſules creaverat, ſed ſine ulla Epiſcoporum, qui erant in provinciis, Synodo, & ſine Alexandrini Antiſtitis judicio & conſenſione.

Homi-

Hominis res geſtas nobis narrant Athanaſius in Apolog. II. Socrates in libro I. cap. 6., Sozomenus in libro I. cap. 29. & Epiphanius Hær: 68., qui poſtremus inquit, *Quamcunque Meletius regionem, locumque peragrabat, ibi clericos, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos inſtituit, ac privatas Eccleſias fundavit*. Hæc facta, non modo incepta veterem Eccleſiæ ſtatum perturbabant, & priſcum inſtitutum tollebant, ex quo nemo renuntiari Epiſcopus poterat in univerſis Ægypti provinciis, quin auctor fieret Præſul Alexandrinus. Timebatur, ne quod fidenter Meletius commiſerat, hoc iis exemplo eſſet, quibus nova omnia placerent. Itaque ad coercendos Meletianos Nicæna Synodus operam dedit ut priſcus ſtaret Eccleſiæ ordo, idemque decretis ſuis ſanciretur. Vetus quidem ordo erat hic: Antiſtites Eccleſiarum a Clero & Populo eligebantur in populari concione. Præſules Provinciæ præerant, & ſuffragia ſua adjungebant. Sic Athenis iis comitiis, in quibus Magiſtratus creari ſolerent, præfecti erant πρόεδροι, quod docent Pollux in libro VIII. & Harpocratio. In more autem receptum erat, ut ad iſtud ipſum, quod ab Epiſcopis Provinciæ gerebatur, a Metropolitano auctoritas accederet. Eam diſciplinam Nicæni Patres juſſerunt in canone quarto, item in canone ſexto, cujus periocha eſt, Καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον, *Illud vero omnino manifeſtum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani factus ſit Epiſcopus, hunc magna Synodus ſtatuit non oportere eſſe Epiſcopum*. Atque iidem ſatis monent, iſtud ſibi fuiſſe conſilium, ut Epiſcoporum & Metropolitanorum auctoritatem vindicarent, non ſublato Plebis jure, idque declarant in ſynodica Epiſtola, quam ad Eccleſiam Alexandrinam ſcripſerunt. In ea enim apud Theodoretum lib. I. cap. IX. & Socratem lib. I. cap. IX. decernunt, Epiſcopos ad Eccleſiæ gubernacula non eſſe evehendos, niſi popularibus ſuffragiis eligerentur. *Quod ſi quempiam eorum*, inquiunt, *qui in Eccleſia cenſentur, diem ſuum obire contigerit, tum in demortui locum atque honorem provehantur ii, qui nuper adſciti ſunt*, μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεπιψηφίζοντος αὐτῷ καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου, *modo digni videantur & modo populus eos eligat, ſuffragante nihilominus plebiſque judicium confirmante, Alexandrinæ Urbis Epiſcopo*. Conſtantinus Magnus prorſus tenebat, quid conſtitutum eſſet in Nicænis decretis. Is vero in Epiſtola ad Nicomedienſem Eccleſiam apud Theodoretum lib. I. cap. XX. in Populi poteſtate & judicio eſſe poſitum dixit, ut optimum virum in Epiſcopum cooptaret. Idem in epiſtola ad Populum Antiochenum apud Euſebium lib. III. de vita ipſius cap. LVII. eum commonefecit, ut de Euſebio, qui Cæſarienſem Eccleſiam regebat, Antiochiam transferendo ne cogitaret quidem, ſed θεσμῷ ἐκκλησίας τοῦτον αἱρεῖσθαι ποιμένα, ὃν αὐτὸς ἀναδείξειεν ὁ κοινὸς σωτήρ, *ex lege Eccleſiæ eum crearet Paſtorem, quem communis ſervator deſignarit*. Ad hoc Athanaſius poſt dimiſſam Nicænam Synodum Plebis ſcito Antiſtes renuntiatus eſt. Id ipſum Alexandrinus Epiſcoporum conventus teſtimonio ſuo comprobavit contra Euſebianos, qui Athanaſium quaſi ſine Plebis tabellis creatum Epiſcopum abdicare enitebantur. Sic enim in ſynodica Epiſtola ad omnes Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos apud Ath. apol. II. tom. II. pag. 726. ed. Par. MDCXXVII., πᾶν τὸ πλῆθος καὶ πᾶς ὁ λαὸς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ὥσπερ ἐκ μιᾶς ψυχῆς καὶ σώματος συνεληλυθότες κ. λ., *omnis multitudo omniſque populus Catholicæ Eccleſiæ, tanquam ex una anima & corpore congregati clamoribus vociferationibuſque expetiverunt Athanaſium Eccleſiæ Epiſcopum dari*. Alexandrini iſti Patres, certe plerique Nicæam venerant. Cur vero illi Euſebianis novam de eligendis Epiſcopis legem non objecerunt, ſi qua eſſet ſancita? Quocirca exiſtimandum eſt, id omne, quod de Epiſcoporum jure in Nicænis canonibus ſcitum ſit, ita ſe habere, ut ad tollenda Plebis ſuffragia non pertineret.

IV. Neque enim Antiocheni & Laodiceni Patres veterem abolere diſciplinam ſtuduerunt. Quin etiam quum Nicæna juſſa renovaſſent, eodem conſilio rem peregerunt, quo primum ea perlata fuerant. Hoc perſpicuum eſt, quod antiqua illa ratio, quæ in eligendis Epiſcopis verſabatur, deinde mutata non eſt in ipſis græcis Eccleſiis. An-

tiochenum concilium coactum eſt anno CCCXLI., Laodicenum autem fortaſſe anno 363., de qua chronographia contra Baronium in Annalibus politico-Eccleſiaſticis Samuel Baſnagius. At enim poſt ea tempora popularibus concionibus jus ſuum ademptum non eſt: Nam Flavianus Antiochenus Antiſtes deligitur πάσης συμψήφου τῆς Ἐκκλησίας ὥσπερ διὰ μιᾶς φωνῆς τὸν ἄνδρα τιμησάσης, *ſuffragio univerſæ Eccleſiæ, quæ ei quaſi una voce honorem habuit*: Ad eum Nectarius in Præſulem C-Politanum capitur παντὸς τε τοῦ κλήρου καὶ πάσης ἐπιψηφιζομένης τῆς πόλεως, *communi totius Cleri & Civitatis ſcito*. De utraque creatione Synodus C-Politana in Epiſtola Synodica quam anno CCCLXXXI. conſcripſit. Sed audiamus Grotium in §. XII., *Neque tamen negaverim, multis in locis etiam Nicænæ & Antiochenæ Synodi temporibus acceſſiſſe Populi ſuffragia: Eam vero conſuetudinem fuiſſe univerſalem minime verum eſt. Liberum hoc fuit, donec Synodus Laodicena ab univerſali concilio (Calchedonenſi) approbata ſit, cujus canon XII. Nicænam & Antiochenam ſequens comprovincialibus Epiſcopis jus eligendi tribuit*. Sic enim Grotius, quem facile refellas, ſi ad ea perlegenda animum adjungas, quæ in Calchedonenſi Concilio Patres decreverunt. In actione, quæ prima & decima eſt, de ſummo Epheſinæ Eccleſiæ Sacerdotio certabant Stephanus & Baſſianus: Ille quum dixiſſet ſeſe gubernacula illius Eccleſiæ jure ſuſcepiſſe, hoc ſic docet, Ἐμὲ τεσσαράκοντα ἐπίσκοποι τῆς Ἀσίας ψήφῳ καὶ τῶν λαμπροτάτων, καὶ τῶν κογάδων, καὶ τοῦ εὐλαβεστάτου παντὸς κλήρου, καὶ τῶν λοιπῶν πάντων τῆς πόλεως πάσης ἐχειροτόνησαν, *Me quadraginta Antiſtites Aſiani ſuffragio nobilium & primatum, item omnis reverendiſſimi Cleri & univerſæ Civitatis ordinaverunt*: Hic contra objecit, ſeſe nec opinantem creatum fuiſſe Epiſcopum a Clero, a Plebe, & Epiſcopis. Concilii Patres utrumque depulerunt, jubentes tamen alium in Præſulem Epheſinæ Urbis cooptari, qui παρὰ πάντων τῶν μελλόντων ποιμαίνεσθαι, *ab omnibus qui eſſent paſcendi* eligeretur. Deinde in Actione ſexta & decima recitatus eſt canon, in quo ſancitum erat, ut Metropolitani, qui Eccleſias Ponti, Aſiæ & Thraciæ adminiſtrabant, ab Archiepiſcopo C-Politano conſtituerentur. Quoniamque Patres ſuſpicati ſunt, quod facile accidere poterat, ne ob id decretum Plebi ſuffragia tollerentur, legem adjunxerunt, ut ab Antiſtite C-Politano nemo ad gerendam Metropolim eveheretur, niſi quem Clerus, Cives, & Præſules provinciæ renuntiaſſent. Ex his plane ſequitur Calchedonenſem Synodum non modo jus, quod multitudini tribuebatur, non ſuſtuliſſe, ſed de eo conſervando diligenter conſultaſſe: Quocirca per id tempus partes Populis ſuæ delatæ fuerunt in eligendorum Præſulum negotio. Abnuendum autem non eſt, quin poſtea in græcis Eccleſiis vicem multitudinis fere Imperatores, item Senatores nobilioreſque cives implerent. Decretis Nicænis, Laodicenis & Antiochenis ea ineſſe vis & poteſtas ferebatur, quæ Populo & Clero Præſulum creationes adimeret & ſolis ſynodis attribueret. Joannes Antiochenus in Nomocanone titulum ſeptimum ſic concepit, περὶ τοῦ δεῖν τὸν Ἐπίσκοπον ὑπό τε τοῦ μητροπολίτου, καὶ τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ πάντων χειροτονεῖσθαι, ἢ παραγινομένων αὐτῶν, ἢ συνθεμένων ἐγγράφως, καὶ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν ἐπισκόπων, *oportere Epiſcopum tum a Metropolitano, tum etiam ab omnibus ejuſdem provinciæ Epiſcopis eligi & ordinari, vel præſentibus ipſis, vel ſcriptis conſentientibus, ac non Plebi permittere Epiſcoporum creationes facere*: In eam vero ſententiam attulit canonem Nicænum IV., antiochenum XIX. & Laodicenum XII.. Itaque in œcumenico VII. concilio ſancitum eſt, ut *qui promovendus eſt in Epiſcopum, ab Epiſcopis eligeretur, quemadmodum a Sanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, decretum eſt*. Sed hanc Eccleſiæ diſciplinam pluribus non perſequimur, quam copioſe exornant Thomaſinus de vetere & nova Eccleſiæ diſciplina part. II. libr. II., & Petrus de Marca in libro VIII. de Concordia Sacerdotii & Imperii. Neque enim id agimus, ut univerſas viciſſitudines & mutationes percurramus, quas ſubivit.

V. Intelligimus igitur popularia ſuffragia, quibus Eccleſiarum Rectores conſtituebantur, nec in œcumenicis conciliis Nicæno & Calchedonenſi, nec in topicis conventibus Antiocheno & Laodiceno fuiſſe ſublata. Diſpiciamus modo de origine iſtius

juris,

juris, quod multitudini tributum eſt; Grotius optime confecit, illud ex divino fonte non eſſe hauriendum. Inter eas enim leges, quibus Eccleſia continetur, nulla eſt quæ jubeat, a multitudine demandandas eſſe Eccleſiarum præfecturas. Quin etiam Apoſtoli Epiſcopos & Presbyteros dederunt Eccleſiis, quas nondum condiderant: Tantum abſuit, ut crederent, in iis delegendis communitates fore conſulendas, quæ Evangelicam Fidem aſciverant. Clemens Romanus in epiſtola ad Corinthios ſic dicit, Κατὰ χώραν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάζοντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν, *Apoſtoli quum per regiones & urbes verbum prædicarent, & ſpiritu ſuo illos probarent, qui omnium primi Chriſtum ſequuti fuerunt, Epiſcopos & Diaconos eorum conſtituerunt, qui credituri erant*. Atque tere res ad Deum rejecta eſt, cujus voluntas diverſo modo principibus illis Eccleſiæ conditoribus pandebatur. Ad exempla, quæ ex hiſtoria novi fœderis Grotius attulit, illud accedit, quod de Joanne Apoſtolo apud Euſebium in libro III. Hiſt. cap. XXIII. memoriæ prodit Clemens Alexandrinus in eo libro, quem inſcripſit. Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, *Quiſnam dives ſalutem poſſit conſequi*, *Quum Joannes*, ſunt verba Clementis, *poſt obitum tyranni ex inſula Patmo Epheſum rediiſſet*, ad finitimas provincias rogatus ſe contulit, ὅπου μὲν Ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας Ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλῆρον ἕνα γέ τινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων, *partim ut Epiſcopos conſtitueret, partim ut Eccleſias integras diſponeret ac formaret, partim etiam ut homines ſibi a divino ſpiritu indicatos in Clerum quendam ſive ſortem domini ſeponeret*. Hæc evincunt, chriſtianam Plebem divinitus non habuiſſe, ut Paſtores crearet. Quocirca arbitramur equidem illud ipſum ei adjunctum fuiſſe ex priſcis inſtitutis, quæ, jam ſociatis in orbe Eccleſiis, orta fuerunt; perinde atque unaquæque hominum ſocietas Rectores ſibi ſuos deligit niſi contra iis placuerit, quorum imperio illa paret.

VI. Quoniam de populari conſtituendorum Paſtorum ratione ſatis diſputatum eſt, porro ediſſeramus oportet de jure, quod Summi Magiſtratus ſibi tribuunt in hujuſmodi negotii procuratione: Grotius putavit, hanc fuiſſe Chriſtianorum Principum poteſtatem, ut vel leges juberent, quibus legendorum Epiſcoporum formam deſcriberent, vel ſi aliis eam rem committere nollent, ipſi arbitratu ſuo Epiſcopos crearent. Primum diſpiciamus, ſed ex iiſdem exemplis, quæ ab Arminiano proferuntur. Nimirum cum Eccleſia ſemper extiterit in fide & tutela eorum, qui ſummum imperium gerunt, pientiſſimi Principes ſæpenumero leges condiderunt de iis rebus, quæ ad Religionis optimam adminiſtrationem pertinerent. Quod tamen illi ita egerunt, ut canones, quos œcumenicæ Synodi & Pontifices ediderunt, hominum perverſitate antiquatos renovarent, vel certe ab eorum ſententia non diſcederent: Sic in iis, quæ de creatione Epiſcoporum ſciverunt, Eccleſiæ optima inſtituta reſpexerunt. A Juſtiniano ordiamur, quem primum Grotius nominavit. In Novellis 123. & 127. ac in lege 47. *C. de Epiſcopis* ſancivit, tres viros eſſe renuntiandos a Clericis & Civibus honeſtioribus illius Eccleſiæ, in qua Epiſcopus demortuus eſt, eorumque nomina ad Metropolitam eſſe mittenda, ut quem ex tribus optimum exiſtimaret, eum caperet & conſecraret. In Novella 137. Χρὴ τὰ ψηφίσματα τῶν Χειροτονουμένων ἐπισκόπων ὑπὸ τοῦ κλήρου καὶ τῶν πρωτευόντων ταῖς πόλεσι γίνεσθαι, προκειμένων τῶν ἁγίων εὐαγγελίων ἐπὶ τρισὶ προσώποις ... ἵνα ἐκ τῶν οὕτως συμψηφιζομένων τριῶν προσώπων ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ τῇ ἐκλογῇ καὶ τῷ κρίματι τοῦ χειροτονοῦντος, *Epiſcoporum electiones Cleri & primorum Civitatis ſuffragiis fieri oportet, propoſitis ſanctis evangeliis ſuper tribus perſonis . . . . ut ex tribus electis perſonis Epiſcopus ordinetur electione & judicio ordinantis Metropolitæ*. In hac lege Imperator plebem ſummovit legendorum Epiſcoporum poteſtate, quam ſolis Clericis & nobilioribus Civibus adſcripſit. Arbitrium autem ſuum ille non egit, ſed Laodicænæ Synodi canonem XIII. ſequutus eſt, in quo legebatur, περὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερωσύνην, *Turbis non eſſe permittendum, eorum, qui ſunt in Sacerdotio conſtituendi, electiones facere*. Nanque hic canon ita acceptus eſt, quaſi in eo populares Epiſcoporum creationes vetarentur. Idem

Juſtinianus addidit, eum, qui Eccleſiæ præſit, Epiſcopum Metropolitæ judicio & conſenſu eſſe renuntiandum, ſed ex veterum canonum mente. In his enim ſcitum eſt, omnia quæ geruntur in ſingulis Catholici orbis provinciis, auctoritate & numine Metropolitanorum eſſe peragenda. Ad hoc quamvis ſapientiſſimus Princeps abrogaverit canonem quartum Nicænum, in quo Synodus ſanciverat ut ab aliis Epiſcopis collegæ deligerentur, tamen eam diſciplinam præcepit, quam jampridem Romani Pontifices inſtituerant. Ab iis enim in latina Eccleſia decretum fuerat, ut demortuo Epiſcopo, in hujus locum Populus & Clerus alterum Epiſcopum ſubſtitueret, qui tamen a ſolo Metropolitano probandus eſſet, quin Provincialium Antiſtitum conventus ſociaretur. Quid vero multa? Nam paucis ex voto ratio noſtra confici poteſt. Totum illud, quod Juſtinianus legibus ſuis complexus eſt, in Eccleſia diu receptum erat, ut a Clero Populoque tres proponerentur, quorum unum ſed optimum is caperet, qui provinciæ præeſſet. Hic erat Metropolitanus, aut qui Metropolitani loco conſidebat. Stephanus Lariſſæ Præſul Romam Anno 531 vocatus eſt, ut in Synodo, quæ habebatur præſide Bonifacio II. Papa, doceret ſeſe ad ſummum gerendum Sacerdotium jure fuiſſe evectum, idque contra eos tueretur, qui nomini officiebant ſuo. Ille quum in ſynodum veniſſet, nihil cunctatus eſt, ſed ſtatim priſcam attulit conſuetudinem, ex qua Epiſcopus Lariſſæ fuerat conſtitutus. Ea vero ſic habebat, a Clero & Populo tres eſſe optimos viros renuntiandos, quorum unus a Metropolitano deligi deberet. Iſta dixit Stephanus quæ leguntur in *Collect. Rom.* Holſtenii pag. 6. 7. *Decretum factum eſt communiter tam Cleri, quam Populi, Metropolitani atque eorum, quorum aſſenſus erat actui neceſſarius, & ſecundum priſcam conſuetudinem tribus electis, Alexandro Presbytero, N Presbitero, ac me exiguo, meliori teſtimonio ſortito, electionis palmam promerui . . . Et quia ordinationem ſecundum priſcam conſuetudinem non alibi, ſed in eadem Civitate fieri oportebat, convenit ſancta Provinciæ ſynodus, & totius Civitatis poſſeſſores, omneque corpus Eccleſiæ, & communi omnium teſtimonio nihil conſuetudini detrahente in Eccleſia ſum ordinatus Epiſcopus.* Juſtiniano adjunguntur Carolus Magnus & Ludovicus Pius, tanquam ii, qui novum in morem & a canonum auctoritate recedentem Epiſcopos eſſe creandos edixerint. Si temporum autem hiſtoria repetatur, nuſquam reperire eſt, eos Principes de capiendis Epiſcopis novas leges condidiſſe. Atque Carolus Magnus Anno 802. Aquis edictum pertulit, in quo ex canonum ſcitis Epiſcopos eligi juſſit, qui Eccleſiis Regni ſui præficerentur. Hoc edictum paulo poſt deſcribetur. Optimi parentis veſtigiis Ludovicus Pius inſtitit. Is enim ſingulari pietate eximius Aquis An. 816. ſynodum convocavit, in qua decretum de eligendis Eccleſiarum Paſtoribus promulgavit, iiſdem pene conceptum verbis & ſententiis, atque ſuum illud Carolus Magnus extulerat. Utrumque Anſegiſus Abbas capitularium collector in lib. I. confudit, ſed alterum ab altero plane disjunxit *in Tom. II. Conc. Galliæ* doctus Jacobus Sirmondus. Itaque Ludovicus Epiſcopos renuntiari paſſus eſt nutu ſæpe ſuo, ſed a Clero & Populo perinde ac canones conſtituebant. Teſtis eſt Eginhardus in Annalibus ad Annum 803. Drogonem Metenſi Eccleſiæ præfectum fuiſſe multitudinis judicio, cui conſenſus Ludovici acceſſit: *Drogonem*, inquit, *Fratrem ſub canonica vita degentem Metenſi Eccleſiæ, Clero ejuſdem Urbis conſentiente atque eligente, Rectorem* (Ludovicus) *conſtituit eumque ad Pontificatus gradum cenſuit promovendum*. Plura hujuſmodi exempla exprompſit Thomaſinus *de N. & V. E. D. lib.* II. *part.* II. *cap.* 21.

VII. Reſtat ut videamus de jure Principum in creandis Eccleſiarum Paſtoribus. Grotius hoc, quod quæritur, ſic conſtituit, num ſummi Rerumpublicarum moderatores Eccleſiis Paſtores arbitratu ſuo dare poſſint, quin in divinas leges offendant. Atque ille ex ſententia negotium quidem confecit, potiſſimum exemplis chriſtianorum Principum. Nanque oſtendit non modo Romanis Imperatoribus, ſed Auguſtis Galliarum, Germaniæ, Hiſpaniarum & Apuliæ Regibus hoc eſſe tributum, ut eorum auctoritate Præſules Eccleſiis præficerentur. Si enim Populus, ſi honeſtiores cives, ſi Magiſtratus Epiſcopos renuntiabant, quis tam audax iſtud ipſum quaſi divino juri contrarium

Prin-

Principibus negaverit, quorum in fide religio recepta eſt, Eccleſiæque ſalus reponitur, iiſdem, qui tum prudentia, tum pietatis ſapientia inter omnes civium ordines excellunt. Ea omnis res uberrime a nobis diſputata eſt in quodam libro, qui propediem in publicam lucem proferetur, & Eccleſiaſtici juris ſed publici & patrii hiſtoriam complectitur. Nunc requiremus dumtaxat, tanquam critici ſolent, an in eo pertractando loco Grotius recte & diligenter omnia diſpexerit, quæ perſequutus eſt. Duxit initio ex ratione Principatus argumenta duo, quibus tamen nulla vis eſt ad optimam cauſſam, in qua ipſe verſabatur, defendendam. Hæc ita intexuntur: In divinis legibus nulla forma eligendi Epiſcopos deſcripta eſt: quumque ab iis, qui ſummum imperium regunt, omnino fieri poſſit quidquid in divino jure ſcitum non ſit, plane efficitur, eoſdem poſſe creationes Epiſcoporum ſibi vindicare. Ad hoc par eſt, Principibus id tribui, quod Populis datum erat: quoniamque Populi Epiſcopos deſignabant, prorſus ſequitur idem ipſum ad eos pertinere, ad quos omnis publica poteſtas tranſlata eſt. His argumentis Grotius egit. Quod primum eſt perpendamus.

Atque non modo audacter ſed licenter Arminianus ſibi ſumit, ad arbitratum Principum univerſum illud revocari, quod a Deo ſancitum non eſt in rebus, quæ ad Eccleſiam ſpectant, procurandis. Nanque illorum officium eſt revereri & maxima obſervantia colere etiam canones, quos Eccleſia ad Religionis utilitatem evulgavit. Has partes eſſe ſuas pientiſſimi omnes Imperatores edixerunt, quorum unum Juſtinianum proferimus. Hic in Novella CXXXI.; Θεσπίζομεν, inquit, τοίνυν τάξιν νόμιμον ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας, ὑπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας, τοῦτ' ἐστὶ τῆς ἐν Νικαίᾳ τῶν τιη. καὶ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει τῶν ἁγίων ρν. πατέρων, καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ πρώτης, ἐν ᾗ Νεστόριος κατεκρίθη, καὶ τῆς ἐν Καλχηδόνι, καθ' ἣν Εὐτύχης μετὰ Νεστορίου ἀναθεματίσθη. τῶν γὰρ προειρημένων ἁγίων συνόδων τὰ δόγματα καθάπερ τὰς θείας γραφὰς δεχόμεθα, καὶ τοὺς κανόνας ὡς νόμους φυλάττομεν, *Sancimus vicem legum obtinere Sanctos Eccleſiaſticos Canones, qui a ſanctis quatuor Conciliis conſtituti ſunt & confirmati, hoc eſt Niceno* CCCXVIII., *& C-Politano ſanctorum* CL. *Patrum, & Epheſino primo, in quo Neſtorius eſt damnatus, & Calchedonenſi in quo Eutyches cum Neſtorio anathematizatus eſt. Horum enim conciliorum dogmata, ſicut divinas ſcripturas, accipimus, & canones ſicut leges obſervamus.* Reſpexit Imperator ad *codicem canonum Eccleſiæ univerſæ*, qui dicebatur βίβλος Κανόνων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Hic liber complectebatur canones Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenos, Laodicenſes, C-Politanos, Epheſinos & Calchedonenſes. Maximæ autem auctoritatis erat in Catholico orbe: Nanque Canonibus, quos topicæ Synodi ſcripſerant, vim œcumenicam Calchedonenſes Patres adjunxerant. Hi enim canone I. inquiunt, τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν, *canones, qui a ſanctis Patribus in unaquaque Synodo hucuſque conſtituti ſunt, obſervari æquum cenſuimus.* Univerſum hunc codicem Juſtinianus intellexit, cum dixit, quaſi publicas leges ſe habere canones, quos œcumenica concilia non modo condiderant, ſed etiam a topicis Epiſcoporum conventibus perlatos probaverant. Appoſite Theodorus Balſamon ad Nomocanonem Photianum in titulo I. cap. 2. Σημείωσαι, inquit, τὴν παροῦσαν νεαρὰν (ρλα) ὡς νόμους κρατεῖν, μὴ μόνον τοὺς παρὰ τῶν (τεσσάρων) ἁγίων συνόδων ἐκτεθέντας κανόνας, ἀλλὰ καὶ τοὺς παρὰ τούτων βεβαιωθέντας, ἤγουν τοὺς κανόνας τῶν τοπικῶν συνόδων, *Animadverte hanc Novellam* CXXXI., *quæ dicit, tanquam leges ſervari oportere, non ſolum qui a ſanctis quatuor Synodis editi ſunt canones, ſed eos etiam, qui ab his confirmati ſunt, ſive canones ſynodorum localium.* Juſtinianus igitur declarat, non licere ſibi de Eccleſiæ rebus perferre quidquid placuerit, ſed Eccleſiaſticis legibus obſtrictum teneri, ita ut ab iis ſeſe diſceſſurum neget. Sic enim ille, cujus pietatem orthodoxi ab eo Principes omnes aſciverunt. Pergamus alterum argumentum expedire, in quo Grotius dicit, jus illud, quod Populis erat in eligendis Eccleſiarum Paſtoribus, in Principes fuiſſe tranſlatum. Id ipſum ecquis abnuerit? Diſpiciendum vero eſt, cujuſmodi in eo momentum eſſe poſſit. Paulo ante expoſita eſt qualiſcunque

po-

popularium concionum auctoritas : ſed in id , quod nunc inſtat , refert repetere quo loco eam Grotius exiſtimaverit . Is putat, plebem , cum Paſtores eligebantur, tantum illorum, qui ad Eccleſiarum regimen admoveri deberent, vitam & mores exprompſiſſe, eoſdemque judicio ſuo commendaſſe. Hoc enim erat *δοκιμάζειν ἐπισκόπους de moribus Epiſcoporum quærere*. Addit, priſcos Patres nihil memoriæ prodidiſſe, ex quo effici poſſit , Paſtores a Populo fuiſſe electos : conſtituiſſe ſolum iis , qui eligebantur, dandum a Populo eſſe teſtimonium , *ne indigni ad ſacerdotalem ſedem obreperent* , ut loquitur Cyprianus. In hanc ſententiam profert Lampridium , ſcriptorem ethnicum, qui in vita Alexandri Severi de Chriſtianorum inſtitutis ſic ediſſerit , *Ubi enim Alexander aliquos voluit vel rectores Provinciis dare , vel Præpoſitos facere , nomina eorum proponebat, hortans Populum, ut ſi quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus, dicebatque grave eſſe non fieri in Provinciarum Rectoribus, cum id Chriſtiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus*. Hæc quum Grotius docuiſſet , prorſus conſiteatur neceſſe eſt, ad eos qui ſummum imperium regunt , non iſtud a Populo accedere potuiſſe, ut Epiſcopos legerent , ſed tantum ut eos conſenſu & teſtimonio ſuo comprobarent. Hactenus explicata eſt ratio, quæ ab ipſius Principatus natura ducebatur.

VIII. Jamvero percurramus exempla piorum Principum, quæ a Grotio afferuntur. Atque is plures primum Romanos Imperatores a Conſtantino Magno ad Juſtinianum nominavit, qui creandorum Epiſcoporum poteſtatem exercuerunt. Quumque diſputaret, quo jure orthodoxi Principes contra Nicænum quartum canonem id aggreſſi eſſent, plane docuit, iis, qui ſummum regebant imperium , licuiſſe a canone abire tanquam a civili lege: addiditque eoſdem id habuiſſe, ut arbitrium ſuum coerceri non poſſet in eo canone, qui verbis late patentibus conceptus erat, *cum Juriſconſulti*, inquit, *in eo conſentiant, verbis generalibus in lege poſitis nunquam cenſeri excluſum jus ſummæ Poteſtatis*. At enim ſi ex clariſſimis antiquitatis teſtimoniis, nec ex conjecturis judicium de Romanis Imperatoribus reddendum ſit, prorſus dicamus oportet, eos ſatis animum advertiſſe , ne de negotiis , quæ Religionem ſpectabant , quidquam decernere auderent contra atque œcumenicarum Synodorum canones ſciſcebant . Quod ſi illi extra ordinem verebantur, ne Eccleſiæ in fraudem adducerentur , tum quidem non ex verbis, ſed ex ſententia canonum rem gerebant: Nam Epiſcoporum creationes ſibi vindicabant, idque Chriſtiani Principatus lege, ex qua Eccleſiis præſidium ferendum erat; ſin mali nihil ſuſpicabantur , hoc unum juris eſſe ſui credebant , ut publico aſſenſu eos probarent, quos aut Antiſtites Provinciæ aut Clerus & Populus cooptaverant. Huc dumtaxat conſilium evaſit Romanorum Imperatorum , quos Grotius commemoravit. Inter eos Theodoſius Magnus & Theodoſius junior , ne C-Politana Eccleſia in diſcrimen conjiceretur , ei nutu ſuo Epiſcopos dederunt , non contemptis nec Epiſcoporum nec Cleri & Populi ſuffragiis. Deliberabant Epiſcopi in C-Politana Synodo , ecquis ad illius Urbis, in qua verſabantur , Pontificatum admoveretur . Imperator Theodoſius Magnus Gregorium Theologum , virum vitæ ſanctitate & ſingulari doctrina præſtantem habuit dignum, cui hujuſmodi honos mandaretur . Plerique Epiſcopi cum Theodoſio ſenſerunt & Gregorium C-Politanum Præſulem renuntiarunt. Jam is Eccleſiam adminiſtrandam ſuſceperat, cum cognovit, quoſdam Antiſtites & præſertim Ægyptios recuſaſſe , quominus hujuſmodi Pontificatus penes ipſum reſideret : itaque ampliſſimo munere, quo defungi cœperat, ſtatim ſeſe abdicavit, *Ἀναιτοῦσι δὲ τοῖς Ἐπισκόποις τὴν παρακαταθήκην ἀπέδωκεν, repoſcentibus Epiſcopis depoſitum reddidit*. Tum Imperator in eo elaborabat, ut optimus & integerrimus vir reperiretur, qui in Regia Urbe Pontificatum gereret . At Synodi Antiſtites non idem ſtudebant . Nam *ἕκαστοι δέ τινα τῶν αὐτοῖς ἐπιτηδείων ἤξιουν χειροτονεῖν , ſinguli aliquem ex neceſſariis ſuis ordinare cupiebant*. Eam ob cauſſam Imperator Epiſcopis injunxit, ut illorum ſcriberent nomina, qui C-Politanæ Eccleſiæ ſacram præfecturam optime capeſſere poſſent . Epiſcopus Antiochenus inter multos poſtremum Nectarium memoravit. Hunc Theodoſius delegit. Plures Epiſcopi interceſſerunt eam potiſſimum ob rem , quod Nectarius neophytus erat . Sed

paulo

paulo poſt πάντες εἶξαν, καὶ τῇ ψήφῳ τοῦ κρατοῦντος συνέβησαν, *univerſi ceſſerunt & Imperatoris ſententiam ſuffragio comprobarunt*, ex quo Nectarius κοινῇ ψήφῳ τῆς συνόδου ἀναγορεύεται Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπος, *communi univerſi concilii judicio Epiſcopus C-Politanus prædicatur*. Sic enim *in lib.* VII. *cap.* VII. & VIII. *eccl. Hiſt.* Sozomenus. Quæ cum ita ſint, ex iis apparet, Imperatorem ob exploratum metum, ne Regiæ Urbis Eccleſia ab indigno homine adminiſtraretur, in creando illius Epiſcopo auctoritatem adhibuiſſe ſuam, ita ut univerſo negotio Synodus Epiſcoporum firmitatem adjungeret. Itaque Epiſcopis plus ſatis tributum eſt, quam illud valet, quod Grotius dicit, *Eos probaſſe electionem jam factam, quia ipſorum erat Nectario adhuc laico & Catechumeno poſt baptiſmum manus imponere*. Accedamus ad alterum Theodoſium, qui proſpexit eodem vindicandæ religionis ſtudio C-Politanæ Eccleſiæ, cavitque ne detrimentum ea caperet ex diverſis Epiſcoporum ſtudiis, quorum alii Philippum, alii Proclum expetebant. Ille enim in hac contentione ab Antiochia Neſtorium evocavit, quem Regiæ Urbis Eccleſiæ præficeret. Legamus Socratem, Μετὰ τὴν τελευτὴν Σισιννίου ἔδοξε τοῖς κρατοῦσι, μηδένα μὲν διὰ τοὺς κενοσπουδαστὰς ἐκ τῆς Ἐκκλησίας εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προχειρίζεσθαι, καίτοι πολλῶν μὲν τὸν Φίλιππον, πολλῶν δὲ τὸν Πρόκλον χειροτονηθῆναι σπευδόντων. ἐπήλυδα δὲ ἐκ τῆς Ἀντιοχείας καλεῖν ἐβούλοντο.... τριμήνου οὖν διαδραμόντος ἄγεται ἐκ τῆς Ἀντιοχείας ὁ Νεστόριος, *Poſt obitum Siſinnii propter homines inanis gloriæ ſtudioſos placuit Imperatoribus neminem ex Eccleſia C-Politana ad Epiſcopatum promovere, licet multi Philippum, nec pauciores Proclum ordinari ſummo ſtudio contenderent. Peregrinum igitur hominem Antiochia evocare ſatius viſum eſt. Elapſo igitur trium menſium ſpatio Neſtorius Antiochia adducitur*. Hæc Socrates in *lib.* VII. *cap.* XXIX., contra quem audacter Grotius ſibi ſumit, *Imperatores reſciſſa Procli electione a majore parte facta ad Epiſcopatum C-Politanum advenam ex Antiochia vocari voluiſſe*. Idem Theodoſius, cum maxime pertimeſceret, ne, jam demortuo Maximiano Antiſtite, C-Politana Eccleſia in periculo verſaretur, Epiſcopis hoc commiſit, ut Proclum in illius locum ſubrogarent: Τοῖς παροῦσιν ἐπισκόποις ἐνθρονίσαι τὸν Πρόκλον ἐπέτρεψεν, *Epiſcopis, qui aderant, curæ tradidit, ut Proclum in Epiſcopali ſolio collocarent*, idque conſilium iniit, ἵνα γὰρ πάλιν περὶ ἐκλογῆς ἐπισκόπου ζήτησις ἢ καὶ ταραχὴν τῇ ἐκκλησίᾳ κινήσῃ, *ne rurſus de eligendo Epiſcopo ambigeretur, eaque res tumultum in Eccleſia excitaret*: quod ipſe Socrates *in lib.* VII. *cap.* XI. Hiſt. Eccleſ. memoriæ mandavit.

IX. Sic igitur Romani Imperatores, cum ea tempora incidebant, in quibus Eccleſiæ erat conſulendum, huic officio non deerant, ſed operam dabant, ut ſine ulla fraude optimi viri in Pontifices cooptarentur. Verum cum res erant quietiores & ex canonum ſententia gerebantur, nefas eſſe ducebant ab Eccleſiæ inſtitutis recedere, nullumque negotium iis faceſſebant, ad quos pertinebat Epiſcopos renuntiare. Id tamen non patiebantur eos, qui Epiſcopi creati eſſent, Eccleſiis præfici ſine ſua ipſorum aſſenſione. Calchedonenſis Synodus, abdicato Dioſcoro, Alexandrinis mandavit, ut ad Eccleſiam conſervandam ſuam advigilarent, donec novus Epiſcopus conſtitueretur Marciani Imperatoris auctoritate. Nam in tertia actione ad eos epiſtolam ſcribit, in qua ſic ipſos alloquitur, Φυλάξατε τοίνυν τὰ ἐκκλησιαστικὰ σύμπαντα, ὡς μέλλοντες καὶ λόγον ἀποδοῦναι τῷ κατὰ βούλησιν θεοῦ, καὶ νεύματα τῶν εὐσεβεστάτων, καὶ θεοφιλεστάτων ἡμῶν βασιλέων., χειροτονηθησομένῳ τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως ἐκκλησίας ἐπισκόπῳ, *cuſtodite igitur res Eccleſiaſticas univerſas, tanquam qui redditurì eſtis rationem ei, qui ſecundum Dei voluntatem & nutum pientiſſimorum & Dei amantiſſimorum Imperatorum noſtrorum Alexandrinæ Magnæ Civitatis Eccleſiæ ordinandus eſt Epiſcopus*. Joannes porro Chryſoſtomus, demortuo Nectario, Epiſcopus C-Politanus renuntiatus eſt in Populi & Cleri comitiis, Arcadio Imperatore approbante. Nam teſtis eſt Sozomenus *in lib.* VIII. *cap.* II. Chryſoſtomum ἔδοξεν Κωνσταντινουπόλει ἐπιτήδειον εἶναι τῆς Ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν, *idoneum viſum eſſe, qui C-Politanam Eccleſiam gubernaret*: pergit hiſtoricus, ψηφισαμένων δὲ τοῦτο τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ Κλήρου, καὶ ὁ βασιλεὺς συνῄνει, καὶ τοὺς ἄξοντας αὐτὸν πέμπει, *Hoc quum Populus ſimul & Clerus uno conſenſu decreviſſent, Imperator quoque* com-

comprobavit, *miſitque qui eum adducerent*. Atque eodem modo cum Ambroſio Valentinianus, ac cum Vigilio Juſtinianus egerunt, quos tamen Imperatores Grotius protulit quaſi eos, qui nutu ſuo Pontifices elegerant. Sic enim is de Valentiniano, *Epiſcopi mediolanenſis electio ob Epiſcopis Imperatori delata eſt*. Hoc nimirum finxit ſine ullo antiquo teſte. Rem omnem litteris commiſerunt Socrates & Sozomenus, ille in *lib.* IV. *cap.* XXX., hic *in lib.* VI. *cap.* XXIV. Denato Auxentio mediolanenſis Eccleſiæ Præſule alii alium eligebant. Cumque incertus Populus ad ſeditionem inclinaret, Ambroſius Provinciæ Præſes ei auctor eſt, ut ab omni contentione abiret & pacem rebus omnibus anteferret. Ad gravem hominis orationem ſtatim omnes Mediolanenſes ſtudiorum certamina ſuſtulerunt, eundemque, qui ad concordiam eos impulerat, tametſi catechumenum, Epiſcopum dixerunt. Is libenter in ſacro lavacro lotus eſt, ſed, admonentibus & rogantibus Provinciæ Præſulibus, Sacerdotium detrectavit. Valentinianus interpellatur, qui cum valde lætatus eſſet, illum eſſe delectum, quem ipſe Provinciæ præfecerat, Epiſcopis mandavit, ut tantum virum quamprimum Antiſtitem crearent. Hæc Socrates, cui Sozomenus concinit, Ἐπεὶ δὲ, inquit, Ἀμβρόσιος τὸ μὲν βάπτισμα ἡδέως ἐδέξατο, πολὺς δὲ ἦν τὴν ἱερωσύνην παραιτούμενος, γνωρίζουσι τῷ βασιλεῖ Οὐαλεντινιανῷ τὰ γενόμενα. Ὁ δὲ βασιλεὺς θαυμάσας τὴν τοῦ λαοῦ ὁμόνοιαν... ἐδήλου τοῖς Ἐπισκόποις, ὑπουργεῖν τῷ θεῷ κελεύοντι χειροτονεῖν, *ſed quoniam Ambroſius libenti quidem animo baptiſmum ſuſceperat, Sacerdotium vero omnibus modis detrectabat, Epiſcopi rem ad Valentinianum Imperatorem referunt. Imperator conſenſionem Populi admiratus . . . reſcripſit Epiſcopis, ut Deo morem gererent, jubenti illum ordinari*. Ergo non Valentinianus, ſed Populus Ambroſium in Epiſcopum Mediolanenſem cooptavit. Quum autem Antiſtites Provinciæ vim optimo viro Pontificatum detrectanti facere non poſſent, tum Valentiniani opem implorarunt, qui ea in re auctoritatem ſuam adhiberet.

X. Præterea de Juſtiniano Grotius dicit, *A Juſtiniano Imperatore Hormiſdas & Vigilius electi ſunt in Epiſcopatum Romanæ Urbis*. Vir nempe doctus aperte fallitur. Nam Hormiſdas, decedente Symmacho, Pontifex Romanus renuntiatus eſt, quo tempore Theodoricus Rex Italiam regebat, & Anaſtaſius C-Poli imperabat, multis antea annis quam Juſtinianus Imperium capeſſeret. De Vigilio autem res ita ſe habuit. Denato Papa Agapeto Vigilius Romanæ Eccleſiæ Apocriſarius C-Poli verſabatur. Is Theodoram Auguſtam adivit, cui deſpondit, ſublatis Calchedonenſis Concilii decretis, ſe in Eccleſiaſticam officiorum ſocietatem Acephalos omnes recepturum, ſi operam ipſa daret, ut in Pontificem Romanum cooptaretur. Itaque litteris ad Beliſarium Patricium impetratis Romam venire properavit. Per illud tempus Silverius, cujus rebus Theodatus Gothorum Princeps favebat, Pontifex creatus fuerat. Attamen Vigilius non timuit, quin proſpere cœptis ſuccederet ſuis. Nam conſilia Ravennæ cum Beliſario egit de fingendo crimine, in quod Silverius adduceretur. Eo animo Beliſarius Romam contendit, quumque Silverium poſtulaſſet initæ cum Gothis amicitiæ, quæ Imperatori fraudi eſſet, eum in exilium miſit & in locum ſuum Vigilium ſubrogavit: Is vero legitimus Pontifex habitus non eſt, quamdiu Silverius vixit. Nam mortuo Silverio Eccleſiam Romanam a Paſtore ſuo vacaſſe *ſex dies* Anaſtaſius Bibliothecarius in Pontificum vitis dixit. Si auctoritas hoc in negotio ſit Cardinali Baronio, tum Vigilius Romanæ Eccleſiæ Sacerdotio ſe abdicavit, & deinde in liberis Cleri Populique comitiis Pontifex lectus eſt. Quod vero inter illorum temporum ſcriptores conſtat, Romanus Populus & Clerus partim Beliſarii metu, partim Eccleſiaſticæ pacis ſtudio eum, quem Antipapam vivente Silverio exiſtimaverant, in Pontificem cooptavere. Sic de Vigilio. Quoniam vero aliquæ C-Politanis Imperatoribus delatæ fuere partes in eligendis Romanæ Eccleſiæ Præſulibus, ejus inſtituti ratio diſpicienda eſt, ut quorſum pertineret, facile percipi poſſit. Primus Odoacer Italiæ Princeps ſancivit, ne quis injuſſu ſuo Romanæ præficeretur Eccleſiæ, idque ſe perferre dixit, rogante Simplicio Papa, ad tollendas concertationes, quæ in popularibus concionibus excitari ſolebant. In Actis Concilii IV. Romani eam legem evolvere licet, in qua ita Princeps,

ceps, *Hoc nobis meminiſtis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, ut propter illum ſtrepitum & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſi eum de hac luce migrare contigerit, non ſine noſtra conſultatione cujuslibet celebretur electio*. Victo deinde Odoacro Theodoricus Gothicæ Monarchiæ conditor, quamvis Arianus, paſſus eſt Romanos eligi Pontifices in liberis Populi & Cleri conventibus, quin in iis ullam ſibi auctoritatem tribueret. Sic Felix, Gelaſius & Anaſtaſius creati fuere: quorum poſtremus quum deceſſiſſet, ea tempora fuere, in quibus Rex rem omnem a comitiis ad arbitrium revocare ſuum poterat. Duplex erat Romanorum factio, alii Symmachum, alii Laurentium Pontificem eligebant: *Separatus eſt Clerus*, inquit Anaſtaſius in Symmachi vita, *& diviſus eſt Senatus. Alii cum Symmacho erant, alii cum Laurentio. Et facta contentione hoc conſtruxerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis*. Theodoricus autem negotium Romanorum ſuffragiis eſſe committendum ratus, eum juſſit vincere, qui a pluribus erat creatus. Quocirca Symmachus Romanæ Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit. Symmacho Hormiſdas ſucceſſit, & Hormiſdæ Joannes, uterque ſolis Populi & Cleri tabellis Pontifex renuntiatus. Attamen in ſententia deinde non manſit Theodoricus. Nam poſt Joannis obitum, ſublatis certaminum ſtudiis Felicem III. Pontificem dixit, eo rejecto, quem frequentior multitudo Felici anteferebat. Principi Populus paruit. Athalaricus enim, qui decedente paulo poſt Theodorico Italiæ Regnum cepit, Senatui Romano gratulatus eſt, quod in Felicem conſenſiſſet, miſſis ad illum litteris, quæ apud Caſſiodorum *in lib.* 8. leguntur, *Gratiſſimo*, inquit, *profitemur animo, quod glorioſi Domini Avi noſtri reſpondiſtis in Epiſcopatus electione judicio: Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri*. Sed nihiloſecius Avi ſui conſilium ſequutus non eſt Athalaricus, quo ne rogato quidem Bonifacius & Joannes II. renunciati fuere Pontifices. Quum vero Theodatus ad Regnum Italiæ acceſſiſſet, is novo conſilio Sylverium Hormiſdæ Papæ Filium in Romana Sede collocavit, quem multitudo non expetiverat. Audaciſſimum inceptum Clerus deteſtatus eſt, quamvis tempori cederet. Omnia prodidit Anaſtaſius in Sylverio, *Hic*, inquit, *levatus eſt a tyranno Theodato ſine deliberatione decreti. Qui Theodatus corruptus pecunia data talem timorem indixit Clero, ut qui non conſentiret in ejus ordinatione, gladio puniretur . . . Jam autem ordinato Sylverio ſub vi & metu propter adunationem Eccleſiæ & Religionis poſtmodum ſubſcripſerunt Presbyteri*. In Gothico igitur Italiæ imperio (Odoacri enim edictum contrariis moribus antiquatum fuerat) nulla lex erat, quæ in Pontificiis comitiis aliquam Regibus dabat auctoritatem, tametſi ſemel & iterum illi rebus novis ſtudentes Romanos Pontifices elegiſſent, ita ut horum creationes firmitatem a conſenſu Populi & Cleri haberent.

Exactis Gothis C-Politani Imperatores jam Italiæ Domini exemplis, quæ Reges dederant, inſiſtentes crediderunt, eligendorum Pontificum negotium ſic eſſe peragendum, ut quodam modo in poteſtate eſſet ſua. Quum ſane Vigilius in exilium pulſus eſſet, Juſtinianus Imperator Clero Romano, cujus multa pars C-Polim venerat, integrum eſſe dixit, num Vigilium veterem ſuum Præſulem exoptarent, an eo ſummoto novum ſibi Pontificem creare mallent Pelagium Archidiaconum. Attendamus ad ea animum, quæ ſcripſit Anaſtaſius in Vigilio, *Dixit Imperator: Vultis recipere Vigilium, ut fuit Papa veſter? Gratias ago. Minuſque? Hic habetis Archidiaconum veſtrum Pelagium, & manus mea erit vobiſcum. Reſponderunt omnes: Reſtitue nobis modo Vigilium, & quando eum voluerit Deus tranſire de hoc ſæculo, tunc veſtra præceptione nobis donetur Pelagius Archidiaconus noſter*. Igitur poſt Vigilii obitum ad Romanæ Eccleſiæ præfecturam admotus eſt Pelagius, eligentibus eum Clero ac Populo, & Imperatoris nutum approbantibus. In eo loco res fuere, vivente Juſtiniano. At deinde in more receptum eſt, ut is, qui Romanus Præſul lectus fuiſſet, non antea Pontificatum iniret, quam Imperator in eum conſentiret. Quum enim Pelagius II. Eccleſiæ datus eſſet Pontifex ſine ulla Imperatoris aſſenſione, iſtud in cauſſa fuiſſe Romani dicebant, quod Langobardi tum Romam obſidebant, *Pelagius ordinatur*, inquit Anaſtaſius, *abſque juſſione Principis, eo quod Langobardi obſiderent Civitatem Romanam, & multa vaſtatio*

ab eis in Italia fieret. Optimus teſtis eſt Gregorius Magnus juris illius, quod Græci Imperatores ſibi aſſerebant. Is enim Romanæ Eccleſiæ gubernationem detrectans, quam Senatus, Clerus & Populus ipſi mandaverant, ad Mauritium Imperatorem litteras miſit, in quibus eum rogavit, ut auctoritate ſua tolleret quod aliorum ſententiis erat decretum. De ſanctiſſimo illo Pontifice ſic Joannes Diaconus *in lib.* I. *E.* 39. 40., *Gregorium licet totis viribus renitentem Clerus, Senatus, Populuſque Romanus ſibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem evitare decernens . . . At ubi decretum generalitatis evadere nequit, conſenſurum ſe tandem aliquando ſimulavit. & Imperatori Mauritio, cujus filium ex lavacro ſancto ſuſceperat, latenter litteras deſtinavit, adjurans & multa prece depoſcens, ne unquam aſſenſum Populis præberet*. Non ſatis conſtat quidem, num Gregorii Magni temporibus quidpiam pecuniæ Romani Pontifices Imperatoribus pro impetranda aſſenſione penderent. At qui a Gregorio Pontifices fuere, certum cenſum exſolvebant ad Conſtantini Pogonati ævum, qui, Agathone creato Romanæ Sedis Præſule, hoc ſummum Sacerdotii & Imperatoriæ Majeſtatis dedecus ſuſtulit. Anaſtaſius in Agathone, *Hic accepit divalem juſſionem ſecundum ſuam poſtulationem, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum, electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in Regiam Urbem, ſecundum antiquam conſuetudinem*. Ex his Anaſtaſii verbis concipitur c. XXI. *Agatho natione Siculus* Diſt. LXIII. apud Gratianum. Quum vero Benedictus II. chriſtianum orbem regeret, Pogonatus juſſit, eum qui in Pontificem rite eſſet cooptatus, ſtatim Pontificatum accipere ipſius Imperatoris injuſſu, idque in litteris ad Clerum, Populum & Exercitum declaravit: *Conceſſit, ut electus e veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur*. Ita Anaſtaſius, qui docuit rem eo rediiſſe ut, renuntiato Romano Pontifice in Cleri & Populi comitiis, non Imperatoris, ſed Exarchi, qui Italiam gubernabat, aſſenſio expectaretur. His expoſitis duo quiſque intelligit, quæ Grotius non tenuit, primum, iis temporibus, cum Græci Imperatores Italiam adminiſtrabant, Pontifices fuiſſe lectos in liberis Romanorum comitiis, alterum, Imperatores id dumtaxat juris ſibi tributum voluiſſe, ut electos Pontifices nutu approbarent ſuo. Adeatur Thomaſinus *De V. & N. E. D. part.* II. *lib.* II. *cap.* XVI.

XI. Perrexit Grotius cauſſam agere contra Gomariſtas exemplis Gallicanorum Principum, qui aut Epiſcopos arbitratu ſuo eligebant, aut non patiebantur eos injuſſu ſuo renuntiari. Dixit autem primum illos hanc poteſtatem ſibi feciſſe, antequam imperio ſuo Italiam addidiſſent, & ſine ullo Romanorum Pontificum conceſſu. Atque hoc ſatis ſcite: Nullum enim reperiri monumentum potuit, ex quo perſpicuum ſit, veteres Gallicanos Principes ante Carolum Magnum de Romanis Pontificibus tam bene fuiſſe meritos, ut talis ſibi auctoritas concederetur, quæ ipſis erat in legendis Eccleſiarum Paſtoribus. Protulit quidem nonnemo Lupum Abbatem Ferrarienſem quaſi docentem in Epiſtola LXXXI. Zachariam Papam Pipino illud dediſſe, ut Eccleſiis, quæ Paſtorum regimine vacabant, delectos viros præficeret. Verba inſpiciamus, *Pipinus*, inquit Lupus, *a quo per maximum Carolum & religioſiſſimum Ludovicum Imperatores duxit Rex noſter originem, expoſita neceſſitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporum induſtria ſibi probatiſſimorum, decedentibus Epiſcopis, mederetur*. Hæc non declarant, Zachariam Papam illius poteſtatis fuiſſe auctorem, ex qua Pipinus Epiſcopos creabat, ſed potius id ratum conſenſu ſuo habuiſſe quidquid Principes Carolus Mannus & Pipinus in Synodis Germanica, Liptinenſi & Sueſſionenſi ſibi adſcripſerant. Magna rerum perturbatio Gallicanas Eccleſias tenebat. Milites enim & cæteri cives, qui in Clericorum cœtum non fuerant allecti, eas invaſerant. Nullus in iis diſciplinæ tenor, nulla pietas, nulla ſacrorum religio. De cauſſis horum malorum averruncandis Carolus Mannus cogitavit: eam ob rem Synodum coegit, quæ præſide Bonifacio Romani Pontificis Legato habita eſt, & ob incertum loci nomen *Germanica* appellatur. Hanc vero Synodum frequentior altera

tera confirmavit, quæ apud Liptinas ann. dccxxxxi. convocata eſt. In ea Princeps dixit ſeſe ad id animum adjeciſſe, ut ipſe in Eccleſiis Sacerdotum & piorum virorum conſilio Præſules crearet, iiſque Bonifacium præficeret: *Itaque*, inquit, *per conſilium Sacerdotum religioſorum & Optimatum meorum ordinavimus per Civitates Epiſcopos & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt miſſus S. Petri*. Zacharias, his rebus per Bonifacium cognitis de diſciplina apud Gallos bene adornata lætatus eſt, idque ſignificavit in epiſtola, quæ *in libro quinto Capitularium* legitur. Poſtea Pipinus Dux & Princeps anno ſecundo Childerici Regis Concilium Sueſſione habuit, in quo edixit, ſeſe Antiſtites creaturum in ſingulis Eccleſiis. Hoc enim eo valebat, ut ab univerſis ditionis ſuæ Eccleſiis ſubmoverentur milites aliique homines, qui in eas invaſerant. Quod ipſum eum Zacharias cognoſſet, ſumma hilaritate aſſectus eſt: Sic enim ad Ducem & ad Epiſcopos ſcripſit, *Gaudio magno gaudemus in Domino addiſcentes per relationem ſublimiſſimi atque a Deo ſervati prædilecti Filii noſtri Pipini veſtram omnium bonam converſationem, & quod, ut in bonis & Deo placitis diſpoſitionibus unanimes & cooperatores eſtis*. Nunc intelligimus, quorſum ſpectaverit Lupus Ferrarienſis, cum dixit, Zachariam in id conſenſum adhibuiſſe ſuum, ut Principes Gallicani Epiſcopos conſtituerent. Nanque is reſpexit ad Epiſtolas, quas Zacharias poſt Synodos Germanicam, Liptinenſem & Sueſſionenſem ad Gallos & ad Pipinum conſcripſit. In iis enim Pontifex ratum habere videtur quidquid juris Carolus Mannus & Pipinus ſibi attribuerant in eligendis Epiſcopis.

XII. Sequuntur deinde illa apud Grotium, *Franci Reges hoc jure* (eligendorum Præſulum) *uti ſolebant in Regno ſuo, ideo & in Italia hoc ipſum Carolus Magnus ſibi tribui voluit, ne minore cum Imperio Italiam, quam Galliam & Germaniam regeret: veriſſime enim a Goldaſto aliiſque obſervatum eſt, decretum illud, quod Adriani Pontificis Romani tempore factum eſt, ad italicos dumtaxat Epiſcopos pertinere, cum aliis in partibus jam ante Carolus ſolidum jus electionis haberet*. His in verbis Grotius ſinceram eſſe Synodum Romanam conceſſit, in qua Carolum Magnum Hadrianus primus Papa ita demeruiſſe dicitur, ut ei mandaret ſummum Patriciatus honorem, & porro crederet auctoritatem creandi Romani Pontificis & cæterorum legendorum Præſulum, quamquam ex Goldaſto Arminianus exiſtimavit, hujuſmodi Pontificium decretum ad creationes Epiſcoporum Italorum pertinuiſſe, quoniam, inquit, *aliis in partibus jam ante Carolus ſolidum jus electionis habebat*. Vir nimirum doctus in hiſtoriis medii ævi evolvendis judicio illo uſus non eſt, quo in multis excelluit. Nam facile comperire potuit, nec Hadrianeam Synodum unquam extitiſſe, nec decretum, quod in ea conditum eſſe dicebatur, cum eorum temporum moribus conſentire. Univerſæ rei auctor eſt Sigebertus Gemblacenſis, qui in Chronico ad annum dcclxxiii. narravit, Romæ iis diebus, cum Carolus Magnus poſt Ticini deditionem Urbem repetiit, Concilium fuiſſe ſociatum, in quo Hadrianus Regi *dedit jus eligendi Pontificem & ordinandi apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque Patriciatus. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ob eo inveſtituram accipere definivit, & ut, niſi a Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, a nemine conſecretur, omneſque huic decreto rebelles anathematizavit, & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicavit*. Sigebertum, qui vivebat anno 1112. Gratianus ab iiſdem temporibus non recedens D. lxiii. can. 22. exſcripſit, quamvis auctoris nomen reticuiſſet. At enim dudum viri doctiſſimi ſane & magno ingenio præditi in cognoſcendis veterum monumentis de Sigeberto conqueruntur, quod is ad ineundam cum Henrico Imperatore gratiam hujuſmodi Concilium confingere ſtuduerit. Nanque hiſtoriam ipſe ſcribebat ſuam, quo tempore inter Germanos Principes & Romanos Pontifices ſummum erat certamen de *inveſtituris*, quas Præſules accipiebant, antequam Eccleſiarum regimen capeſſerent. Maxima enim ad Henrici cauſam auctoritas accedebat, ſi Carolo Magno, in cujus principatum ſucceſſerat, jus illud fuiſſet, de quo agebatur, ex Hadriani & Romani Concilii decreto. Atque omnia quidem conſentiunt, ut Sigeberto fidem non adhibeamus. Nullos habuit

buit auctores, quos proferret. Quod ipſe commemorat, omnino tacent Anaſtaſius Bibliothecarius, acta Romanæ Synodi, quæ habita eſt Hadriano Pontifice, itidem Eginhardus, qui Carolum Magnum ubique comitatus eſt, & ejus vitam ſcripſit, denique omnes Carolinorum temporum ſcriptores. Quinimo iidem ea memoriæ mandarunt, quæ a Sigeberti hiſtoria maxime diſſentiunt. Nanque ſummo conſenſu produnt, Carolum quater Romam veniſſe, ſemel anno 774. iterum anno 780. tertium anno 786. & quartum anno 900. Sed ut geri potuiſſent ea, quæ a Sigeberto aſſeruntur, inter annum 774. & 780. Carolus etiam Romam adiviſſe dicendus eſt, quod nemini in mentem venire poteſt. Percurramus cætera, quæ contra Sigebertum faciunt. Dicitur Hadrianus Patriciatum Carôlo Magno mandaſſe. At idem jam Patricii nomine nobilitatus erat a Stephano III. qui ea dignitate ſimul Pipinum & Carolum Mannum affecerat. Hoc enim ſatis declarant Annales Metenſes, & palam faciunt epiſtolæ, quas Stephanus ſcripſit ad Pipinum & ad hujus liberos. Hanc enim ob cauſam Carolus anno DCCLXXIV. cum Romam primum petivit, ab Hadriano Papa ea honoris ſignificatione exceptus eſt, quæ Exarchos & Patricios Romanos decebat, quod ab Anaſtaſio memoriæ proditum eſt. Ad hoc Florus Magiſter in eo, quem edidit, libro *de electione Epiſcoporum* docuit quidem, in more illud eſſe receptum, ut conſentientibus Regibus omnes Præſules crearentur, ſed nullius legis meminit, in qua talis illorum auctoritas niteretur. Et Lupus Ferrarienſis in epiſtola LXXXI. cum eandem Regum poteſtatem perſequeretur, initium a Papa Zacharia cepit. Uterque enimvero Hadrianeam illam Synodum tacuit, quæ, ſi forte extitiſſet, negligi non poterat ſine magno probro. His adſtruitur argumentum, quod ex duabus Hadriani Epiſtolis ducitur, quas ad Carolum Magnum miſit. In altera enim, quæ anno DCCLXXXIV. ſcripta eſt, Pontifex dicit, in provinciis Logobardicæ ditionis Epiſcopos in Clericorum & cæterorum civium comitiis renunciari, quos deinde ipſe conſecraret & ad Eccleſiarum regimen admoveret. In altera vero, quæ anno DCCLXXXVII. miſſa eſt, Carolo, qui Præſulem Ravennatem non eligi ſine Legatis ſuis exoptaverat, idem reſcripſit, Ravennates nunquam, nec Pipini temporibus de conſtituendo Epiſcopo ſuo Principem conſuluiſſe, neque ipſos libenter paſſuros ab eo inſtituto abire.

XIII. Accedit quod poſt Hadrianum primum Pontifices ex priſcis inſtitutis creati fuere in Populi & Cleri concionibus, quin ipſe Carolus, dum vixit, & Ludovicus Pius auctores fierent. Delibanda eſt paucis horum Pontificum hiſtoria, ut id quod inſtat, dilucide efficiatur. Atque tanquam Hadrianus in Pontificem libere cooptatus fuerat, ſic Leo III. in illius locum ſubrogatus eſt ſine ullis Caroli juſſis. Leoni ſucceſſit, teſte Anaſtaſio, Stephanus V. *a Populo Romano electus*, qui ſtatim Ludovico Pio fidem Romanorum obligavit: *Præcepit Pontifex omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico*. Hæc Theganus Nithardus *de Geſtis Ludovici*, qui ſane ſcriptor Imperatoris partes non tacuiſſet, ſi quas Imperator pro Stephani Pontificatu interpoſuiſſet. De hoc quidem Pontifice Gratianus in D. LXIII. can. 28. prodidit, eum ſanxiſſe, ne Romanæ Eccleſiæ ſummum Sacerdotium ei, qui a Clero & Populo eſſet creatus, mandari poſſit, niſi adſtantibus Imperatoris Legatis: *Volumus, ut cum inſtituendus eſt Pontifex, convenientibus Epiſcopis & univerſo clero eligatur, præſente Senatu & Populo, qui ordinandus eſt, & ſic ab omnibus electus, præſentibus Legatis imperialibus, conſecretur*. In hanc ſententiam Stephanum loquentem Gratianus induxit, qui tamen ex more fallitur. Enimvero nec ab Anaſtaſio Bibliothecario, qui omnia Potificiæ hiſtoriæ monumenta diſpexit, nec a cæteris illius ætatis æqualibus ſcriptoribus aliquid allatum eſt, ex quo conjici poſſit, Stephanum de ratione creandi Pontificis novam legem condidiſſe. Neque enim Romanæ Eccleſiæ ſtatus iis temporibus ita perturbatus erat, ut ea perferri debuiſſet. Pluribus id evincunt Baronius ad An. 816., Papebrochius, Natalis Alexander & Pagius ad An. 807. Attamen ab iis omnibus doctiſſimus Ludovicus Antonius Muratorius diſcedens auctoritatem conciliare Gratiano ſtuduit. Is enim in Rerum Italicarum volumine II., in quo univerſos Romanæ Synodi

nodi a Nicolao I. Pontifice coactæ canones evulgavit, quum canonem II. deſcripſiſſet conceptum in hæc verba, *Si quis Sacerdotibus, ſeu Primatibus, Nobilibus, ſeu cuncto Clero hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ electionem Romani Pontificis contradicere præſumpſerit, ſicut in Concilio Beatiſſimi Stephani Papæ ſtatutum eſt, anathema ſit*, exiſtimavit Nicolaum primum beatiſſimi Papæ Stephani decreta probantem ad eum Canonem reſpexiſſe, quem ex Stephano V. Gratianus protulerat, *En ut Nicolaus I.* (verba ſunt Muratorii) *de electione Romani Pontificis agens, ac turbas in ea exoriri ſolitas eliminare cupiens confirmat & obſervandum decernit quidquid in Concilio beatiſſimi Stephani Papæ ſtatutum eſt: Ergo decretum Stephani procul dubio* IV. (V.) *eam in rem præceſſerat. Hoc autem vix aliud eſſe potuerit, quam quod Gratiano laudatur, cui tamen ſi velis aliquod ſuperadditum a ſubſequutis Pontificibus, non repugnabo*. Sic Vir de Republica litteraria optime meritus diſſerebat, quem Romana Synodus Anni 769. præteriiſſe videtur. In ea enim Stephanus III. plures canones pertulerat, e quibus tertium & quartum ad regendas Romanorum Pontificum creationes adcommodatos in Diſt. 79. Gratianus repoſuit. Atque canon III. ita conſtituit, *Oportebat, ut hæc ſacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia . . . rite ordinaretur, & in Apoſtolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis conſecraretur:* Quartus vero hæc addidit, *Nullus unquam laicorum neque ex alio ordine præſumat, niſi per diſtinctos gradus aſcendens Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacri Pontificatus honorem promoveri*. Quos Stephani III. canones quum habeamus, par eſt intelligi de iis Nicolaum Papam cogitaſſe, non autem de Gratianeo illo decreto, quod Stephano V. conſenſus eruditorum ademit.

Poſteaquam Stephanus denatus eſt, Romani in ſua eſſe tutela pergunt, & Paſchalem I. arbitratu ſuo renunciant Pontificem, de quo Anaſtaſius, *Una voluntate a cunctis Sacerdotibus, ſeu Proceribus, ſeu omni Clero, nec non & Optimatibus, vel cuncto Populo Romano in Sedem Apoſtolicam Pontifex elevatus eſt*. Paſchali ſummum Sacerdotium ineunte editur celeberrimum monumentum, in quo Ludovicus Pius quidquid Pipinus & Carolus Magnus Romanæ Eccleſiæ donaverant, ratum eſſe juſſit, & alia eximiæ liberalitatis ſuæ argumenta adjecit. Iſtud complexus eſt Gratianus in D. LXIII. can. *Ego Ludovicus*, integrum vero Labbeus evulgavit poſt Acta Concilii Aquiſgranenſis An. 816. ex codice Vaticanæ Bibliothecæ, deſcripſitque Baluzius *in Tomo* I. *Capitularium Francorum*. In eo magnum Romanis teſtimonium dedit Imperator, eos liberos eſſe a qualicunque Principum Imperio in creandis iis, qui Pontificatum capeſſerent, legem tamen renovavit, ut Pontifices, qui electi eſſent, legatos ad Reges Gallicanos eoſdemque Imperatores mitterent, qui cum iis priſca amicitiæ fœdera confirmare poſſent, *Quem omnes Romani uno conſilio atque concordia in Pontificatus ordinem elegerint, is more canonico conſecretur. Et cum conſecratus fuerit, Legati ad nos vel ad ſucceſſores noſtros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum charitatem & pacem ſocient, ſicut temporibus Caroli atavi noſtri, ſive Pipini avi vel Caroli Imperatoris conſuetudo erat faciendi*. Præſtantiſſimum monumentum, quamvis Molinæus, & qui eum ſequitur Baluzius tum in *Annotationibus ad Capitularia*, tum in *Annotationibus* in Gratianum poſt dialogos Antonii Auguſtini editis in dubium revocent, ſed Auctores graviſſimi & ſingulari doctrina excellentiſſimi vindicant & tuentur. Diſcedente Paſchali Pontifices ordine creantur Eugenius II., Valentinus & Gregorius IV., ſed omnes ſolis multitudinis ſuffragiis & ſcitis. Nam apud omnes illius ferme ætatis Scriptores Clerus, Senatus & Populus tantum commemorantur, qui eos elegerint. De probatis dumtaxat Scriptoribus nobis equidem ſermo eſt. Ancipitis enim fidei auctores hiſtoriam omnem Pontificiam pervertunt. Ecce Ademarus Monachus, cui concinit Eginhardus, in vita Ludovici Pii apud Ducheſnium *Tom.* 2. *pag.* 305. de Gregorio IV. dixit, *Gregorius electus eſt, dilata conſecratione illius uſque ad conſultum Imperatoris, quo annuente & electionem Cleri & Populi probante ordinatus eſt*. Hæc cæteris Ludovici Imperatoris rebus geſtis quis conſentientia exiſtimaverit? Si enim ille publi-

publico teſtimonio affirmavit in Cleri & Populi eſſe poteſtate, ut Pontifices Romanæ darent Eccleſiæ, cur ſtatim mutatus in eo negotio præcipuas ſibi eſſe partes contendat? Nihil quidem hujuſmodi de Ludovico Pio promunt Anaſtaſius Bibliothecarius in Gregorii vita, & Ado Viennenſis in Chronico. Contra vero Magiſter Florus, qui Calvi æqualis fuit, Scriptor gravis & fidei plenus in eo fragmento, quod operibus Agobardi intextum eſt, conceptis verbis pronunciat, Pontifices Romanos ævo ſuo creari ſolitos comitiali multitudinis judicio ſine ullo Imperatorum nutu, *Sed & in Romana Eccleſia uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis Pontifices conſecrari*.

Sergius II. Gregorio IV. ſubrogatus eſt ſolo Ordinum conſenſu. Attamen, ſi Annales Bertinianos audiamus, eo Pontifice Lotharius Imperator res novas moliri cœpit. Nam Filium ſuum Ludovicum & Drogonem Metenſem Epiſcopum Romam miſit, qui Romanis legem dicerent, ne quem Præſulem legerent, ei Pontificatus committeretur, niſi ſuis ipſius legatis inſpectantibus & conſentientibus. Sic enim Bertinianus ille Monachus apud Ducheſnium in Tomo III. pag. 200. *Sergius*, inquit, *ſubſtituitur, quo in Sede Apoſtolica ordinato, Lotharius Filium ſuum Ludovicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Epiſcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente Apoſtolico quiſquam illic præter ſui juſſionem Miſſorumque ſuorum præſentiam ordinetur Antiſtes. Qui Romam venientes honorifice ſuſcepti, peractoque negotio, Ludovicum Pontifex Romanus unctione in Regem conſecratum cingulo decoravit*. Huic Annalium Scriptori auctoritatem adjungere videtur Anaſtaſius ipſemet Bibliothecarius (?), qui narravit, Romanos, ſubſtituto in locum Sergii Leone IV., primum veritos eſſe (?), ne Imperatoris animum offenderent, ſi eum conſecrari juberent, non impetrata ab ipſo aſſenſione; nec deinde timorem omnem depuliſſe, niſi, Saracenis aliiſque hoſtibus Romam obſidentibus, in ea re ſatis præſidii eſſe perſpexiſſent, ut incepti veniam ſui ab Imperatore implorarent. Quocirca poſt Leonis IV. obitum Benedictus III. Pontifex creatus non eſt, antequam Imperator conſuleretur. Pergit enim Anaſtaſius, *Clerus & cuncti Proceres Decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & conſuetudo priſca ut poſcit, invictiſſimis Lothario & Ludovico deſtinaverunt Auguſtis*. Priſca conſuetudo quæ ab Anaſtaſio vocatur, ea erat, quæ perditis Græcorum in Italia rebus longo intervallo ad Lotharium uſque intermiſſa fuerat. Quibus ita poſitis facile efficitur inter Leonem IV. & Lotharium Ludovicumque Auguſtos eam non eſſe initam concordiam, quam Gratianus in D. LXIII. can. 31. deſcripſit. Si enim inter eos convenit, Pontifices injuſſu Imperatoris eſſe eligendos, cur ex hujus pactionis lege creatus non eſt Benedictus? Primus igitur ex Gallicanis Regibus Lotharius ad jus illud ſibi aſſerendum aggredi ſuſtinuit, quod græci olim Imperatores habuerant. At conatus ille fuit, qui ſtatim compreſſus eſt. Nam decedente Nicolao I., qui Benedicto III. ſucceſſerat, Hadrianum II. Pontificem dixere univerſi Civium ordines, qui Legatos Ludovici II. Imperatoris Romæ degentes ne comitiis quidem intereſſe permiſerunt. His enim eam rem exprobrantibus Romani reſponderunt, ſeſe ſcire quibus honoris ſignificationibus Imperator eſſet afficiendus, attamen id noluiſſe agere, ex quo novus mos oriri potuiſſet in conſtituendis iis, qui ſummum Eccleſiæ Sacerdotium gererent. Sic enim ipſe Gratianus in D. LXIII. canone XXIX., qui deſcriptus eſſe dicitur ex Gregorio ſive II. ſive IV., licet collectus ſit ex geſtis Romanorum Pontificum, quæ Anaſtaſius perſequutus eſt, *Cum Hadrianus II. ad Romanum Pontificatum ab Eccleſia Dei genitricis Dominæ noſtræ, quæ dicitur ad præſepe traheretur ad Lateranenſe Patriarchium, certatim a Clero & Proceribus & Plebe deportatus eſt. Quod audientes Miſſi Imperatoris Ludovici moleſte tulerunt, indignati ſcilicet, quod dum præſentes eſſent, non fuerunt invitati, nec optatæ a ſe futuri Præſulis electioni intereſſe meruerunt. Qui accepta ratione, quod non cauſſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis omiſſum hoc fuerit (ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præſulum expectandi mos per hujuſmodi fomitem inoleſceret) omnem indignationem medullitus ſedaverunt*. Par eſt igitur

igitur intelligi, Romanos Lotharii Imperatoris auſis ita quidem ceſſiſſe, ut, cum primum ex ſententia rem peragere potuere, iis rejectis, priſtinum arbitrium in eligendis Romanis Præſulibus ſibi vindicaverint.

Ac poſt Hadrianum primum hac ratione & via optimus quiſque Romanæ Eccleſiæ præfectus eſt, donec in difficillimis temporibus Anno 904. Joannes Papa IX. in Romani Concilii cap. 10. caverit, ne Pontifex conſtitueretur, niſi Imperatoris Legati in urbem pervenerint. Decretum iſtud eſt, quod Gratianus in cognoſcendis veterum monumentis non ſatis gnarus D. LXIII. can. 28. Stephano V. attribuerat. Sancitum in eo eſt, ut *convenientibus Epiſcopis & univerſo clero Pontifex eligatur, expetente ſenatu & populo, & ſic in conſpectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præſentibus legatis Imperialibus conſecretur*. Tenuere deinde Italiam complures Tyranni, qui ad voluntatem ſuam Romanis Pontifices dare conabantur: quæ Eccleſiæ fortuna diu fuiſſet, niſi Otto primus Imperator ei conſuluiſſet. Is enim, ſi Luitprandum audiamus, quum An. 963. Romam veniſſet, omnes civium ordines ſacramento adegit, ne Pontifices eligerent, antequam vel ipſe, vel ſui Filius Rex Germaniæ ſententiam rogarentur: quod illi quidem libenter in ſemet receperunt. Sic enim Luitprandus in lib. VI. cap. VI. *Cives ſanctum Imperatorem cum ſuis omnibus in Urbem ſuſcipiunt, fidelitatemque repromittunt, hæc addentes & firmiter jurantes, numquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos, præter conſenſum atque electionem Domni Imperatoris, Ottonis Cæſaris Auguſti, filiique ipſius Regis Ottonis*. At ſi fidem habere non diffidamus Ottonis ipſius diplomati, cujus exemplar aureis conſcriptum litteris Romæ aſſervatur in Caſtello S. Angeli, editumque eſt in Veneta Labbeana collectione *tom.* 11. *pag.* 875., exiſtimari neceſſe eſt, Imperatorem ante an. 963. cum Romanis ita egiſſe, ut fineret ab iis Pontifices creari, quin ſui conſenſionem vel Legatos ſuos expectarent. Res quidem ea eſt, de qua judicium nunc ferre nihil attinet. Itaque perorandum eſt hoc argumentum. Hiſtoria Pontificum, qui Eccleſiæ Romanæ uſque ad Ottonem primum præfuere, prorſus declarat, eos a Populo & Clero fuiſſe renuntiatos, non factis auctoribus illis, penes quos Imperium reſidebat. Romani enim vetus hoc jus ſibi aſſeruerunt, quamquam Lotharius rebus novis ſtuduit. Quocirca ſequitur, poſteros eum feſelliſſe, qui memoriæ prodidit, Carolum Magnum, Hadriano concedente, mandatam ſibi & Liberis ſuis habuiſſe poteſtatem legendorum Pontificum. Hæc fere contra Sigebertum, quæ copioſe tractarunt Cardinalis Baronius, illuſtriſſimus Archiepiſcopus Petrus de Marca *in libro* VIII. *cap.* XII. *de Concordia Sacerdotii & Imperii*, Natalis Alexander *in Synopſi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſæc.* VIII. *cap de Romanis Pontificibus*, Carolus Sebaſtianus Berardus in libro, in quo Gratiani canones ſummo judicio examinat, *p.* 2. *cap.* LXXI. *de Hadriano*, aliique, quos enumerare longum eſſet.

XIV. At enim Grotio iiſque omnibus, qui pro Sigeberto decertant, unus favere videtur Leo VIII. qui, cum Ottoni Imperatori poteſtatem creandi Romani Pontificis credidiſſet, id ipſum ſe feciſſe declaravit exemplo Hadriani Papæ. Auctor enim eſt Luitprandus *in libro* VI. *cap.* VI., Leonem VIII. coacta Synodo, in qua Benedictum V. Pontificatu abdicavit, ad extremum edixiſſe, ut Otto Imperator Pontificem Romanum eligeret, cæteros vero Eccleſiarum Antiſtites *inveſtiret*, idque veſtigiis Hadriani, *qui Domino Carolo victorioſiſſimo Regi Francorum & Langobardorum patriciatus dignitatem, & ordinationem Apoſtolicæ Sedis, & inveſtituram Epiſcoporum conceſſit*. Hæc quidem, quæ præclare Baronius refellit. Is enim arbitratur, nunquam a Leone illud eſſe perlatum, quod eum conſtituiſſe ad amplificandam Imperatoris auctoritatem ex Luitprando cognovimus. Nanque hic Scriptor pro Ottonis partibus ſtetit & Leoni Antipapæ ſtuduit, ut in rerum, quæ ad ipſos pertinebant, hiſtoria fides ei imminuenda ſit, quamquam nec idem auctor eſſe videtur eorum omnium quæ in operis ſui libro ſexto poſt caput quintum leguntur. Conſulendus eſt Gerardus Joannes Voſſius de Hiſtoricis Latinis. Accedit, quod Leo octavus in decreto ſuo dicitur Ottonem Romanorum Patricium & Regem renuntiaſſe, atque in eos, qui huic ſcito non parerent, ſacro-

crorum interdictionem & capitis ſupplicium impoſuiſse. Ecquis vero crederet, Ottonem Imperatorem iſta ſibi præconia exoptaſse? Aut quis putaret Leonem ita ſanxiſse? Etenim in Romanorum Pontificum inſtituto non erat Leonis octavi temporibus, ut publicis pœnis in illos, qui juſſis ſuis non obtemperarent, ſeſe animadverſuros ſciſcerent. Præterea ſi inſpiciamus exemplar Pontificii decreti, quod ex Theodorico Nemo Goldaſtus deſcripſit, in eo Leo octavus omnia Ottoni dedit, quæ Romanæ Eccleſiæ donaverant Juſtinianus Imperator & Rex Ariperius, quinimo his adjunxit Corſicæ Regnum & Iſtriæ Dalmatiæque Ducatum. Quam iſta ficta ſunt! quam male compoſita! In Romanæ enim Eccleſiæ ditione nunquam Iſtria & Dalmatia fuere; Corſica Ottonis ævo in Regni dignitatem nondum pervenerat; nec denique Juſtinianus & Rex Ariperius in Romanos Pontifices ſingulari uſi fuere liberalitate. His argumentis contemptis Petrus de Marca exiſtimavit, Leonem VIII. legem quidem condidiſſe, in qua Ottonis dignitatem auxit, ſed ne conflaret ſibi invidiam, finxiſse Hadrianum primum iiſdem honorum ſignificationibus Carolum Magnum ſibi conjunxiſſe. Atque in eam ſententiam ivit, quod reipſa Leo VIII. eo fuiſſe loco videbatur, ut ſi conſulere rebus ſuis vellet, ita cum Ottone agere debuiſſet. Nam hic Leonem in Romanum Præſulem cooptaverat, eundemque a Joanne XII. abdicatum, iterum, dejecto Benedicto qui in Joannis locum ſucceſſerat, in pontificatu repoſuit. Quid ergo reliquum erat, niſi ut eximio Imperatori gratias Leo referret, eique Romani Pontificis creationem adſcriberet? Sic Marca, qui ſane probat, Pſeudopapam ſatis cauſſæ habuiſſe, cur Ottonis auctoritati faveret, ſed nondum evincit, eum id ipſum ſtuduiſſe quod fieri decebat. Quinimo Antipapa quum tot beneficiis Imperatorem devincire potuiſſet, cur id daret, quod Romanæ Eccleſiæ fraudi eſset ſine ullis exemplis? Evolvatur Antonius Pagi *in criticis ad A.* 964.

XV. Perſequamur cætera, in quibus ſumma Grotii diligentia deſideratur. Is porro exiſtimavit, jus iſtud, quod in eligendis Præſulibus verſatur, Regibus adjunctum non fuiſse propter eximiam liberalitatem, qua univerſas illi Eccleſias proſequuti fuerunt. Etenim cenſuit, hujuſmodi jus iis fuiſse tributum, antequam ad Eccleſias multarum facultatum & bonorum vis perveniret, aut politicæ ditiones accederent. Nam credidit, Epiſcopos vel Caroli Magni ævo tenues admodum fortunas ſibi habuiſse, nec imperiis fuiſse præfectos, niſi cum Ottones Rempublicam geſserunt. Hæc Grotius. Nos vero in animum non induximus de jure illo diſputare, ex quo Principum qualiſcunque poteſtas profecta ſit in negotio creandorum Antiſtitum. Iſtud ſane quærunt illuſtriſſimus Archiepiſcopus Petrus de Marca *in lib.* VIII. *de Conc. S. & J. cap.* IX. Conringius *in diſp. de Conſt. Epiſc. German. th.* 46. & Gaſpar Zieglerus *in Tract. de juribus Majeſtatis*. Idem ipſum a nobis alias dicetur. Nunc omnis res cum Grotio agenda eſt. Quamquam ſcilicet in ipſo Chriſtiano principatu hæret auctoritas quæ Regibus adſcribenda ſit, ſi de legendis Epiſcopis agatur, eadem tamen maximum in eo momentum habet, quod in beneficii loco Reges tam multa Eccleſiis detulerunt. Hi enim ab antiquiſſimis temporibus per Gallias, Germaniam, Hiſpanias, Angliam & Italiam Epiſcopatuum ſedes non modo condiderunt, ſed iis omnes, quibus affluunt, opes dederunt. Audiamus quid contra Grotius dixerit, *Caroli Magni temporibus*, inquit, *multoque magis priſco illo & ſimpliciore ævo Epiſcopatus pauperes aut tenues erant ut ab Onuphrio Panvinio harum rerum peritiſſimo indagatore annotatum eſt, ad juriſdictiones vero quod attinet, eas Epiſcopi, Caroli Magni ævo, nullas Epiſcopatibus annexas habuerunt, ſed uſurpari id demum cœpit, avulſo a Galliis Germaniæ regno: cum Ottones Germaniæ imperarent, tantum abeſt ut juriſdictiones electionis per Imperatores faciendæ cauſſam dederint, ut contra ideo juriſdictiones conceſſæ ſint Epiſcopis, quod Imperatores eos ut a ſe electos ſibi fideliſſimos fore ideoque ipſis cuſtodiam Urbium tuto committi arbitrarentur*. Ergo docendus Grotius eſt, Eccleſias ampliſſimis uſas fuiſse fortunis non modo Principum pietate, qui Carolinæ Gentis temporibus, ſed & eorum, qui ante Carolum Magnum Rempublicam rexerunt, ut par ſit intelligi, Reges vel eo jure quod ex li-

ex liberalitate ſua ſibi acceſserat, Epiſcopos ſæpe renuntiaſse. Brevi iſtud conficiatur. Clodoveus primus multis agris Eccleſias ditionis ſuæ ditavit, quod Patres Aurelianenſes in Concilii primi canone 5. memoriæ produnt, *De oblationibus*, inquiunt, *vel agris, quos Domnus noſter Rex Eccleſiis ſuo munere conferre dignatus eſt, vel adhuc non habentibus Deo inſpirante contulerit, ipſorum agrorum vel clericorum immunitate conceſſa id eſſe juſtiſſimum diffinimus, ut in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captivorum quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur*. Idem Rex, cum Aquitaniam & Narbonenſem provincias imperio ſuo addidiſset, exacto Alarico Gothorum Rege, in iis regionibus plures Eccleſias condidit & maximis fortunis impertiit. Reges, qui a Clodoveo extiterunt, eandem ab Eccleſiis gratiam inire ſtuduerunt. Clotarius primus in Eccleſia Antiſſiodorenſi plura beneficia collocavit. In hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodorens *p.* 1. *cap.* 20. *apud Philippum Labbeum tom.* 1. *nov. Biblioth. Mſc. libror. pag.* 422. de Deſiderio illius Eccleſiæ Præſule hæc afferuntur, *Deſiderii ſecularis dignitas tanta extitit, ut ei nemo ſuo tempore, quamvis potentiſſimus ex æquo ſe conferre potuerit. Fuit enim propinquus Brunechildi Reginæ & Filiis ejus tam Francorum, quam Burgundorum Regibus: quorum munificentia principali ingentem prædiorum amplitudinem conſequutus eſt*. Atque hic ipſe Hiſtoricus apud eundem Labbeum *tom.* 1. *pag.* 429. Hainmarum Epiſcopum, qui Pipini æqualis erat, appellavit *virum ſtrenuum, atque nobilitate generis non mediocriter decoratum, ſimul quoque fundorum dignitate ita ditiſſimum . . . . . ut uſque ad Ducatum pene totius Burgundiæ perveniret*. Ad hoc laudibus extollitur Guntramnus tanquam is, qui Eccleſias locupletaverit. De illo Gregorius Turonenſis *Lib.* 7. *cap.* 89., *Multa & ipſe Eccleſiis conferens, teſtamenta quoque defunctorum qui Eccleſias hæredes inſtituerant, & a Chilperico compreſſa fuerant, reſtauravit multis ſe benignum exhibens, ac multa pauperibus tribuens*. Accedit quod jam ſexto Sæculo Eccleſiæ in omni facultatum genere ita abundare cœperant, ut difficillimis Reipublicæ temporibus Reges in eas invaſiſſent, & ſive Militibus ſive aliis Civibus optime meritis conceſſiſſent: de quo Principum more erudite inter multos diſſeruit Petrus de Marca *in lib.* v. *Hiſt. Bearn.* Hanc vicem ſuam Antiſtites in pluribus Synodis ſæpe doluerunt, quin tamen diu ad rem ſuam profeciſſent. Tandem Carolus Mannus, Pipinus aliique Reges ſanxerunt, omnes eos, ad quos Eccleſiaſtica prædia pervenerant, precario ab Epiſcopis ea habere, legemque ſcripſerunt, ut decedentibus his Beneficiariis, integra omnia Eccleſiis reſtituerentur, tametſi ſæpe in perditis Regni rebus hujuſmodi precariæ conceſſiones renovarentur. Carolus Magnus in *Capitul.*, quod eſt in *lib.* VII. *cap.* 142. apud Baluzium *tom.* 1. *pag.* 1054. ita edixit. *Præcipimus, ut nullus res Eccleſiæ, niſi precario poſſideat. Et poſtquam ipſæ precariæ finitæ fuerint, faciant poteſtative ſpeculatores Eccleſiæ, utrum elegerint, aut ut ipſas res recipiant, aut poſteris eorum ſub precario & cenſu habere permittant*. Hoc ipſum docuerant Synodus Liptinenſis An. 744. & Sueſſionenſis An. 745. Conſulantur Baluzius. *Tom.* II. *Capitul. pag.* 406. Mabillonius *Tom.* III. *Analect. pag.* 84. Bignonius ad Marculſum *lib.* II. *cap.* 5. Cangius in *Gloſſar. voc. precaria*, Zieglerus *de Epiſcopis in lib.* III. *cap.* 28. & Thomaſinus *Par.* II. *de diſcipl. Eccl. in lib.* III. *cap.* 22. Agedum pergamus. Stephanus Leodienſis Abbas in vita ſancti Medoaldi, Trevirenſis Epiſcopi, qui ſæculo VII. floruit, apud Surium *d.* 12. *Mai pag.* 168. affirmat, pietatis, quæ in Regibus inerat, argumentum eſſe maximas Eccleſiarum fortunas: *Teſtantur*, inquit ille. *Eccleſiæ, quas cum diverſi generis documentis, tum etiam prædiis & regalibus ſuis, caſtris ſcilicet & comitatibus, teloniis, monetis & bannis cum jure Civitatum conceſſis magnifice extulerunt*. Apud eundem vero iſta ſequuntur de Germanicis Epiſcopis, *Inde eſt, quod nuſquam gentium æqualis potentiæ Pontifices inveniri queant vel quod a Regio Comitatu & opulentia parum differant*. Hæc quidem ſatis declarant, Epiſcopos Sæculis VI. VII. VIII. & IX. plurimis prædiis abundaſſe, & minores aliquas juriſdictiones in vectigales homines ſibi adſcripſiſſe, quod

ediſſerunt Thomaſſinus *lib.* I. *de N. & V. E. D. p.* III. *cap.* 20. & Leibnitius *in Introd. Tom.* I. *Script. Brunſuic. n.* XXV.

XVI. Videndum porro eſt an per idem tempus Præſules, quaſi Duces & Comites regendis regionibus præfuerint & Imperium in liberos Populos exercuerint. Ac quidem provincias, quas Langobardi Reges in Italia comparaverant, in Romanæ Eccleſiæ poteſtatem fuiſſe jam tum redactas docent complura monumenta, de quibus viri eruditi diſputarunt, Joannes Morinus *de magnitud. Imperii politici Eccleſiæ Rom. a Gallicanis Regibus delati*, Nicolaus Alemannus in diſſ. de *Lateranen. Parietinis*, Petrus de Marca in lib. III. *de Concord. S. & I. cap.* X. *&* XI., Patricius Junius *de translat. Imp. contra Belar.*, Goldaſtus *tom* 2 *Conſt Imper. ad an* DCCLXXIV., Meurſius *in Gloſ. voc. Patricius*, Conrigius *de Germanorum Imperio Romano*, Gretſerus in *lib.* III. *obſerv. ad Georg. Codin.* Curopalat. *de Officiis & Officialibus cap.* 17., Ever. Otto *diſſ.* I. *juris publ. & privat*, Cointius *in Annalib. Eccl. Franc. ad A. C.* DCCLXXXXVI. & DCCC., Blanchus *de Poteſt. Eccl*, Urſius *de dominio tempor Principum* aliique complures. Nos vero de Eccleſiis Germanicis & Gallicanis, de quibus Grotio ſermo eſt, parumper quæramus. Dudum hic locus inter eruditos viros diſputatus eſt, quorum alii negant, Epiſcopos VII. VIII. & IX. ſæculo ea Regum exiſtimatione fuiſſe uſos, ut Feuda majora acciperent & politica juriſdictione præditi provinciis præficerentur, alii vero contra diſputant, & id quod ſentiant magnis ex antiquitate prolatis argumentis tuentur. Atque ſi res diligenter perſpiciatur, facile intelligi poteſt, Pipino, Carolo Magno & horum liberis Rempublicam gerentibus, Epiſcopos juri dicundo præfuiſſe in iis regionibus, quas in clientelam ſuſceperant. Maximum illud argumentum eſt, quod ex militaribus muniis ducitur, quæ tum multi Antiſtites implebant. Clara enim illius ætatis monumenta nos docent, eos religioni non duxiſſe bellicos ſpiritus capere & contra hoſtes exercitus ducere, id quod copioſe pertractavit Gaſpar Zieglerus *in lib. de Epiſcopo milite*. Ado Viennenſis memoriæ prodit, Anepotem Epiſcopum anno 712. Ducem fuiſſe *Francorum contra Wiliarium in Suevos, ubi graviſſima cædes facta eſt*. Zacharias Pontifex in epiſtola ad Bonifacium an. 742. hæc de Epiſcopis expoſtulavit, *Sed iſti parvipendentes atque Dominum ad iracundiam provocantes majora committunt facinora, dum propriis manibus Chriſtianos atque paganos necant*. Ad hos Nicolaus primus in litteris, quas an. 865. ad Ludovicum & Carolum Reges ſcripſit, Epiſcopos narravit ex receptis moribus contra maritimos hoſtes excubias & cuſtodias agere & corpora iis ſua opponere. Sic enim Pontifex, qui & prolatus eſt *in c.* 19. *c.* 23. *qu.* 8. a Gratiano, *Reprehenſibile*, inquit, *valde conſtat eſſe, quod ſubintuliſti dicendo, majorem partem omnium Epiſcoporum die noctuque cum aliis Fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare*. His conſtitutis ratio noſtra ita ſe habet. Vetus & perpetua erat Eccleſiæ ſententia, nefas eſſe Epiſcopos a munere animum ſuo avocare, eundemque ad ea, quæ ſunt bellica & publica, adjungere. Contra hanc legem, quæ ſæpe a Conciliis & Romanis Pontificibus rogabatur, cur Epiſcopi in bellum proficiſcebantur? Illi profecto non temere ad rem periculi plenam aggrediebantur, ſed ex officio, quod quum eccleſiaſticum dici non poſſet, publicum erat. Quoniam nimirum leges militaribus muniis obligabant Duces, Comites eoſque omnes, qui tanquam beneficiarii provincias procurabant, facile efficitur, in eorum fuiſſe numero Antiſtites omnes qui ſub ſignis Regum militabant. Atque hariolari neceſſe non eſt. Nam Hincmarus manifeſtis verbis declarat, militiam Epiſcopis injungi ex civili Gallicani Imperii lege. Ille ad Nicolaum Papam ſic reſcripſit *Tom.* I. *opp. pag.* 3. *Cum Domino Rege, in hoſte ex omni Regno ſuo collecta contra Brittones & Normannos illis conjunctos, ſicut & cæteri Conſacerdotes noſtri ſecundum regionum noſtrarum gravem conſuetudinem cum ſuis vadant, quam longe infirmitate attritus potero, cum hominibus commiſſæ mihi Eccleſiæ perrecturus ſum*. Vocavit nempe *gravem conſuetudinem* Hincmarus eam legem,

gem, quæ, quum regiis omnibus beneficiariis militiam imponeret, Epiſcopos non eximebat. Idem in epiſtola ad Hadrianum ſecundum *Tom. 2. p. 698.* Gallicanos Epiſcopos, qui milites Regibus ſufficiebant, in crimen non adduxit, quin etiam eos laudibus affecit. Nam conſtituit recte illos agere, quod opes Eccleſiis univerſas Reges dediſſent: *Si per jura Regum Epiſcopi poſſidebunt poſſeſſiones, non poſſunt Regi de eccleſiaſticis poſſeſſionibus obſequium non exhibere, ſicut Anteceſſores mei ſuis Anteceſſoribus exhibuerunt.* Explicavit porro ibidem pag 324. quam rationem ſufficiendæ militiæ inire Antiſtites deberent. Prodidit eos in more habere, ut datis loco Feudorum eccleſiaſticis prædiis, plures *Vaſſallos* ſibi crearent, qui *Fideles Dei* & *Homines Eccleſiæ* dicebantur, & ab ipſis certo numero milites depoſcerent, qui Rempublicam & Eccleſiam defendere poſſent. Ergo illos monendos eſse cenſuit, ut eos Eccleſiæ *Vaſſallos* facerent qui fortiter in bello mererent: *Epiſcopus*, inquit, *diſpoſitis quæ ſunt Eccleſiæ ac ſuis, Eccleſiaſticorum nihilominus & pauperum hoſpitumque ſubſidiis, cum de rebus Eccleſiæ propter militiam beneficium donat, talibus dare debet, qui idonei ſunt reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.* Ex his omnibus, quæ Hincmarus docuit, plane ſequitur Epiſcopos idcirco in bello fuiſſe verſatos, quod Eccleſiæ, quibus præerant, publicis prædiis affluerent. Hincmaro concinit *apud Surium die 2. Januar.* Adelardus Abbas Corbejenſis, *Conſtat*, ait, *nos in præſenti tempore ideo Reipublicæ deſervire, quia ipſa noſtris attenuata cupiditatibus ex ſe ſubſiſtere non poſſe maniſeſte cauſſatur.*

Illud ipſum, quod agimus, facile percipitur ex crebra belli vacatione, quam Pontificum Romanorum piorumque Epiſcoporum monitis a Gallicanis Principibus ſæpe Sacerdotes impetrarunt. Nam a bello ipſi eximebantur, ſed militares copias mittebant, quibus Ducem ex regiis Præfectis dare ſolebant. Hujus veniæ primus auctor fuit Carolus Magnus in *Capit.* An. 802. apud Baluzium *tom. 1. pag.* 1054. *Apoſtolicæ Sedis hortatu*, inquit Imperator, *omniumque Fidelium noſtrorum & maxime Epiſcoporum ac reliquorum Sacerdotum conſultu . . . Noſmetipſos corrigentes poſteriſque noſtris exemplum dantes volumus, ut nullus Sacerdos in hoſtem pergat, niſi duo vel tres tantum Epiſcopi propter benedictionem & prædicationem Populique reconciliationem . . . Reliqui vero, qui ad Eccleſias ſuas remanent, ſuos homines bene armatos nobiſcum, aut cum quibus juſſerimus dirigant, & ipſi pro nobis & cuncto exercitu noſtro miſſas, litanias, oblationes & eleemoſynas faciant.* Patres Concilii Verni Anno 844. Carolum Calvum exorant, ne patiatur in Caſtris Epiſcopos eſſe, qui vel Regum conceſſu, vel virium debilitate ab eo officio liberabantur, utque jubeat eos turmas ſuas cujuſcumque Regii Ducis imperio committere: *Quoniam*, ajunt, *quoſdam Epiſcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem veſtra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, præcavendum eſt utriſque, ne per eorum abſentiam res militaris diſpendium patiatur. Itaque ſi veſtra conſentit ſublimitas, homines ſuos Reipublicæ profuturos cuilibet Fidelium veſtrorum, quem ſibi utilem judicaverint, committant, cujus diligentia, ne ſe ab officio retrahere valeant, obſervetur.* Carolus Rex Cenomanenſi Epiſcopo poteſtatem fecit, ut in belli temporibus domi maneret. Etenim ei licere milites ſuos edixit uni ex neceſſariis ſuis ducendos concredere. Sic enim apud Baluzium *in tom.* III. *Miſcel. pag.* 129., *Carolus Franconi Epiſcopo conceſſit, ut hoſtes & itinera nulla faceret, ſed Adalghiſus ſuus propinquus omnia regalia ſervitia faceret pro eo, & per licentiam Franconis aliquam partem Abbatiæ Sancti Curilephi teneret.* Quum Aldricus eidem Cenomanenſi Eccleſiæ præficeretur, certum ſibi eſſe Ludovico Pio affirmavit, ſeſe Epiſcopatu abdicare, ſi e domo abeſſe juberetur. Ex quo Imperator apud eundem Baluzium ibidem permiſit ab eo vel unum ex clericis, vel alium ſubrogari, qui militares Eccleſiæ ſuæ copias in bello regeret. Lupus Abbas Ferrarienſis, qui noni ſæculi initio vivebat, in epiſtolis ſuis ſæpe commemoravit ſeſe ad Regis amicitiam ita receptum habuiſſe, ut in Caſtra ire non adigeretur, ſed milites ſuos *cum Comite Pagi* militaret: *Ego*, inquit *in epiſt. 21.*, *ut noſtis, hoſtem ferire ac vitare non didici: nec vero cetera pedeſtris ac equeſtris militiæ officia exequi. Nec Rex noſter ſolis bellato-*

ſuæ ab eo auxilia impetraverat, quibus confeſtim advenientibus obſidio ſoluta eſt. Guntramnus Rex ſuſceptis cum Rege Sigeberto magnis inimicitiis, Regni ſui Epiſcopos Lutetiæ coegit, qui de concilianda pace & de avertendo bello conſilia capere poſſent, *Guntramnus Rex apud Pariſios omnes Regni ſui Epiſcopos congregat, ut inter utroſque quid veritas haberet, edicerent*. Hæc Gregorius Turonenſis *lib.* 1. *cap.* 7. & *lib.* 4. *cap* 47. Plura exempla illius exiſtimationis, quæ ad Epiſcopos acceſſerat, Thomaſſinus protulit *de V. & N. E. D part.* III. *lib.* I. *cap.* XXVII. *& ſeq.* Pervenerant nimirum uſque adeo Antiſtites, ut Regiæ poteſtatis partes adminiſtrandas ſuſciperent, & Principatum in multis regionibus gererent, qui tandem iis loco Beneficii ſive Feudi datus eſt. Turonenſis Antiſtes, Dagoberto primo Rege, non modo auctus erat univerſo cenſu, quem Cives perſolvebant, ſed Comitem Urbi dabat, quod imperii magnum eſt argumentum. Teſtis eſt beatus Audoenus in vita Eligii Epiſcopi Noxiomenſis, qui Regem monuerat ad eam dignitatem Turonenſi Præſuli tribuendam. Sic ille apud Ducheſnium *tom.* 1. *pag.* 630. *Eligio rogante cenſum omnem, qui Fiſco ſolvebatur, Dagobertus Rex illi Eccleſiæ ex toto condonavit, ſcriptoque confirmavit. Atque ab eo tempore omne jus fiſcalis cenſus Eccleſia ſibi vindicat, & uſque in præſens in eadem Urbe per Pontificis litteras Comes inſtituitur*. Si jus perpetuum Epiſcopo erat conſtituendi Comitis, probabile eſt, quod ex more accidit, præcipuum Civitatis regimen penes Epiſcopum reſediſſe. Multos Epiſcopos anno 629. eandem atque Comites juriſdictionem in populos exercuiſſe, fraudemque iis fecisſe docent Patres concilii pariſienſis quinti in canone 52. *Non ſolum rumore, ſed etiam venerabilium virorum querelis comperimus, quod in quibuſdam occidentalibus provinciis ſuadente avaritia Epiſcopi & Comites & cæteri Prælati pauperibus ſuis ſubjectis ſoleant edictum imponere, ut nullus illorum tempore meſſis modium frumenti, nec tempore vindemiæ modium vini, majore pretio, niſi quod ab eis conſtituitur, vendere præſumat .... Unde fit ut cum aliis modius frumenti duodecim denariis & modius vini viginti denariis venumdari poſſint, hujuſmodi ſeniores modium frumenti ad quatuor, & modium vini ad ſex ſibi extorqueant denarios*. His Patres Epiſcoporum eorundemque ſeniorum ſive politicorum Rectorum crimen produnt: At hoc non ſtudent, juriſdictionem iis adimere, ſed tantum legibus coercitam a Rege exoptant, *quatenus*, ſic pergunt, *pauperibus libertas tribuatur, redditis ſenioribus ſuis, quæ juſte reddenda ſunt, reliqua, quæ ſibi ſuperſunt, liceat aliis, prout pactio vendentis & ementis grata fuerit, abſque prohibitione ſeniorum ſuorum diſtrahere*. Ergo in dubio non eſt, quin Epiſcopi jamtum regiones tanquam Domini cum publica poteſtate procurarent.

Si fides veteribus nonnullis ſcriptoribus habenda ſit, Hubertus Leodienſis, Carolo Martello imperante, Principatum geſſit, quinimo Cunibertus Colonienſis, & Antiſtites Trevirenſes ac Moguntini longe ſupra Ottonum ſæculum imperii ſui originem repetunt. Scriptores proferuntur ab Henrico Turkio in *Faſtis Carolinis*, quem librum Leuckfeldius in *volumine rerum Germanicarum ad A.* 785. evulgavit. Vetus ſane auctor apud Leibnitium *Tom.* 1. *Rerum Brunſuic pag.* 280. quum dixiſſet, Ottonem primum cum Fratre ſuo Brunone Archiepiſcopo Colonienſi tam liberaliter egiſſe, ut Lotharingiæ eum Ducem crearet, ſic perrexit, *Nec vero nova fuit hujuſmodi gubernatio aut ſanctæ Dei Eccleſiæ rectoribus antea inuſitata, cujus exempla ſi quis requiſiverit, in promptu ſunt*. Dagoberti primi Regis diploma legitur apud Browerum *in lib.* 7. *Annalium Trevir. pag.* 421. in quo Trevirenſi Epiſcopo imperium creditur in eos omnes, qui Eccleſiæ ſuæ complexu continebantur, *Ut nullus ex publicis judicibus, vel aliquis ex judiciaria poteſtate in Monaſteria, Eccleſias, Caſtella, vicos, & agros, ſive reliquas poſſeſſiones prædictæ Eccleſiæ tam ultra, quam citra Rhenum vel Ligerim Fluvium in pagis vel territoriis, quæ infra poteſtatem Regni noſtri memorata poſſidet Eccleſia, vel quæ deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit Divina poteſtas augeri, ad cauſſas audiendas, vel freda, aut tributa, aut conjectos aliquos exigendos, aut manſiones, aut paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ diſtri-*

diſtringendos, aut injuſtas exactiones requirendas, vel telonem exigendum noſtris & futuris temporibus ingredi audeant. Ea quidem ratio erat mandandæ Epiſcopis juriſdictionis, ſi Regii Magiſtratus prohiberentur, quominus in regiones venirent, quæ ad Epiſcopos pertinebant. Quis enim juri dicundo præeſſet, niſi Antiſtes, vel is, quem Antiſtes conſtituiſſet? Enimvero in eandem ſententiam Reges diplomata concipiebant iis temporibus, cum in Antiſtites imperia transferri ſolere Grotius ipſe arbitratus eſt. Conradus III. An. 1147. apud Tolner *in hiſt. Palatin. & in cod. diplomat. num.* 54. diploma, in quo Abbati cuidam juriſdictionem demarcavit, his verbis concepit, *Ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Advocatus poteſtatem habeat exercendi judicii in atrio Eccleſiæ, ſed quidquid præter jus & æquum a famulis, qui tam Abbati, quam Congregationi obſequio quotidiano deſerviunt, commiſſum fuerit, ab Abbate, vel ab eo, cui ipſe mandaverit, corrigatur.*

Sed jam de Carolinis temporibus videamus. Pipino Rege Gallicana Synodus, quæ *Tom.* II. *Conc Gall. pag.* 6. evolvi poteſt, Epiſcopos omneſque regionum Dominos juſſit ſuis jus reddere, ne his adeundi Principis eſſet cauſſa. Per idem tempus Burchardus ſane Herbipolitanus Præſul in ducem Franconiæ cooptatus eſt. Sic Trithemius in *lib.* I. *Annalium Francorum ad A.* 752. prodidit, *Cum jam Rex eſſet Pipinus*, inquit, *Ducatum Sancto Burchardo Würzburgenſium* (Herbipolis enim Würzburg dicebatur) *& ejus ſucceſſoribus de conſenſu Caroli Filii ſui & omnium Procerum totius Regni Francorum donavit in proprium ſempiternum.* Optimi parentis veſtigiis Carolus Magnus inſtitit. Nam complures Eccleſias condidit, eaſque tum magnis fortunis & opibus, tum juriſdictionibus donavit. Narrat enim Theodorus a Niem *in lib. de privilegiis & juribus Imperii pag.* 804. eum Epiſcopis *temporalia bona, terras, caſtra, oppida, villas jura & juriſdictiones valde multas contuliſſe.* Fertur & ille Comitatum Campidunenſem Abbati dediſſe apud Bruſchium *in monaſt. German. Chronolog. pag.* 102. Huc pertinent carmina,

Herbipolis ſola judicat enſe & ſtola,
Campiduna ſola judicat enſe & ſtola.

Induxerat Imperator in animum, feroces Populos non tam armis, quam religione contineri, iiſque Sacerdotes tanquam Duces dabat, qui non modo imperio, ſed metu Numinis caverent, ne Reſpublica in diſcrimen conjiceretur. Hanc agendi rationem cum devictis Saxonibus inſtituit. Quum enim univerſam Saxoniam bello ſubegiſſet, ſtatim eam in provincias diviſit, quibus cum civili poteſtate Epiſcopos præfecit. Ea res efficitur ex pluribus chartis, præſertim ex iis, quibus Imperator condidit epiſcopatum Verdenſem An. 786. & Bremenſem An. 788., item ex diplomate, quod An. 803. editum eſt & ad Eccleſiam Oſnabrugenſem ſpectavit. Perantiquus ſcriptor *Chron. Quedlinb.* apud Leibnitium *Tom.* II. *Rerum Brunſuic. in introduct.* pag. 275. ad An. 781. *Eodem anno*, inquit, *Carolus de Roma reverſus in Franciam, terram Saxonum inter Epiſcopos diviſit & terminos Epiſcopis conſtituit.* Quid ſane Carolus in Saxonia cum Epiſcopis egerit, paucis complexus eſt Willelmus Malmesburgenſis *in lib.* 5. *de geſtis Reg. Angl.*, *Carolus Magnus pro contundenda Gentium illarum* (Germanicarum) *ferocia pene omnes terras Eccleſiis contulerat, conſilioſiſſime perpendens nolle ſacri ordinis homines tam facile, quam laicos fidelitatem Domini rejicere. Præterea ſi laici rebellarent, illos poſſe excommunicationis auctoritate & potentiæ ſeveritate compeſcere.* Conſulantur Cranzius *in Proœm Metrop. & lib.* I. *Sax. cap.* 22. Petrus de Marca *de C. S. & J. lib.* 8. *cap.* 19. Zieglerus de *Epiſcopo Milite* cap. 9. Natalis Alexand. *H. E. Sæc.* XI. *&* XII. *diſſ.* 4. & Alteſerra *lib.* 3. *cap.* 6. *de Ducibus.*

Haud porro exiguum rationis momentum adſtrui poteſt ex ea auctoritate, quæ *Advocatis* delata eſt Caroli Magni tempore. Hi olim ab Epiſcopis deligebantur, ut quaſi Patroni in publicis judiciis injurias ab Eccleſiis propulſarent, eorumque bona, fortunas & jura tuerentur. In eo munere diu fuerunt, donec illi multis ab Eccleſiis, exacto Comitum & Ducum magiſtratu, judices crearentur, & Populis, qui in clientela

tela erant Eccleſiarum, jus dicerent: Nec dubium ullum eſt, quin poſt Carolum Magnum Eccleſiaſticorum Præſulum nomine juriſdictionem omnem adminiſtrarint. Iſtud diſpiciendum eſt, an iidem in eodem fuerint loco, cum Carolus Magnus imperabat. Atque ſane hic Imperator in Charta pro Monaſterio Augienſi apud Nauclerum *Generation.* 27. juſſit, Advocatum tanquam judicem ex mulctis judiciariis partem unam ſibi ſeponere, & duas partes reddi Abbati quaſi Domino: *Inſuper ſtatuimus*, inquit, *atque jubemus, ut quidquid placitando ibidem adquirat Advocatus, tertia parte ſibi retenta, duas Abbati reddat*. In rem noſtram pertinet Capitulare Anni DCCCII. quod ex antiquo Codice Langobardico Bibliothecæ Thuanæ editum eſt & in Baluzii tomo I. legitur. In eo Carolus Magnus *Miſſos Dominicos* voluit cavere, *ut Epiſcopi, Abbates atque Abbatiſſæ Advocatos atque Vicedominos Centenarioſque legem ſcientes & juſtitiam diligentes pacificoſque & manſuetos habeant . . . . ad omnes juſtitiam perficiendi ſemper paratos, legem pleniter obſervantes abſque fraude maligna, JUSTUM SEMPER JUDICIUM IN OMNIBUS EXERCENTES . . . & ſi ſe emendare noluerint, a Præpoſito removeantur, & qui digni ſunt, in loca eorum ſubrogentur*. Igitur Epiſcopis cæteriſque eccleſiaſticis Præſulibus Judices adjecti erant, qui de civilibus negotiis decernebant & Advocati, Vicedomini & Centenarii vocabantur: Illorum autem nutu eligebantur, & niſi munus ſuum recte obirent, ſtatim ſummoveri poterant. Ex quo plane quiſque intelligit jam Eccleſias donatas fuiſſe profanis juriſdictionibus, quibus exercendis probos præfici viros oportebat.

Accedamus ad Ludovicum Pium, qui ad amplificandam Eccleſiarum dignitatem majorum ſuorum more delatus eſt. Nam eo animo in Epiſcopos fuit, ut eorum rebus maxime ſtuderet, eoſdemque Regni *Principes* crearet. De hoc Imperatore Hermoldus *in Chron. Slavorum lib.* I. *cap.* 4 ſcriptum reliquit, *Paternis per omnia votis concordans eadem liberalitate, qua Pater ejus erga cultum Domus Dei & omnem clerum uſus eſt, ampliſſimas Regni divitias ad decorem & gloriam Eccleſiæ intorquens, in tantum ut Epiſcopos, qui propter animarum regimen Principes ſunt Cæli, ipſe eoſdem nihilominus Principes efficeret Regni*. Hoc tempore Præſules Eccleſiarum ſæpe in *Miſſos* cooptabantur ea cum poteſtate, quæ Proconſularis dici poterat. Primus Carolus Magnus illos in eam amplitudinem evexerat, de quo Scriptor *Chronici Moiſſiacenſis* An. 802., *Recordatus piiſſimus Carolus Imperator in die ſua de pauperioribus, qui in univerſo Imperio ejus erant, & juſtitias pleniter habere non poterant, noluit de intra Palatio ſuo pauperibus Vaſſos ſuos tranſmittere ad juſtitias faciendas propter munera, ſed elegit in Regno ſuo Archiepiſcopos & reliquos Epiſcopos & Abbates cum Ducibus & Comitibus, qui jam opus non habebant ſuper innocentes munera accipere, & ipſos miſit per univerſum Regnum, ut Eccleſiis viduis & orphanis & pauperibus & cuncto Populo juſtitiam facerent*. Idem conſilium Ludovicus ſequutus eſt. Nam integris provinciis cum imperio Antiſtites præfecit, iiſque, ſi quod bellum ingrueret, litteras mittere ſolebat, ut non modo omnes eccleſiaſticos Præſules, ſed etiam *Dominicos Vaſſos* de habendo delectu & militaribus inſtruendis copiis monerent. Iſtud aperte declarat epiſtola Archiepiſcopi Trevirenſis ad Fratarium Tullenſem Epiſcopum apud Ducheſnium *tom.* 2. *pag.* 721, ex quo deſcripta hæc damus, *Notum ſit Tibi, quia terribile imperium ad nos pervenit Domini Imperatoris, ut omnibus notum faceremus, qui in noſtra Legatione manere videntur, quatenus univerſi ſe præparent, qualiter proficiſci valeant ad bellum in Italia, quoniam inſidiante Satana Bernardus Rex* (Pipini Filius) *diſponit rebellare ei. Propterea Tibi mandamus atque præcipimus de verbo Domini Imperatoris, ut ſtudeas cum ſumma feſtinatione omnibus Abbatibus, Abbatiſſis, Comitibus, Vaſſis Dominicis, vel cuncto Populo Parochiæ Tuæ, quibus convenit militiam Regiæ poteſtati exhibere, quatenus omnes præparati ſint ut proficiſcantur in partes Italiæ*. Animus advertendus eſt ad verba iſta, *Qui in noſtra Legatione manere videntur*. Docemur enim ex iis Archiepiſcopum Trevirenſem fuiſſe *legatum* ſive Proconſulem, qui ampliſſima cum poteſtate provinciam regebat. Annales Francorum Tiliani An. 799 inquiunt, *Legatos regios*, *qui*

qui tum ad juſtitias faciendas apud eos commorabantur, *comprehendunt*. Eginhardius an. 814., *Ad juſtitias faciendas & oppreſſiones Popularium relevandas Legatos in omnes Regni ſui fines miſit*. Legati enim iidem erant atque Miſſi, quibus vel in ipſos Comites & Duces imperium deferebatur. Eo pertinet Ermoldi Nigelli carmen pro Ludovico Imperatore apud Muratorium *tom.* 2. *part.* 2. *col.* 44.

> *Nam mihi mente ſedet*, *dederim quod nuper in orbem*
> *Legatos*, *Populos qui pietate regunt*.
> *Nunc*, *nunc*, *o Miſſi*, *certis inſiſtite rebus*,
> *Atque per imperium currite rite mecum*.

Adeatur Cangius in vocibus *Miſſus* & *Legatus*. Quod ſi Ludovicus eccleſiaſticis Præſulibus Proconſulare Imperium commiſit, profecto dubitare non potuit quin illos inter Comites, Duces, alioſque allegeret, qui Urbes & Regiones in clientelam acceperant. Quocirca Proceres, Ludovico Imperatore, inviti patiebantur, Eccleſias, quæ jam Principatibus eminebant, non viris nobilitate generis claris, ſed quibuſvis e Populo quiritium obtingere. Sic enim illi apud Theganum *de geſtis Ludovici Pii* pag. 305. *edit. Phitœan.*, *Jamdudum illa peſſima conſuetudo erat*, *ut ex viliſſimis ſervis ſummi Pontifices fierent*, *& hoc non prohibuit Ludovicus Pius*, *quod tamen maximum eſt malum in Populo Chriſtiano*. Pergunt obſtrepere, *Poſtquam tales* (viri obſcuro loco nati) *culmen accipiunt*, *nunquam ſunt*, *ſicut antea*, *tam manſueti & ſic domeſtici*, *ut non ſtatim incipiant eſſe iracundi*, *maledoqui*, *obſtinati*, *calumnioſi & minas omnibus ſubjectis promittentes & per hujuſmodi negotia cupiunt ab hominibus timeri & laudari*. Istæ Primorum cum Principe expoſtulationes erant, quæ ſatis oſtendunt, tum Epiſcopos non apoſtolica ſolum dignitate, ſed publicis opibus excelluiſſe.

Inter ea, quæ Carolus Calvus pertulit, *Capitularia* unum legitur, in quo Imperator juſſit, tum Epiſcopos & Abbates, tum Duces & Comites clientibus, qui *Vaſſalli* dicebantur, jus reddere eo animi ſtudio, quo Majores ſui reddiderant: *Volumus*, inquit, *atque jubemus*, *ut Vaſſalli Epiſcoporum*, *Abbatum & Abbatiſſarum atque Comitum & Vaſſorum noſtrorum talem legem & juſtitiam apud ſeniores habeant*, *ſicut eorum Anteceſſores apud illorum ſeniores tempore Anteceſſorum habuerunt*. Epiſcopi nimirum & Abbates loco Comitum & Vaſſorum regiorum exiſtimantur, qui Regiones & Urbes in ditionem ſuam ſuſceperant, *Vaſſalloſque* habebant ſuos. Illos enim ſancivit Carolus de negotiis *Vaſſallorum* cognoſcere & recte decernere, nec ſinere, eorum querelas ad ipſum deferri, niſi cum a ſententiis ſuis provocari oporteret. Longum eſſet dicere de juriſdictionibus Eccleſiarum, reliquis imperantibus Principibus, qui a Carolo Magno genus ducebant. Iſtud in dubio non eſt, quin omnes, qui ex ea gente imperium in Germania & Galliis geſſerunt, pluribus beneficiis Eccleſias ſibi obſtringere ſtuduerint. Decimo deinde ſæculo, cum Ottones ad Rempublicam acceſſerunt, Eccleſiis omnia nec minus proſpera fuerunt. Inter eos Otto primus *omnibus Cathedralibus Eccleſiis in Italia*, *Gallia*, *& Germania*, *Burgundia & Lotharingia conſtitutis multas Civitates*, *Caſtra*, *Oppida*, *Villas & multa alia dominia temporalia*, *jura & juriſdictiones conceſſit*. Sic prodit Scriptor *de inveſtitura Epiſcopali Regum Teutonicorum* apud Schardium *de juriſdictione temporali*. Idem Imperator provinciam Lotharingiæ Brunoni Fratri ſuo Archiepiſcopo Colonienſi gubernandam committit, ipſumque in ea perpetuum Ducem renuntiavit. Scriptor Chronici Belgici apud Leibnitium in *volumine primo Rerum Brunſuic.* pag. 250., *Bruno*, inquit, *Ducatum Lotharingiæ acquiſivit*, *& Colonienſi Eccleſiæ applicavit*. Par eſt autem intelligi per idem tempus multis aliis Epiſcopis civile imperium eſſe delatum eo jure, quo Comites & Duces creabantur. Ille enim Imperator, qui Brunoni regiam juriſdictionem commiſerat, pius & ſapiens erat, is vero, qui acceperat, eximia ſanctitate & morum diſciplina eminebat. Hæc eo pertinent, ut nec cæteri ab Ottone Principes veriti eſſent, quin Præſules politicis principatibus donarent, nec Præſules dubitaſſent, quin eum honorem capeſſerent. Exempla in his rebus plurimum valent. Quiſque enim ſibi expetit, quod aliis ſui ſimilibus datum eſt.

Non

Non ſuſpicamur equidem, ſed reipſa dicimus quod accidit. Nanque Epiſcopus Bremenſis præoptavit regionis, quam in ſacris gubernabat, civilem procurationem, ſed exemplo Antiſtitis Wurtzburgici, qui *in Epiſcopatu ſuo neminem dicebatur habere conſortem, quia ipſe tenebat omnes Comitatus ſuæ Parochiæ, & Ducatum quoque Provinciæ gubernabat*. Hæc exponunt Adamus Bremenſis *in lib.* IV. *cap.* V. & Albertus Stadenſis ad *An.* 1062. apud Boeclerum *in volumine Rerum Germanicarum*.

XIX. Sed quo tandem ire properabimus? Finis enim ſit huic diſputationi noſtræ, ex qua ſatis effecimus carolinis temporibus Principes non modo ampliſſimis prædiis Eccleſias locupletaſſe, ſed earum Præſules in numerum Comitum, Ducum & Regiorum Vaſſorum allectos profanis imperiis & juriſdictionibus præfeciſſe. Igitur ſi Reges & Imperatores Epiſcopos elegerunt, aut eos eligi injuſſu ſuo paſſi non fuerunt, iſtud cum ex Chriſtiani Principatus lege arripere potuerint, ſibi quoque tribuerunt ex ea ratione, cui maximum ineſſet robur ab eximia bonorum copia, quam Eccleſiis fere omnibus invexerant. Par enim erat, Principes, qui tot beneſacta in Eccleſiis collocaſſent, hoc conſequutos fuiſſe, ut Antiſtites crearentur ipſis auctoribus, quibus hæc veluti gratia rependeretur. Quocirca ſapienter Gallicanæ Synodi ſanciverunt, Epiſcopos non eſſe renuntiandos, niſi Reges conſulerentur: Sic enim egiſſent ad grati animi ſignificationem oportebat. At enim proferuntur a Grotio Onuphrius Panvinus, & Nicolaus Cuſanus, qui in ſententiam ſuam loqui videntur. Ac Panvinus quidem *vir ad Romanas & Eccleſiaſticas antiquitates e tenebris eruendas natus*, quo elogio eum affecit eruditiſſimus Thuanus, apertis verbis ſcripſit, Principes tum animum appuliſſe ad transferendas profanas ditiones in Eccleſias, poſtquam Epiſcoporum creationes peculii ſui fecerant. Cuſanus autem *in lib.* III. *de Concord. Cathol. cap.* 27. de Ottone II. dixit, eum quum tot regnis auctus eſſet, prudenter exiſtimaſſe, Reipublicæ optime conſultum eſſe, ſi in Epiſcoporum clientelam Provinciæ traderentur, nec metuiſſe, ne conſilium ſuum ſummi imperii tranquillitati eſſet offendiculo, quod ipſe ad Sacerdotia eccleſiaſticos Præſules admovebat. Hæc illi qui ſane nobis non officiunt. Agebant nimirum de cauſſis, ex quibus Principatus Eccleſiis obtigerant: Allatum vero præſertim eſt, quod Epiſcopi a Principibus cooptabantur. Atque ſatis ſcite. Poſtquam enim Principes in negotio eligendorum Paſtorum jus quoddam habuiſſent, idque propter magnas opes, quas Majores ſui Eccleſiis intulerant, tum ad amplificandas has divitias ob hoc ipſum impelli potuerunt, quod ipſi in creandis Epiſcopis auctores fierent. Doctiſſimi autem duoviri illi ex inſtituto perpendere aggreſſi non erant, an jus Regum in eligendis Paſtoribus vires accepiſſet ex fortunis, quibus Eccleſiæ ditatæ fuerunt. In ea re ſi verſarentur, facile comperiſſent, Eccleſias locupletari cœptas eſſe a primis Galliarum Chriſtianis Regibus; ex quo prorſus noſſent opes Eccleſiis additas valuiſſe plurimum ad eam auctoritatem, quam Principes in eligendis Epiſcopis adhibent, vel conſtituendam vel confirmandam.

XX. Perſtringendus porro Grotius eſt, qui quum veterem fuiſſe morem *inveſtiendorum* Epiſcoporum in Galliis videret, audacter docuit eam rem alioſum referri, atque ad ſignificandas Feudorum vel prædiorum conceſſiones. Cenſuit enim ante Ottones verba *veſtire* vel *inveſtire Epiſcopos* idem ipſum ſonuiſſe, quod Epiſcopos renunciare, iiſque Eccleſiarum procurationem & ſacram juriſdictionem credere: eaque de cauſſa annulum quidem hujuſmodi fuiſſe uſui, ut Antiſtites Eccleſiis ſacramento quodam obſtringerentur, baculum vero, ut palam fieret, iiſdem ſacram poteſtatem a Regibus eſſe mandatam. *Quamquam*, inquit Arminianus, *non vindicarunt ſibi Chriſtianiſſimi Reges* Χειρῶν ἐπίθεσιν *manuum impoſitionem, quæ presbyteros facit, tamen ſui juris exiſtimarunt hæc duo, hunc hominem huic Eccleſiæ obſtringere, quod per annulum indicatur, & juriſdictionem eccleſiaſticam hoc eſt judicium de ſacris cum quodam publico imperio conferre, quod baculi nomine indicatur*. Hæc ipſa ſibi arripuiſſe deinde affirmavit Arminianus aliarum Nationum Reges, quorum non exiguæ partes fuerunt in eligendis Epiſcopis, item Germanicos Imperatores, qui cum Gregorio VII. aliiſque

Romanis Pontificibus diuturna commiſere certamina de *inveſtituris* Eccleſiarum. Sic enim ille, qui omnia arbitratu finxit contra atque antiquitas ſenſit. Vis ipſa vocis *inveſtire*, ſi omnia conſulantur mediæ latinitatis lexica, id ipſum dumtaxat valuit, quod tradere in manum alicujus quælibet bona ob officium, quod injunctum ſit, iſtudque ſymbolis quibuſdam exprimere, quæ lex Salica præceperat. Cum vero hoc verbum ad declarandas Eccleſiarum conceſſiones accommodatum eſt, ſignificatum non amiſit ſuum. Id enim erat agros fortunaſque electis Paſtoribus tradere, quas Principes Eccleſiis donaverant, aut præſidio ſuo tegebant. Eccleſiæ enim vel ab iis temporibus, cum Clodoveus I. imperabat, in plurima bonorum ubertate verſabantur. Hæc autem bona aut ab initio *feuda* erant, aut in eodem loco, atque feuda habebantur: omnia nimirum in Principum hærebant fide & cuſtodia, quod nos docet Carolus Calvus *Capitul.* tit. 8., *In libro Capitulorum Avi & Patris noſtri conjuncte ponitur, ut res & mancipia Eccleſiarum eo modo contineantur, ſicut res ad Fiſcum Dominicum pertinentes contineri ſolent*. Exemplum Regiæ tutelæ, in quam Eccleſiæ ſeſe recipiebant, apud Marculſum evolvitur in formula decima quarta, in qua Princeps ſic loquitur, *Nos Apoſtolicum & Venerabilem illum Epiſcopum, aut Abbatem Eccleſiæ vel Monaſterii in honore illius Sancti conſtructi cum omnibus rebus vel hominibus, aut gaſindis, vel amicis, ſeu undecunque ipſe legitimo reddibit mittio, juxta ejus petitionem, propter malorum hominum illicitas infeſtationes ſub ſermonem Tuitionis noſtræ viſi fuimus recepiſſe, ut ſub mundeburde vel defenſione illuſtris viri illius Majoris Domus noſtri, cum omnibus rebus præfatæ Eccleſiæ, aut Monaſterii quietus debeat reſidere, & ſub ipſo viro illo illuſtris vir ille cauſſas ipſius Pontificis aut Abbatis vel Eccleſiæ, aut Monaſterii, vel qui per eum ſperare videntur, vel undecumque legitimo reddibit mittio, tantum in palatio noſtro ſequi debeat*. Gallicani Præſules in Concilio Meldenſi Anno 845. ſatis prodidere, vetus fuiſſe illud Gallicanorum Principum officium, quod in defendendis Eccleſiarum fortunis poſitum erat, ejuſque rei in memoriam Carolum Calvum ita revocant in canone 11., *Ante oculos reducentes tunicam Chriſti, qui vos elegit & exaltavit, quam nec Milites auſi fuerunt ſcindere, tempore veſtro quantocius reconſuite & reſarcite: & nec violenta ablatione, nec illicitorum præceptorum confirmatione* RES AB ECCLESIIS VOBIS AD TUENDUM ET DEFENSANDUM AC PROPAGANDUM COMMISSIS, *auferre tentate, ſed ut ſanctæ memoriæ Avus & Pater veſter* EAS GUBERNANDAS VOBIS *fautore Deo dimiſerunt, redintegrate, præcepta regalia earundem Eccleſiarum conſervate & confirmate*. Ipſe Carolus *Capitul. tit.* 26. 27. profitetur Eccleſiarum poſſeſſiones in fide fuiſſe Regum, qui ante ipſum imperio præfuerant, *Ut Eccleſiæ talem Mundeburdem & honorem habeant, ſicut tempore Anteceſſorum noſtrorum habuerunt*. Hæc eſt origo illius veteris inſtituti, ex quo ſacri Paſtores *inveſtiebantur*. Nanque oportebat ut qui eccleſiaſticorum prædiorum quaſi feudorum eſſent præcipui Domini, atque eorundem cuſtodiam agerent, ea novis Epiſcopis traderent, ſive novos Epiſcopos, ad quos ea pertinere deberent, *inveſtirent*. Quum ita Principes ſeſe gererent, rem tamen auguſtioribus verbis exprimebant. Dicebantur enim *Epiſcopos inſtituere* & *pontificalem iis dignitatem committere*, quæ in Marculſo leguntur. Sed nihiloſecius hujuſmodi dicendi formulæ idem ſignificatu complectuntur ſuo, quod Principum poteſtate continebatur. Id autem erat, conſenſu electos Epiſcopos probare, atque iis bona omnia Eccleſiarum, quibus ii eſſent præficiendi, adminiſtranda committere. Iſtud declaravit Hincmarus in epiſtola ad Ludovicum tertium Francorum Regem, quæ 12. eſt in *editione* Sirmondi, *Sicut ſacræ leges & regulæ præcipiunt, Archiepiſcopis & Epiſcopis conſimitanearum diœceſeon electionem concedere dignemini, ut undecunque ſecundum formam regularem electionis talem eligant Epiſcopum, qui & Sanctæ Eccleſiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis devotus ac fidelis cooperator exiſtat: & conſentientibus clero & plebe eum vobis adducant, ut ſecundum miniſterium veſtrum res & facultates Eccleſiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit, ſuæ diſpoſitioni committatis, & cum conſenſu & litteris veſtris eum ad Metropolitanum Epiſcopum*

ac Coepiſcopos ipſius diœceſeos, qui eum ordinare debent, tranſmittatis. Vides univerſum negotium eo modo fuiſſe peractum, ut is qui renuntiatus erat Epiſcopus conſenſu cleri & plebis, deinde Regem adiret, a quo bonorum ad Eccleſiæ ditionem pertinentium conceſſionem ſive *inveſtituram* habebat, antequam Epiſcopatus ordini initiaretur. Vivebat quidem Hincmarus ſæculo nono, ſed qui plane noverat quam vim haberet vetus inſtitutum, ex quo Gallicani primæ Gentis Reges Epiſcopos inveſtiebant. Nec nos movet, quod ea res per baculum & annulum, nec per ſceptrum & gladium conficeretur. Hæc nanque poſtrema ſymbola ab initio delecta non fuerant, quia Antiſtites *inveſtiri* inceperunt cum ad eos politicæ dignitates & juriſdictiones nondum acceſſerant. Ceterum hoc integrum exiſtimabatur, qualicunque ſymbolo Reges Epiſcopis darent procurationem profanorum bonorum. Audiamus Waltramum Epiſcopum Naumburgenſem, qui in *Tractatu de inveſtituris* hæc docet, *Nihil refert ſive verbo ſive præcepto ſive baculo, ſive alia re, quam in manu tenuerit, inveſtiat & inthronizet Rex & Imperator Epiſcopum: quia die conſecrationis veniens annulum & baculum ponit ſuper altare & in curam paſtoralem ſingula accipit a ſtola & auctoritate Sancti Petri. Sed congruum magis eſt, quod per baculum, qui eſt ſpiritualis & temporalis, præcedens inveſtitura per Regem in fundis & rebus Eccleſiæ contra tyrannos & raptores quieta & pacifica reddat omnia*. Videri poſſunt Petrus de Marca in lib. VIII. *de Concordia S. & Imp cap.* 19., & Natalis Alexander in diſſ. VIII. de *jure regaliæ*, quæ legitur *in Eccleſ. hiſt. ſæc.* XIII.

XXI. Atque hæc omnia magis perſpicua ſunt, ſi paucis complectamur hiſtoriam diſſenſionum, quæ Romanis Pontificibus cum Germanicis Imperatoribus interceſſere. Primus omnium Gregorius VII. ſuſpicatus eſt, Principes, qui ex recepto more Præſules *inveſtiebant*, illud eſſe auſos ut crederent *ἐπισκοπὴν* ipſam, ſacrique muneris partes ſeſe iis demandare. Ex quo is Pontifex omnibus Rerumpublicarum Rectoribus jure *inveſtiendorum* Præſulum interdixit in Romanis Synodis & in Concilio Lingonenſi, quod per Hugonem Dienſem Epiſcopum & Legatum ſuum coegit. Ita Gregorius, cujus decreta renovarunt Victor III. An. MLXXXVII., & Urbanus II. in Synodo Claromontana An. MXCV. At Principes, quum hoc crimen ſibi non conſciſcerent, quod iis objiciebatur, eam ob rem a veteribus inſtitutis non abierunt. Complures autem pii & docti viri & in his plerique ſapientes Præſules Principibus ſtuduerunt. Commemorandus potiſſimum eſt Ivo Carnotenſis, qui dixit, Principibus, qui ad *inveſtiendos* Epiſcopos aggrediebantur, eam nunquam fuiſſe ſententiam, quæ ad fidem offenderet, ſed hoc eos dumtaxat egiſſe, ut ipſi conſulerentur, cum Antiſtites creabantur, iiſque, qui lecti erant, prædia traderentur, quæ ex liberalitate Majorum ad Eccleſias pervenerant. Sic ille in epiſtola ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem Pontificis Legatum, *Hujuſmodi conceſſio* (inveſtitura) *ſive fiat manu, ſive lingua, ſive virga quid refert? Quum Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantum aut votis petentium annuere, aut villas eccleſiaſticas & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere*. Controverſia de integro eſt orta inter Paſchalem II. Papam, & Henricum quintum Imperatorem. Ventum eſt ad colloquium coram Ludovico Francorum Rege. In eo Trevirenſis Archiepiſcopus pluribus perfecit, eum qui cooptatus ſit Epiſcopus, ad Eccleſiæ ſuæ regimen non eſſe admovendum, niſi rerum, quæ ad Eccleſiam pertinebant, adminiſtrationem a Principibus ſuſciperet: idque ipſum eſſe, quod Reges dumtaxat reſpexerint, cum ad *inveſtiendos* Epiſcopos accedebant. Ille enim apud Sugerium in vita Ludovici Groſſi inquit, *Conſecratum Epiſcopum ad Dominum Imperatorem pro regalibus ut annulo & virga inveſtiatur, redire, fidelitatem & hominium facere. Nec mirum. Etenim Civitates & Caſtella, Marchias, telonea & quæque Imperatoriæ dignitatis nullo modo aliter debet occupare*. Dimiſſum tamen eſt colloquium, quin ad concordiam aliquid proficeretur. Poſtea Henricus quintus Italiam contendit, & illato bello Pontificem impulit, ut ratam haberet qualemcumque auctoritatem a majoribus ſuis ſibi delatam in

inveſtiendis iis, qui lecti eſſent Antiſtites. Pontifex enim diploma illud ſancivit, quod evolvimus apud Florentium Vigornienſem ad annum MCXI., & apud Willelmum Malmesburienſem in libro v. de geſtis Regum Anglorum. In hanc vero ſententiam loquitur, *Illam igitur dignitatis prærogativam, quam prædeceſſores noſtri veſtris prædeceſſoribus Catholicis Imperatoribus conceſſerunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præſentis privilegii pagina confirmamus, ut Regni tui Epiſcopis libere præter violentiam & ſimoniam electis inveſtituram virgæ & annuli conferas. Poſt inveſtitionem vero canonice conſecrationem accipiant ab Epiſcopo, ad quem pertinuerit:* Explicat deinde quo jure niteretur hujuſmodi imperatoria poteſtas, *Prædeceſſores*, inquit, *veſtri Eccleſias Regni ſui tantis regalium ſuorum beneficiis ampliarunt, ut Regnum ipſum Epiſcoporum maxime & Abbatum præſidiis oporteat communiri*. Sed paulo poſt cum Imperator Roma deceſſiſſet, Lateranenſis Synodus habita eſt, quæ Paſcalis Papæ diploma *pravilegium* dixit, turpique hæreſeos nota eos affecit, qui *inveſtituras* propugnabant. Actionem hujus Synodi *contra Hæreſin de inveſtitura* evulgavit ex pervetuſto codice Sancti Albini Andegavenſis ad *librum* VIII. *Petri de Marca de Concord. Sac. & Imp. cap.* XX. eruditiſſimus Stephanus Baluzius. Per idem tamen tempus inter multos Principum Patronos extitit Goffridus Abbas Vindocinenſis, qui de hujuſmodi argumento ad Callixtum Papam librum ſcripſit, quem edidit cl. Sirmondus. Is contendit, nihil hæſiſſe criminis in eo, quod Principes Epiſcopos *inveſtirent*, ſiquidem hoc non erat iis quid Divinum & Sacrum deferre, ſed eiſdem prædia & cætera rerum profanarum genera tradere. *Alia*, inquit, *eſt inveſtitura, quæ Epiſcopum perficit, alia quæ Epiſcopum paſcit . . . Non enim poſſeſſiones haberet Eccleſia, niſi ſibi a Regibus donarentur, & ab ipſis, non quidem divinis Sacramentis, ſed poſſeſſionibus terrenis inveſtirentur . . . Quod quolibet ſigno factum extiterit, Regi vel Pontifici ſeu Catholicæ Fidei non nocebit*. Hæc cum Callixtus Papa teneret, ad id animum adjunxit, ut diuturno certamini modum imponeret: Nanque paſſus eſt, Henricum Imperatorem operam dare *inveſtiendis* Epiſcopis, quamquam non per virgam & annulum, ſed per ſceptrum conceſſæ politicæ juriſdictionis ſymbolum, idque anno MCXXII. decreto perculit, quod deſcripſit Leibnitius in *Codice Juris Gentium diplomatico* pag. 2. Hoc ipſum nos iis, qui lucubrationes noſtras evolvunt, conſulentes afferemus,

,, IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Romano-
,, rum Imperator Auguſtus pro amore Dei & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Do-
,, mini Papæ Callixti & remedio Animæ meæ dimitto Deo & Sanctis Dei Apoſto-
,, lis Petro & Paulo, Sanctæque Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annu-
,, lum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis quæ in Regno vel Imperio meo
,, ſunt, fieri electionem & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & Regalia beati Pe-
,, tri, quæ a principio hujus diſcordiæ uſque ad hodiernum diem ſive tempore Patris
,, mei, ſive etiam meo ablatæ ſunt, & habeo, eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ re-
,, ſtituo, quæ autem non habeo, ut reſtituantur, fideliter adjuvabo. Poſſeſſiones etiam
,, omnium aliarum Eccleſiarum & Principum & aliorum tum Clericorum, quam Lai-
,, corum, conſilio Principum & juſtitia, quæ habeo, reddam, quæ non habeo, ut
,, reddantur, fideliter adjuvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Callixto, San-
,, ctæque Romanæ Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt. Et
,, in quibus Sancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo, & in
,, quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi juſtitiam faciam.

,, Ego Callixtus ſervus ſervorum Dei dilecto Filio Henrico Dei gratia Roma-
,, norum Imperatori Auguſto concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici
,, Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præſentia Tua fieri abſque ſimonia & aliqua
,, violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium
,, conſilio vel judicio ſaniori parti conſenſum vel auxilium præbeas: Electus autem
,, Regalia per ſceptrum a Te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccle-

„ ſiam pertinere noſcuntur , & quæ ex his jure Tibi debet , faciat . Ex aliis vero
„ partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes Regalia per ſceptrum a te recipiat. De
„ quibus vero mihi querimoniam feceris, ſecundum officii mei debitum auxilium meum
„ præſtabo . Do Tibi veram pacem & omnibus , qui in parte Tua ſunt vel fuerunt,
„ tempore hujus diſcordiæ . Anno millesimo centeſimo vigeſimo ſecundo , nono Ka-
„ lendas Octobris.

Expoſuimus igitur quæſtionem, quæ Sacerdotium & Imperium diu commiſit. Perſpicuum eſt enim, Principes, cum Epiſcopos more majorum *inveſtiebant* , iſtud tantum ſtuduiſſe , ut in eorum manum agros cæteraſque Eccleſiarum fortunas dederent , & hoc qualibuſcumque ſymbolis ſignificarent. Evolvendus eſt Ludovicus Maimburgius in hiſtoria , quam ad inveſtigandas cauſſas conſcripſit, cur Imperium collapſum eſſet *lib.* 11. *ad An.* 1080. *pag.* 273.

XXII. Hactenus ea perſequuti ſumus, quæ Grotius diſputaverat ad illam conſtituendam auctoritatem , quam Principibus tribuit in cooptandis ſacris Paſtoribus. Nunc is aggreditur omnes rationes refellere, quas Gomariſtæ obiiciebant, ſciteque conficit, eas ita ſe habere, ut legitimo Principum juri non officiant : Qua in diſputatione non deſunt , quæ paucis perſtringi neceſſe eſt . Afferebant Gomariſtæ canonem numero trigeſimum inter eos , qui vulgo Apoſtolis adſcribuntur. Sic vero conceptus eſt , *Ει τις ἐπισκοπος κοσμικοις ἀρχουσι χρησαμενος , δι᾽ ἀυτων ἐγκρατὴς ἐκκλησιας γενηται, καθαιρείσθω , και ἀφοριζέσθω , και οἱ κοινωνουντες ἀυτω παντες, Si quis Epiſcopus uſus Principibus politicis per eos Eccleſiam obtinuerit , deponatur & ſegregetur atque omnes , qui cum eo communicant* . Ex his verbis illi efficiebant , veterem Eccleſiam eo fuiſſe animo , ut ſummis Principibus qualibet opera interdiceret , quam impendere vellent in eligendis Paſtoribus. Quid Grotius ? Canonem ipſe apoſtolicum de iis Epiſcopis intellexit, qui non Imperatorum, ſed Magiſtratuum gratia in Eccleſias invadebant , Attamen in canone ſermo eſt de *κοσμικοις ἀρχουσι*, quibus vocibus non modo Magiſtratus, ſed omnes qui Rempublicam ampliſſima poteſtate regunt , vel ſummi Imperatores ſignificantur . Heſychius Ἄρχων , *ἡγεμων* , *Imperator* , *Princeps* , *Dux* , *Rector* . Gloſſæ veteres apud Suicerum , Ἄρχων , *Præpoſitus* , *Moderator* , *Rector* , *Magiſtratus* , *Præſes* . Theodoretus in *Cap.* XIII. *ad Romanos pag.* 100. , Ἀυτὸς, inquit , *τῆς κοινῆς προμηθούμενος ἐυταξίας , τοὺς μὲν ἄρχειν , καὶ ἄρχεσθαι ὠκονόμησεν , οἱόν τινα χαλινον τοῖς ἀδικοῦσι τῶν ἀρχόντων τὸ δέος περιτιθεις , Ipſe Deus communis ordinis curam gerens , alios quidem imperare, alios vero parere inſtituit , veluti quoddam frenum iis , qui injuſte agunt* , Archontum *Imperantium timorem injiciens* . Bene Photius in *Nomocanonis titulo primo cap.* XXII. quum ageret de iis , qui *διὰ προστασίας ἀρχοντων ope Principum* Eccleſias arripiebant, nomine Ἀρχοντων & Magiſtratus, & ſummos Rerumpublicarum moderatores complexus eſt. Ergo canon apoſtolicus ad eos Præſules reſpexit, qui Eccleſiis præfecti erant ſive ab Imperatoribus , ſive a Magiſtratibus , quique nec apoſtolicum munus ab aliis Epiſcopis acceperant, aut ſi acceperant, ab iis certe , a quibus non licebat . Sancivit autem ut hujuſmodi Præſules confeſtim abdicarentur & Eccleſiaſticæ ſocietatis officiis disjungerentur : quæ ſanctio quidem ad illos Antiſtites non pertinuit , qui ſummarum Poteſtatum aſſenſione vel nutu electi , Epiſcopis & Metropolitano Provinciæ rem gerentibus, ad Sacerdotium acceſſerunt.

Præterea Gomariſtæ in rem ſuam promebant Synodum œcumenicam ſeptimam quæ ſecunda Nicæna appellatur. In ea Græci Patres canonem quartum primæ Nicænæ Synodi renovarunt, qui Præſules creari a ſolis Provinciarum Epiſcopis & Metropolitanis jubere viſus eſt. Illi vero dicunt, *Δει γαρ τον μελλοντα προβιβαζεσθαι εις ἐπισκοπην , ὑπο ἐπισκοπων ψηφιζεσθαι , καθως παρα των ἁγιων πατερων των ἐν Νικαιᾳ ὥρισται , oportet enim eum , qui provehendus eſt ad Epiſcopatum , ab Epiſcopis eligi , ut definitum eſt in canone Nicænorum Patrum* . Eam ob rem iis, qui Ignatium contra canones Patriarcham eſſe renuntiatum obiiciebant , reſponſum eſt, eum fuiſſe electum *ψηφῳ παντων*

των

'των ὁμου των ἀρχιερεων και της ἐκκλησιας συναινεσει, *decreto omnium ſimul Epiſcoporum & Eccleſiæ conſenſu*, quæ memoriæ mandavit Nicetas Paphlago. Hæc quum Gomariſtæ dixiſſent, Grotius queſtus eſt eos impudenter agere, quod canonem ſeptimæ Synodi proferrent, quæ nulla in Eccleſiis Calvinianis valet auctoritate. Affirmavit enim in ea cultum imaginum fuiſſe ſancitum maximo cum ſuperſtitionis probro. Homo nimirum confidens & audax ex more deſpicatui eſſe voluit quidquid ſanctius & auguſtius eſt inter Catholicos. Hi enim œcumenicam habent Nicænam ſecundam Synodum, in qua de colendis rite imaginibus id ſcitum eſt, quod orthodoxæ Eccleſiæ & rationi conſentaneum eſſet, quæ res alias. De cooptandis autem Paſtoribus ea Synodus nihil contra rogavit, atque Nicæna prima edixerat. Utraque enim decrevit, ut ab Epiſcopis Provinciarum in locum demortuorum Collegarum cæteri ſubrogarentur. Atque uti prior Nicæna piis Romanis Imperatoribus offendiculo non fuit, quominus Epiſcoporum creationes approbatione proſequerentur ſua, ſic altera Nicæna nec Principibus noſtris obeſſe debet, quin idem ipſum, quod illi, ſibi adſcribant. Quod ſi enim in hac Synodo illi Paſtores abdicentur, qui a Principibus leguntur, horum jus non abrogatur, ſed id dumtaxat, quod ſibi arripiunt ſupra quam deceat ex canonum legibus.

XXIII. Antequam de manibus hæc noſtra diſputatio ponatur, non injucundum erit pauca, quæ reſtant, in judicium adducere. Quum Grotius plura de legendis Paſtoribus diſſeruiſſet, tandem ita paroravit, ut diceret, certam perpetuamque non fuiſſe eligendorum Epiſcoporum rationem in Chriſtiani orbis provinciis, quam rem his verbis exornavit, *Da mihi Cyprianum, & qui eo ævo vixerunt, nihil erit a populari electione metuendum. Da Patres Nicænos, libenter Epiſcopis electionem addicam. Da Theodoſios, da Valentinianos, da Carolos Magnos, nullum erit a Regia electione periculum*. Sic enim ille dixit, quaſi Niceni Patres in canone quarto ſanxiſſent, ne Epiſcopi in popularibus concionibus eligerentur, & quaſi Theodoſius, Valentinianus ac Carolus Magnus eorundem creationes Imperio aſſeruiſſent ſuo: Quæ omnia inconſulte & temere funduntur. Nam nec Niceni Patres, cum ab Epiſcopis provincialibus collegas ſuos eſſe conſtituendos decreverunt, multitudini hoc ademptum voluerunt, quod ex moribus ei tribuebatur, nec Theodoſius & Valentinianus vetuere unquam, ne Epiſcopi ab iis legerentur, ad quos hujuſmodi negotium pertinebat, niſi ſi extra ordinem Eccleſiis conſulerent. Sed de Nicæna Synodo & de Romanis Imperatoribus paulo ante diſſeruimus. De Carolo Magno breviter videndum eſt. Præbuerat huic Imperatori conſilium Hadrianus primus in epiſtola, quæ *in Tom.* II. *Concil. Gal.* legitur, ut Epiſcopos ſineret a Clero & Populo renunciari, idque exemplo ſuo facere non gravaretur: Scripſerat enim, ſe ipſum nullas in comitiis, in quibus Epiſcopi creabantur, partes ſibi vindicare: *Quia*, inquit Pontifex, *nunquam nos in qualibet electione invenimus, nec invenire habemus, & neque veſtram Excellentiam optamus talem rem incumbere. Sed qualis a Clero & Plebe cunctoque Populo electus fuerit canonice, ordinamus*. His monitis quum Carolus auſcultaſſet, an. 803. Aquiſgranenſe *Capitulare* condidit, in quo voluit, eos, qui Gallicanis Eccleſiis Epiſcopi dandi eſſent, ex veterum canonum inſtitutis eſſe eligendos. Optimus enim Princeps ita ſancivit, *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiretur honore, adſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & Populi ſecundum ſtatuta canonum de propria diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant*. Eam ad Caroli legem Hincmarus reſpexit in epiſtola 12. quam Ludovici III. Balbi Filio ſcripſit. Ille enim Principem rogabat, ut liberas Populo & Clero Epiſcoporum creationes relinqueret eodem conſilio, quo Carolus Magnus Eccleſiis proſpexerat. Ludovico nimirum, quem a creandis ſuopte nutu Epiſcopis avocare ſtudebat, Carolum propoſuit, quem ille ſequeretur. Quis autem in animum induceret, doctum Archiepiſcopum Rhemenſem ita cum Ludovico egiſſe, niſi temporibus ſuis inter omnes ſtatis conſtaret, imperante Carolo Magno, Epiſcopos ex canonum ſententiis fuiſſe electos? Hæc de Carolo Magno.

XXIV.

XXIV. Perrexit Grotius: Ac quoniam negotium eligendorum Epiſcoporum certo jure non contineretur, is affirmavit non *diſplicere ſibi Juſtinianeorum temporum rationem, ſalvo Summis Poteſtatibus jure reſcindendi electiones*: Hoc ad probandum exemplis uſus eſt, quorum primum id attulit, *Poſt Siſinnii mortem plurium ſuffragiis electus erat Proclus ad Epiſcopatum C-Politanum: Electio hæc ab Imperatoribus reſciſſa eſt*. Hanc nimirum hiſtoriam vir ſummus interpolavit. Nam plerique Proclum quidem Epiſcopum ſibi dari exoptabant, ſed eum rite non renunciaverant, cum Imperator juſſit Antiochenum virum C-Polim evocari. Quod enim tum accidit, ita Socrates in *lib.* VII. *Hiſt. Eccl. cap.* XXIX. prodidit, Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Σισιννίου ἔδοξε τοῖς κρατοῦσι, μηδένα μὲν διὰ τοὺς κενοσπουδαστὰς ἐκ τῆς Ἐκκλησίας εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προχειρίζεσθαι. καίτοι πολλῶν μὲν τὸν Φίλιππον, πολλῶν δὲ τὸν Πρόκλον χειροτονηθῆναι σπευδόντων· ἐπήλυδα δὲ ἐκ τῆς Ἀντιοχείας καλεῖν ἐβούλοντο, *Poſt obitum Siſinnii, propter homines inanis gloriæ ſtudioſos placuit Imperatoribus neminem ex Eccleſia Conſtantinopolitana ad Epiſcopatum promovere, licet multi Philippum, nec pauciores Proclum ordinari ſummo ſtudio contenderent. Peregrinum igitur hominem Antiochia evocare ſatius viſum eſt*. Reliqua eſſent quæ de Regio jure abdicandorum Epiſcoporum Grotius ſudit, niſi ea dudum multis rejecta fuiſſent in aliis exercitationibus.

CA-

AD
CAPUT XI.
EXERCITATIO CRITICA.

I. *Narratur quid Grotius agat in hoc capite.*
II. *Exponitur controverſia, quæ inter ipſos Calvinianos commiſſa eſt de Epiſcoporum origine & poteſtate.*
III. *Grotius medius eſt inter utramque factionem. Contendit tamen Epiſcopos ex Divina Lege non fuiſſe conſtitutos. Sed primum confeſſione urgetur ſua.*
IV. *Deinde pluribus refellitur argumentis, quæ ex ſacris tabulis colliguntur.*
V. *His argumentis vetuſtiſſimorum Patrum conſenſus adſtruitur.*
VI. *Aperitur Hieronymi mens, quem partibus favere ſuis Puritani & Grotius jactitant.*
VII. *Explicantur Auguſtinus & Epiphanius.*
VIII. χειροτονια *ſive* jus ordinandi *Presbyteris tribui non poteſt. Declaratur ſententia canonis Ancyrani.*
IX. *Brevi diluuntur omnia, quæ inepte objiciuntur.*
X. *Diſputatur, num exemplum Apoſtolicæ Hierarchiæ captum ſit a Templo Moſaico, num vero a deſcriptione Ethnicorum Sacerdotum, an denique a Synagoga. Paucis oſtenditur, Apoſtolos, cum ex Divino præcepto Hierarchiam condiderunt, ad Moſaicum Templum reſpexiſſe.*
XI. *Iidem ad Sacrorum Miniſtrorum compoſitionem ſpectare non potuere, quæ erat apud Gentes.*
XII. *Grotio magis arridet ſententia, quæ conſtituit, Hierarchiam Apoſtolicam a Synagoga fuiſſe deſcriptam. Declaratur quid ille de ſtatu veteris Synagogæ ſenſerit.*
XIII. *Oſtenditur auctotitate Philonis & Joſephi in vetere Synagoga Presbyteros omnes fuiſſe pares in ordine & poteſtate.*
XIV. *Id ipſum probatur teſtimoniis Divinorum Scriptorum, qui omnes Synagogæ Presbyteros Archiſynagogos dixerunt.*
XV. *Oppoſuit Grotius Romanorum Imperatorum leges, ex quibus effecit, Synagogam fuiſſe gubernatam a Senatu Presbyterorum, cui unus Archiſynagogus præeſſet, qui & inter omnes poteſtate & gradu excelleret.*
XVI. *Hoc ipſum, quod Grotius dixit, plures viri docti ſentiunt: Attamen facile refelluntur. Magna enim imbecillitas eſt hujus argumenti, quod ad cognoſcendam veteris Synagogæ formam ducitur ex libris Romani juris.*
XVII. *Quinimo ſi Romanorum leges recte accipiantur, ex iis perſpicuum erit Synagogæ regimen reſediſſe penes Presbyteros gradu & poteſtate pares. Ergo concluditur, non potuiſſe ex Synagoga deſcribi Apoſtolicam Hierarchiam, in qua Presbyteris unus Epiſcopus ordine ab iis diverſus præſidebat.*
XVIII. *Retexitur quæſtio de temporariis presbyteris, quam Grotius pertractavit.*
XIX *Atque is primum confecit, hujuſmodi Presbyteros ex Divino jure ortos non eſſe, nec in priſca Eccleſia extitiſſe. Optime enim rejecit Gomariſtarum, qui contra ſentiebant, argumenta. E re nata diſſeritur de Synedrio Hebræorum, cujus antiquitas multis rationum momentis abrogatur.*
XX. *Sed deinde Grotius ad ineundam cum Gomariſtis concordiam dixit, Presbyteros temporarios conſtitui potuiſſe vel Principum juſſu, vel Eccleſiæ mandato. Contra probatur, fas non fuiſſe eos creari, idque ex munere, quod ipſis tribuitur.*
XXI. *Explicantur exempla, quæ ad eam rem ex Hebræorum & Apoſtolorum ſcriptis Grotius decerpſit.*
XXII. *Item illa, quæ ex Eccleſiaſtica Hiſtoria collegit.*

I. JAmvero Arminianus de Eccleſiæ ſtatu, ſive de illis ſacris muneribus ediſſerit, quibus Eccleſia continetur. Illud ſummo cum ſtudio agit, ut plane declaret, an Chri-

Chriſtus aliquod regiminis genus deſcripſerit & conſtituerit, quod abrogari non poſſet. Nanque ſic habet, niſi qua Eccleſiæ temperatio in Divinis legibus eſſet ſancita, eam facile revocari ad arbitrium & nutum eorum, qui imperium adminiſtrant, ita ut Chriſtianæ ſocietates nec prudenter nec jure ſe gerant, quæ propter ſacrorum Rectorum Gubernatorumque compoſitionem diſiunguntur in Religionis officiis. Atque duo perſequitur, quæ apud Lutheranos & Calvinianos in certamen diu venerant, num Divino mandato Epiſcopi renuntiati eſſent, qui Presbyteris poteſtate anteferrentur, tum an par ſit, quoſdam eſſe in Eccleſia Presbyteros, qui, cum nec Populum doceant, nec ſacra faciant, Paſtoribus tamen adjunguntur, & a conſiliis adſunt idque munus ſolent duobus vel tribus annis obire. De Epiſcopis diſputare primum inſtituit. Omnis illius ratio eſt hujuſmodi. Docet, jus quod habent Epiſcopi, ut ipſi Presbyteris præſint, contrarium non eſſe præceptis, quæ Deus in novi fœderis tabulis ſancivit, quinimo univerſæ Eccleſiæ placuiſſe, idemque ab Apoſtolis ortum cepiſſe, & Chriſti auctoritate judicioque eſſe probatum. Quæ quidem Arminianus optime conficit, ſed, quaſi opinionis ſeſe pœniteat ſuæ, deinde ſubvertit. Nanque pronuntiat, Epiſcopos fuiſſe Presbyteris præfectos ex inſtitutis Hebræorum, in quorum ſynagogis ſummus Pontifex reliquis Sacerdotibus & Patribus antiſtabat, quamquam nullus negat, illos creari potuiſſe exemplo Gentilium Sacerdotum, apud quos unus inter plures Pontifices excellebat. Divina enim mandata de creandis Epiſcopis non extitiſſe; Apoſtolis hoc fuiſſe conſilium, ut illos conſtituerent, ſed tamen legem non condidiſſe, in qua ſingulis Eccleſiis & presbyteriis eoſdem fore dandos juberent. In hanc ſententiam Grotius accipit Hieronymum & Auguſtinum, quorum ille, *Epiſcopos*, inquit, *evaſiſſe majores Presbyteris magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate*, hic vero dicit, *Epiſcopatum majorem eſſe Presbyterio ſecundum honorum vocabula, quæ Eccleſiæ uſus obtinuit*. Addit Epiphanium, qui memoriæ prodit, Apoſtolos pleraſque Eccleſias condidiſſe, quas ſolis Presbyteris & Diaconis commiſere. His expoſitis ita Arminianus pergit, ut veterem promat morem, ex quo demortuis Epiſcopis Presbyteri Eccleſiarum gubernacula ſuſcipiebant. Commemorat Cypriani ad Romanum Clerum, & ad Cyprianum Romani Cleri epiſtolas, in quibus agebatur de Eccleſiæ & Religionis adminiſtratione. Quoniamque attuliſſet Patres, qui Presbyteris χειροτονίαν (*jus ordinandi*) ademere, eos ita explicat, perinde atque docuiſſent, Presbyteris non licuiſſe alios ad Sacerdotium admovere ſine Epiſcoporum conceſſu. Itaque eo pervenit, ut cenſeat, penes Presbyteros univerſam eſſe Pontificatus poteſtatem, nec eos χειροτονίᾳ *jure ordinandi* carere iis temporibus, in quibus Eccleſiæ Epiſcopis ſuis vacant. Quod quum in animum induxiſſet, tandem concludit, Lutheranos & Calvinianos è Republica & Eccleſia optime facere potuiſſe, qui initio ſeceſſionis a Catholicis munus Epiſcoporum intermiſere, idque Presbyteris mandarunt. Venit Arminianus ad temporarios Presbyteros, quos *aſſeſſores* vocat. Eos vero intelligit, qui nec ligandi & ſolvendi poteſtate præditi ſunt, nec docendi & ſacra faciendi munus gerunt. Nam in pluribus Calvinianorum Eccleſiis è laico ordine creantur, ut Presbyteriis ad conſilium & præſidium adſint, in controverſiis de ſacris jus dicant & Eccleſiam tueantur. Ille igitur, quamvis multis oſtendat, eorum officium nec Divino mandato fuiſſe conſtitutum, neque in Apoſtolica & priſca Eccleſia unquam extitiſſe, tamen arbitratur nihil in eo ineſſe, quod a Divina lege non probetur. Quinimo in ſacris antiquitatibus diligenter exempla inveſtigat, e quibus ad Calvinianos hujuſmodi presbyteros aliqua accedat auctoritas.

II. Videamus primum de Epiſcopis, de quorum origine Grotius ita diſputavit, ut inter illos conciliandæ paci ſtuduerit apud quos ea res ſummo cum certamine agebatur. Sed antequam noſtra procedat oratio, paucis exponetur hæc controverſia, quæ commiſſa eſt inter ipſos Calvinianos & Lutheranos, ut quid Arminianus attulerit, facilius perſpici poſſit. Aerius apud veteres hæreticus deplorati nominis dixerat, Epiſcopos a Presbyteris non eſſe diverſos nec ordine, nec munere, nec dignitate, nec juriſdictione. Ille enim apud Epiphanium opinionem ſic protulit ſuam, Τί ἐστιν, inquit,

quit, *ἐπίσκοπος πρὸς πρεσβύτερον ; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου. μία γαρ ἐστι τάξις, καὶ μία τιμη, καὶ ἓν ἀξίωμα. χειροθετει ἐπίσκοπος, ἀλλὰ καὶ ὁ πρεσβύτερος. λουτρὸν δίδωσιν ὁ ἐπίσκοπος, ὁμοίως καὶ ὁ πρεσβύτερος. τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας ποιεῖ ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ὁ πρεσβύτερος ὡσαύτως. καθέζεται ὁ ἐπίσκοπος ἐπὶ τοῦ θρόνου, καθέζεται καὶ ὁ πρεσβύτερος*, *Quid eſt Epiſcopus præ Presbytero? Nihil hic ab illo differt. Eſt enim amborum unus ordo, par & idem honor, ac dignitas. Manus imponit Epiſcopus, imponit & Presbyter, baptizat Epiſcopus, idem facit & Presbyter. Sacrificii adminiſtratione fungitur Epiſcopus, itidem & Presbyter. Epiſcopus in throno ſedet, ſedet & Presbyter.* Hanc hæreſin ab oblivione Joannes Wicleſus vindicare conatus eſt, qui *in libro quarto Dialogorum* fidenter pronuntiavit, ſolos Presbyteros & Diaconos a Chriſto fuiſſe delectos, a quibus Eccleſiæ regerentur. Ac eos quidem, quos ſequerentur, auctores habuere Martinus Lutherus & Joannes Calvinus, cum ab Eccleſia Catholica-Romana ſeceſſere. Lutherus in epiſtola ad Senatum Pragenſem *de inſtituendis ſacris miniſtris* & in libro *de captivitate babylonica* audacter docuit, illos omnes, qui ad Eccleſiæ ſacrorum procurationem, & ad tradendam Religionem præſunt, in eodem eſſe ordine & munere, communique Presbyterorum atque Epiſcoporum nomine ab Apoſtolis fuiſſe vocatos. Ex quo ille in univerſis Eccleſiis, quas condidit, Paſtores ſive ſacros adminiſtros pari dignitate præditos renuntiavit, omnemque hierarchiam ſuſtulit. In Daniæ ſolum & Suediæ Regnis vetus illa Eccleſiaſticorum virorum deſcriptio abrogata non eſt, ita ut Epiſcopi Præsbyteriis præfecti ſint, & Upſaliæ Antiſtes metropoliticam quandam ſibi auctoritatem attribuat, unicus apud Lutheranos Archiepiſcopus. Non diſcrepantem ab eo, qui Luthero placuerat, Eccleſiarum ſtatum Joannes Calvinus probavit. Hic enim in libro quarto *Inſtitutionum cap.* 4. putavit, eos omnes, quibus docendi munus a Chriſto & Apoſtolis injunctum eſt, presbyteros fuiſſe, quamquam horum conſenſu ſine ullo Divino mandato unus electus fuit, qui Epiſcopus diceretur. Huic autem eas partes demandavit, ut quaſi Conſul in ſenatu, ſic in Presbyterorum cœtu referret de negotiis, ſententias rogaret conſulendo, monendo, orando, aliis præiret, omnemque de ſacris conſultationem auctoritate ſua regeret. Itaque ſeceſſionis initio inter omnes Lutheranos & Calvinianos ſecum conveniebat de repudianda Divina Epiſcoporum præfectura. Cum vero Calvinianis, & in his Petro Martyri ſucceſſiſſet, ut Religio, quam ſibi adſciverant, in Brittannia reciperetur, tum quidem de optimo Eccleſiaſtici regiminis genere diſputatum eſt magna animorum contentione. In Comitiis Regni, quæ Edwardus VI. anno 1547. convocaverat, lege perlatum erat, ut Angli Regem ſuum non modo in gerenda Republica, ſed in adminiſtranda Eccleſia Præſidem & Rectorem exiſtimarent, Romana omnia ſacra abolerent, eademque illa ſibi aſciſcerent, quæ apud Genevenſes colebantur: At Epiſcopis & Metropolitanis, quos Brittanica Eccleſia habebat, conſervata fuerat priſca dignitas & juriſdictio. Poſt eam legem ſtatim duplex orta eſt Calvinianorum factio, altera eorum qui illam Eccleſiæ temperationem probabant, in qua Presbyteriis Epiſcopi præeſſent, altera vero eorum qui ſolos Presbyteros ſedere ad Eccleſiæ gubernacula exoptabant & Epiſcopos reiiciebant: Hæc vocata eſt Catharorum & Puritanorum. Acceſſit ad Rempublicam Eliſabetha Regina, quæ exemplis Henrici VIII. & Edwardi VI. Anglicanæ Eccleſiæ ſumma gubernatrix renuntiata eſt: cumque novas de ſacris leges juſſiſſet, Religionem condidit, quæ inſtitutis Genevenſium diſſentiebat, nec Epiſcoporum veterem auctoritatem imminuit. Adeo Puritanos opinio fefellerat, qui, delato ad Eliſabetham Brittannico Imperio, proſpera ſibi omnia ominabantur. Eorum autem magna fuit audacia. Nam alii petivere, ut Regina, mutato conſilio, Genevenſium & dogma & diſciplinam omnem in regno ſuo ſanciret, neque ab iis in Divini cultus negotio diſcederet. Alii vero maluere, illud ſui eſſe conſilii, ut quam Religionem ipſi deligerent, in ea privatim & publice verſari poſſent. Reſponſum eſt, utroſque confidenter agere, tum illos, qui mutatam vellent Religionis formam, tum hos, qui *ἐθελοθρησκείαν arbitrium in ſacris* ſibi depoſcerent. Res univerſa nonnullam habuit Puritanorum querelam non

ſine

ſine animorum motibus. Per idem tempus Brittannici Epiſcopi Eccleſiis ita præerant, ut omnis auctoritas, qua Presbyteros antecellebant, publicis moribus ſibi eſſe adjuncta videretur. Quoniam vero Archiepiſcopus Cantaurienſis deinde declaravit, Epiſcopos ab ipſo Chriſto eam Sacerdotii accepiſſe dignitatem, qua Presbyteris ſunt majores, tanta contentione Puritani cauſſam ſuam defendendam ſuſcepere, ut pene tumultuarentur. Nanque, ſi Epiſcopale munus in Divino jure niteretur, prorſus ſequebatur, in iis hominum cœtibus veram non eſſe Eccleſiam, qui Epiſcopis carerent. Quapropter decretum eſt, ut id omne, de quo decertabatur, in quodam Senatu referretur ampliſſimorum virorum, quos Regina deſtinaverat. Atque hi quidem cenſuere, Societatem Catholico-Romanorum, quamvis erroris nec integram, nec puram, tamen illam eſſe Eccleſiam, quam Apoſtoli condiderunt, Epiſcopum Romanum Catholici quidem orbis non eſſe Rectorem, ſed tamen Romæ legitimi Antiſtitis perſonam ſuſtinere, ita ut omnes, quos ad ſummum Sacerdotium ille admoviſſet, Epiſcopalia obire munia poſſent, denique illum Eccleſiæ ſtatum, qui ab Epiſcopis regitur, optimum eſſe & vetuſtiſſimum. Hæc quum Puritani nec opinati audiviſſent, graviter tulere, viros Calvinianos de Eccleſia, de Romano Antiſtite & de Epiſcopis ea ſentire & docere, quæ ab opinionibus Pontificiorum non longe recederent. Ipſi autem omnia contendere, Papam Antichriſtum dicere, Epiſcoporum poteſtatem tyrannicam vocare, & in horum locum ſolos ſubſtituere Presbyteros. Atque tum quidem turbulentiſſima hæc factio ita ſe geſſit. Sed quum deinde audacior ad quidvis ſuſcipiendum evaſiſſet, cauſſam, quam agebat, Reipublicæ atque Eccleſiæ eſſe communem voluit, ita ut, depulſis ab utriuſque ſocietatis adminiſtratione ſummis moderatoribus, popularem & tribuniciam regendi rationem ſubrogaret. Præſenſerat hoc Jacobus majoris Brittanniæ Rex, deque eo Filium, quem hæredem Imperii cupiebat, his verbis monuit, *Hic è Miniſterio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum, Divinarumque rerum confuſione, tam gratioſi ad Plebem facti ſunt, ut deguſtata dominationis dulcedine, cœperint Democraticam Reipublicæ formam ſibi ſomniare.* Quos etiam *tribunitiam poteſtatem* ſibi attribuiſſe docuit, *ut in populari Republica, cum plebem, quo vellent, facile circumducerent, omnium negotiorum momenta ſoli temperarent.* Ac ſubinde. *Homines*, inquit, *factioſi unum furoris ſui præſidium in paritate collocarunt. . . . Eſt hæc paritas mater confuſionis, inimica unitatis, quæ eſt ordinis parens, quod genus si ut in Eccleſia, ita quoque in Republica obtineret, omnia certo certius miſceri neceſſe foret. Si utramque ames, ex utraque peſtem hanc expelle, Puritanos*, inquam, *quos nec beneficiis devincies, nec jure jurando fidos facias, nec promiſſis conſtringas, ſine modo ambitioſos, ſine cauſſa maledicos, nec quicquam ſpirantes, niſi ſeditiones & calumnias, quibus una conſcientiæ regula eſt, non Divini Verbi auctoritas, ſed commentorum ſuorum vanitas.* Quod Princeps ille eventurum portendit, id ſummo Brittannicorum civium malo accidit. Nam ſuperioris hiſtoria ſæculi magnos complectitur inteſtinos motus, provinciarum ac Civitatum defectiones, proſcriptiones civium, ac cætera hujuſmodi, quæ ad florentiſſimi Regni internecionem Puritani moliti fuerunt. Sed hæc mittamus, quæ Rempublicam ſpectant. Igitur de Epiſcoporum origine & poteſtate ſcriptis diſputare utriuſque factionis homines cœperunt. Qui Puritanorum partes ſequebantur, multi fuerunt, in his preſertim David Blondellus *in libro de Epiſcopis & Presbyteris*, Claudius Salmaſius *in Apparatu ad libros de Primatu Papæ & in Diſſ. de Epiſcopis & Presbyteris*, Chriſtianus Drejerus *in Controverſ. cum Pontificiis diſſ.* xxi., Ludovicus Cappellus *in Theſibus Theologicis de Epiſcoporum & Presbyterorum diſcrimine*, Jacobus Baſnagius *in Hiſtoria Eccleſiæ*, Samuel Mareſius *in Exam. de Epiſcoporum origine contra Joannem Prideaux*, David Clarchſonus Anglus *in Tract. hiſt. de Statu primitivo Epiſcopatus & de Liturgiis*, Joannes Franciſcus Buddeus *in Diſſ. Hiſt. Theolog. de Origine & Poteſtate Epiſcoporum*, & M. Adamus Tribecchovius *de Ord. ſuperior. Poteſt. Eccl. veteris & florentis Eccleſiæ*. Sed longe plures, iidemque doctiores anglocalviniani delectiſſimis argumentis oſtenderunt, Epiſcopos fuiſſe Eccleſiis datos vel Divina lege, vel Apoſtolicis

licis inſtitutis, quibus derogare nunquam liceret. Inter eos eminent Guillelmus Beveregius *in Codice canonum Eccleſiæ primitivæ illuſtrato lib.* II. *cap.* 21., Joannes Pearſonus *in Vindiciis Ignatianis part.* II. *cap.* XIII. Henricus Hammondus *in Diſſ.* III. *cap.* 4. H. Dodwellus *in Diſſ. Cyprianic. & in Paræn ad Exteros tam reformatos quam Pontificios*, Thomas Bilſonus *de perpetua Chriſti Eccl. Gubernatione*, Franciſcus Brokesby *in Hiſt. Hierarch. Eccleſiæ prim. per tria ſæcula & initium*, Guillelmus Caveus *in Diſſ. de regim. veteris Eccleſ.*, Jacobus Uſſerius *in Opuſculo de Origine Epiſcoporum & Metropolitan.* Henricus Wottonus *in Diſſ. de divinitus inſtituto Clero*, *& de Unitate Eccleſiæ, quas Clem. Rom. Epiſt. duabus præfixit*, Samuel Parkerus *de Regim. Chriſt. Eccl. Sæculis* VI. *prioribus*, Joannes Prideaux *in Faſc Controverſ. inter ejus opera Theologica cap.* IV. Joſephus Binghamus *in lib.* II. *Orig. & Antiq. Eccl. cap.* I. aliique, quos commemorare non vacat.

III. Veniamus ad Grotium noſtrum, qui omnes induſtriæ diligentiæque ſuæ nervos in eo contendebat, ut inter diſſidentes Eccleſias perpetuum fœdus percuteret, & ab iis omnibus dicendo & ſcribendo gratiam iniret. In hoc conſilio quum ille eſſet, magno quidem opere verebatur, ne, ſi Epiſcopos Divino mandato eſſe creatos diceret, Lutheranas & Puritanas ſocietates offenderet, ſin contra eos humano jure Presbyteris antelatos duceret, tum Anglocalvinianas Eccleſias demerere non poſſet. Quocirca ita cenſuit, tanquam de negotio diſceptaretur, in quo demere aliquid, & addere jure arbitri fas eſſet. Conceſſit enim Anglocalvinianis, præfecturam, quam Epiſcopi gerunt, a primordiis Eccleſiæ fuiſſe conſtitutam Apoſtolis auctoribus, & Divino judicio comprobatam. Sed quo Puritanis quidquam daret, ſtatim negavit Apoſtolos legem dixiſſe de munere Epiſcoporum nunquam intermittendo, ut facile eſſiceret, ſi quando Reipublicæ & Religioni hoc proſit, ſublatis Epiſcopis, poſſe Eccleſias adminiſtrari communi Presbyterorum auctoritate. Hæc eſt univerſa Arminiani ſententia, contra quem conficiamus oportet, Divinum nec mutabile eſſe munus illud, quod ſingularibus Epiſcopis ab Apoſtolico ævo demandatum eſt, ut Eccleſias mente & ratione ſua regerent, & Presbyteriis præeſſent. Ac primum ille confeſſione urgendus eſt ſua. Nam in iis libris, quos poſt diſceſſum e Belgio conſcripſit, aperte docuit Eccleſiam eſſe non poſſe ſine apta ſacrorum Paſtorum compoſitione, in qua ad tollendas diſſenſiones ſingulis Presbyteriis Epiſcopus præfectus ſit, & inter omnes Epiſcopos Principatu quodam Romanus Pontifex emineat. In *annotationibus*, quibus Gaſſandri eximii Theologi *conſultationem* exornavit, *Articulum* VII. ita perſequutus eſt, ut, quum primum conſtituiſſet Eccleſiam Divina lege eſſe unam, ex eo efficeret, Paſtores, qui eam adminiſtrant, pari jure non eſſe præditos, ſed alios aliis antecellere, & omnibus Romanum Pontificem antiſtare. *Sed non minus bene Caſſander ad eandem Eccleſiam diſcernendam a ſchiſmaticis*, (ſic enim Grotius inquit), *addidit unitatem ex Chriſti ipſius dicto Joan.* XIII. 35. *Id vero fieri non poteſt, niſi Plebs Præpoſitis obſequatur. Eſt enim Eccleſia corpus quoddam, & proinde juncturis quibuſdam compaginatum Eph.* IV. *&* 16. *Hæ juncturæ ſunt Epiſcopi in parte minore, in majore Metropolitæ, aut in Africa Epiſcoporum ſeniores: in parte adhuc majore* Ἔξαρχοι *ſive Primates, quales illi Carthagine & alibi: rurſum in majore alia Patriarchæ: & in toto corpore is, qui Princeps eſt Patriarcharum, Epiſcopus Romanæ Urbis: quæ omnia conformata ſunt ad exemplar Principatus ejus, quem Petrus inſtituto Chriſti habuit in Apoſtolos. Unitas enim Antiſtitis optimum adverſus ſchiſmata eſt remedium, quod & Chriſtus monſtravit & comprobavit experientia. Hanc Principatus in Epiſcopo Romano utilitatem ingenue agnovere Melancton multis locis, Jacobus Rex Britanniæ, multique in Proteſtantibus viri eruditi.* Ad hæc in eo libello, quem *Votum pro Pace Eccleſiaſtica* nuncupavit, plane tradidit Eccleſiam contineri ordine, ordinem Principatu ſive Rectoris unitate, hunc Rectorem inter Presbyteros eſſe Epiſcopum, inter Epiſcopos Metropolitanum, inter omnes vero Pontificem Romanum: Hanc politiam a Chriſto eſſe conſtitutam in Apoſtolico Senatu, cui Petrus præfuit, eandemque ita eſſe perpetuam,

tuam, ut antiquari nunquam poſſit: *Ordo*, ait in operis Articulo VII., *ſive in partibus, ſive in toto continetur Principatu quodam ſive Præpoſiti unitate. Et hoc eſt quod in Petro nos Chriſtus docuit. Hoc à Chriſto didicit Cyprianus: idem cum Cypriano dicit Hieronymus adverſus Jovinianum, ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regnorum Cæli accipiant, & ex æquo ſuper iis Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatum tollatur occaſio*. Ergo ſi Principatus inter Paſtores congruit Eccleſiæ naturæ, ſi perpetuus eſt, ſi Chriſtum non modo approbatorem, ſed auctorem habuit, profecto in Divino nititur jure. Iſta quidem ſatis eſſe videntur, ut facile cognoſcas, Grotium, priſtina abjecta ſententia, exiſtimaſſe Eccleſiaſticam Hierarchiam ab Apoſtolis quidem eſſe poſitam, ſed ſummi Pontificis Chriſti inſtituto, quod abrogari nefas eſſet. Attamen præterire non convenit alia illius loca, in quibus mutatæ mentis magis perſpicua argumenta dedit. Nam ſæpenumero declaravit, omnes Apoſtolos pari poteſtate Eccleſiam gubernaſſe, inter eos Petrum Chriſti mandato fuiſſe Præſidem & Principem ad conſervandum omnium conſenſum in doctrina Religionis, Petro autem Romanum Pontificem ſucceſſiſſe, & tanquam illum inter Apoſtolos, ita hunc inter Catholici orbis Epiſcopos omnibus præſtare auctoritate & juriſdictione. In hunc ſenſum Grotius loquutus eſt in *Appendice ad interpretationem locorum N. Teſtamenti, quæ de Antichriſto agunt aut agere putantur*, & in *Diſcuſſione Rivetiani Apologetici*, in qua ſic ediſſeruit, *Cum longe lateque disjecti eſſent Apoſtoli ad ſpargendum ſemen Evangelii, ſi quid incidiſſet dubii, ut de Apoſtolatu Pauli, quo iri potuit, niſi ad Petrum? Ejus autem erat, de quibus nulla ipsi facta fuerat revelatio, conſulere, si poſſet, etiam abſentes Apoſtolos, si non, ſaltem eos, qui ipſi aderant, Epiſcopum quoque loci, auditis interdum & Presbyteris, ac si non Dominum agere, ſed Principem sive Præſidem. Bene Hieronymus ad Jovinianum, Inter duodecim unus eligitur, ut, capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occasio. Sine tali primatu exiri e controverſiis non poterat: ſicut hodie apud Proteſtantes nulla eſt ratio, qua ortarum inter ipſos controverſiarum reperiatur finis. Et hic Primatus poſt Apoſtolos manſit in Sede Romana, quod manifeſtum facit hiſtoria, etiam in ipſo Blondelli libro*. Sic enim ille de Pontifice Romano in Eccleſiaſtica Hierarchia omnium moderatore. Sed porro manifeſtiſſimis verbis aperuit, Epiſcopos, qui ſingularum Eccleſiarum ſunt Rectores, hanc poteſtatem non modo Apoſtolis, ſed Chriſto acceptam referre. In Epiſtola quadam, quam ad Fratrem miſit, nimis otioſe eos ſe habere arbitratus eſt, qui quærebant, an Epiſcopi Divino jure Eccleſiis præeſſent, quaſi nimirum in re manifeſta verſarentur. Atque cum adnotationes ſuas, quas paulo ante nominavimus, Caſſandri *Conſultationi* adjungeret, Articulum XIV. ita concepit, ut Epiſcopos Chriſti ipſius juſſis fuiſſe creatos patefaceret, *Epiſcopi*, inquit, *ſunt Presbyterorum Principes: & iſta προστασία* (præſidentia) *a Chriſto præmonſtrata eſt in Petro, ab Apoſtolis vero, ubicunque fieri poterat, conſtituta, & a Spiritu Sancto comprobata in Apocalypsi. Quare ſicut eſt optandum, ut iſta προστασια* (*præsidentia*) *retineatur ubique, utpote non ad ſingularum tantum Ecclesiarum optimum regimen, ſed ad totius corporis compagem perquam neceſſaria, ita rogandi ſunt Reges & Clericorum collegia, ut Epiſcopi fiant viri vitæ ſanctæ, in Sacris Scripturis & Conciliorum actis veterumque libris bene verſati* Is quidem Anglicanam Eccleſiam, quod ea Epiſcopis tanquam Presbyterorum Principibus continebatur, omnibus Lutheranis Calvinianiſque Eccleſiis prætulit, & in ejuſdem complexu vitam exacturus erat, ſi licuiſſet. Hoc enim nobis narrat Archiepiſcopus Bramhallus, Hiberniæ Primas *in Defenſione ſui ipsius & Epiſcopalis Cleri contra Richardi Baxteri Presbyteriani accuſationem*. Nos vero ſæpe accepimus, Grotium Arminianis ſuis fuiſſe auctorem, ut ſacros Paſtores ab Epiſcopis Anglicanis in Sacerdotio conſtituendos curarent. Quin etiam ipſe ad Fratrem hæc ſcribebat, *Suaderem iis* (Remonſtrantibus) *ut conſtituerent inter ſeſe quoſdam in eminentiori gradu, ut Epiſcopos, & ii χειροθεσίαν ſumerent ab Archiepiſcopo Hiberno, qui ibi eſt, & ita ordinati ordinarent deinde Paſtores*

res cæteros. Sic Grotius ſenſit, poſtquam ſacræ vetuſtatis memoriam accuratius & diligentius collegiſſet Eccleſiæque optimum ſtatum cognoſſet, animo a ſtudiis partium libero.

IV. At enim ſi qui ſequantur Grotium illius temporis, cum ſententiæ ipſum prioris nondum pœnitebat, ad eos refellendos oſtendere paucis oportet, Epiſcopos Eccleſiis fuiſſe datos Divinæ legis auctoritate & nutu. Quæ noſtra oratio omnia illa non complectetur argumenta, quæ Catholicis & Anglis Hierarchis uſui fuere ad perdendos Presbyterianos. Res enim agitur cum Grotio, a quo multa conceduntur, quæ Presbyteriani contra veterum fidem negant. Nanque ab illo datum eſt, ſingulares in Eccleſiis Præſides hoc eſt Epiſcopos ab Apoſtolis fuiſſe delectos, eoſdemque Chriſti judicio approbatos a primordiis Catholici nominis maximum univerſæ antiquitatis conſenſum ſibi adjunxiſſe. Ad hoc igitur nos pronuntiamus, Apoſtolos non arbitratu ſuo, ſed Divino mandato ad illos creandos acceſſiſſe, quod equidem ita concludimus. Optimus Chriſtianæ Religionis conditor Chriſtus Eccleſiæ primos Paſtores & Rectores Apoſtolos præfecit, eadem quidem poteſtate præditos, quam ipſe a Deo acceperat *Joan.* xx. 22. Procurabant ipſi eccleſiaſticam rem in univerſo orbe, ut tamen ſi quando in una Urbe vel Provincia lares fixiſſent, illius Urbis vel Provinciæ in ſacris eſſent Moderatores & Antiſtites, omnemque Presbyterorum conventum ſibi obedientem haberent. Timotheus enimvero, quamquam minor Apoſtolus, tamen quamdiu Epheſinam Eccleſiam adminiſtravit, in Presbyteros jus dixit: Nanque officii ſui ita commonefactus eſt a Paulo in prima Epiſtola, quæ ad ipſum ſcripta eſt *cap.* v. *v.* 19., *Κατὰ πρεσβυτέρου κατηγορίαν μὴ παραδέχου, ἐκτὸς εἰ μὴ ἐπὶ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων*, *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus*. Quæ verba ſatis declarant Timotheum ea fuiſſe dignitate, ut Presbyterio Epheſino præſideret. Sed quoniam Chriſtus Eccleſiam condidit, quæ in perpetuo ordine maneret, & ſine ulla perturbatione omni tempore adminiſtrari poſſet, ex eo neceſſe eſt intelligi, eum pertuliſſe, ut decedentibus Apoſtolis alii in eorum locum Paſtores cum eadem poteſtate ſuccederent. Nanque in dubio non eſt, quin ille eam gubernandæ Eccleſiæ rationem, quam eſſe optimam primum cenſuit, nunquam antiquari juſſiſſet. At enim quinam in tota, eaque antiqua ſacrorum Paſtorum deſcriptione eſſe videntur, quos Apoſtoli Divino iſto mandato ſibi ſubrogaſſent? Prorſus cenſeamus oportet, Apoſtolos poteſtatem ſuam (non illam quidem, quæ ipſis extra ordinem credita fuerat, ſed alteram illam, quæ in regenda Eccleſia verſabatur) iis commiſiſſe, quos Eccleſiarum Præſides & Epiſcopos conſtituerunt: de quibus ita dixere priſci Patres, eos loco Apoſtolorum ad Eccleſiarum gubernacula ſedere. Irenæus in libro IV. contra Hæreſes cap. XXVI., *Quapropter eis, qui in Eccleſia ſunt, obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis*, & in libro V. cap. XX., *Omnes ii* (hæretici) *valde poſteriores ſunt, quam Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradidere Eccleſias*, Cyprianus *in Epiſt.* XLV. *pag.* 88., *Laborare debemus, ut unitatem a Domino, & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam obtinere poſſimus*, Firmilianus apud Cyprianum in epiſt. LXXV., *Hoſtes unius Catholicæ Eccleſiæ, in qua nos ſumus, qui Apoſtolis ſucceſſimus*, Conventus Epiſcoporum Carthaginienſis tempore S. Cypriani, *Manifeſta eſt ſententia D. N. J. C. Apoſtolos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem a Patre ſibi datam permittentis, quibus nos ſucceſſimus*, Hieronymus in epiſtola ad Evagrium, *Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive C-Poli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis ejuſdem meriti eſt, ejuſdem & Sacerdotii . . . Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt*. Itaque argumento undique concluſo palam efficitur, ex ea lege, quam Chriſtus dixerat, ſingulares in Eccleſiis Epiſcopos fuiſſe renuntiatos, eoſdemque Præſides, quibus omnes Presbyteri parerent.

Atque facile percipi non poteſt, Apoſtolos arbitrium egiſſe ſuum, cum Epiſcopos Eccleſiis præfecerunt ſumma cum auctoritate. Maximum enim erat negotium, quod ad Religionis incolumitatem & ad conſervandam Eccleſiæ tranquillitatem pertinebat. Qui-

Quinimo apud Veteres tam rata erat opinio, Apoſtolos ex Lege Divina ſtatum Eccleſiæ conſtituiſſe, ut quos Epiſcopos ab iis fuiſſe creatos proderent, eoſdem a Chriſto delectos exiſtimarent. Complures enim, & in his Euſebius *in libro* II. *Eccleſ. Hiſtoriæ* cap. XXIII. prodidere, Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopum Eccleſiam ſuam ab Apoſtolis gubernandam ſuſcepiſſe, Ἰουδαῖοι, inquit, γε μὴν τοῦ Παύλου καίσαρα ἐπικαλεσαμένου, ἐπί τε τὴν ῥωμαίων πόλιν ὑπὸ Φήστου παραπεμφθέντος, τῆς ἐλπίδος καθ' ἣν ἐξήρτυον αὐτῷ τὴν ἐπιβουλὴν ἀποπεσόντες, ἐπὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ κυρίου τρέπονται ἀδελφὸν, ᾧ πρὸς τῶν ἀποστόλων ὁ τῆς ἐπισκοπῆς τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐγκεχείριστο θρόνος, *Cum Paulus ad Cæſarem provocaſſet, Romamque a Feſto miſſus eſſet, Judæi, qui inſidias ipſi ſtruxerant, ſpe ſua decidentes, in Jacobum fratrem Domini, cui Epiſcopalis Hieroſolymorum Sedes ab Apoſtolis tradita fuerat, furorem convertunt*: Sed idem ille in *lib.* VII. *cap.* XIX. docet, Jacobo eum honorem fuiſſe mandatum a Chriſto, Τὸν, ait, γὰρ Ἰακώβου θρόνον τοῦ πρώτου τῆς Ἱεροσολύμων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν πρὸς αὐτοῦ σωτῆρος καὶ τῶν ἀποστόλων ὑποδεξαμένου κ. τ. λ., *Jacobi illius Cathedram, qui primus Hieroſolymorum Epiſcopus ab ipſo Servatore & Apoſtolis eſt conſtitutus*: Quod ipſum Chryſoſtomus dixit *Homil.* XXXVIII. *in* 1. *Cor.* XV., Αὐτὸς γὰρ αὐτὸν λέγεται χειροτονηκέναι καὶ Ἐπίσκοπον ἐν Ἱεροσολύμοις πεποιηκέναι πρῶτον, *Ille enim* (Chriſtus) *fertur Jacobum ordinaſſe primumque Epiſcopum in Hieroſolymis feciſſe*. Auctor *Conſtitutionum Apoſtol. in lib.* VIII. *cap.* XXXV. Jacobum ſic loquentem inducit, Κἀγὼ Ἰάκωβος ἀδελφὸς μὲν κατὰ σάρκα τοῦ Χριστοῦ, δοῦλος δὲ ὡς Θεοῦ μονογενοῦς, ἐπίσκοπος δὲ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ τῶν ἀποστόλων Ἱεροσολύμων χειροτονηθεὶς τάδε φημί, *Ego Jacobus Frater quidem Chriſti in carne, ſervus vero ejuſdem ut Dei unigeniti, Epiſcopus autem Hieroſolymitanus ab ipſo Chriſto & ab Apoſtolis ordinatus hæc dico*. Exempla adſtrui non oportet aliorum Epiſcoporum, qui apud Veteres modo ab Apoſtolis, modo a Chriſto renuntiati eſſe ferebantur. Ea enim e ſacris antiquitatibus facile percipi poſſunt.

Accedit quod Divini Scriptores litteris mandarunt, Deum multiplicis generis ſacros adminiſtros creaſſe, qui, quamquam non idem munus gerebant, tamen eo conſpirare deberent, ut omnis Eccleſia conſenſu & concordia concineret. Apud Paulum in Epiſtola ad Epheſios cap. IV. Chriſtus dicitur dediſſe τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστάς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους, *alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores*. Porro in Epiſtola ad Coloſſenſes cap. XII. docemur, Deum in Eccleſia conſtituiſſe πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους, ἔπειτα . . . κυβερνήσεις, *primum Apoſtolos, tum Prophetas, item Doctores, deinde . . . . gubernationes*. Ex his locis ſequitur, univerſam gubernandæ Eccleſiæ formam, quæ tempore Apoſtolorum exiſtebat, Deo auctori eſſe adſcribendam. Hæc autem forma non modo Presbyteros, ſed his majores gradu & poteſtate Epiſcopos complectebatur. Ergo quis abnuet ex Divino mandato fuiſſe conſtitutos Epiſcopos Presbyterorum Præſides. Ipſe Grotius in commentariis ad Epiſtolam, quæ Epheſiis ſcripta eſt, opinatur ποιμένας *Paſtores*, quos Chriſtus delegit, eoſdem eſſe ac Eccleſiarum Præſides ſive Epiſcopos. Sic ille in ea verba, τοὺς δὲ ποιμένας *alios autem Paſtores*, *Paſtor apud Judæos vocabatur Gubernator Synagogæ. Id nomen in Eccleſia competit* τῷ προεστῶτι τῷ κοπιῶντι ἐν λόγῳ *Præſidi, laboranti in verbo*, 1. *Tim.* V. 17., *qui* κατ' ἐξοχὴν (*per excellentiam*) *dictus* ἐπίσκοπος, *Epiſcopus, inſpector gregis. Nam docere eſt paſcere*. Quæ cum is confiteatur, prorſus omni ſublato certamine concedat neceſſe eſt, Epiſcopos Divino jure eoque quod nunquam abrogari poteſt, Eccleſiis & Presbyteriis præeſſe.

Ac Joannes quidem in Apocalypſeos capite primo non obſcuris verbis tradidit, Apoſtolos ſingularibus Eccleſias Epiſcopis mandaſſe non modo Chriſti conſenſu, ſed voluntate & nutu. Narravit ille nobis, ſeſe ad ſeptem Angelos, qui Eccleſias in Aſia regebant, Chriſti juſſu Epiſtolas ſcripſiſſe, in quibus eos optimis præceptis imbueret. Hebræi Summos Sacerdotes ſolebant *Angelos* dicere, quod Dei mandata ad Populum, & preces Populi ad Deum deferrent. Diodorus Siculus de Judæis apud Pho-

Pliſtum, Ἀρχιερέα τοῦτον προσαγορεύουσι καὶ νομίζουσι αὐτοῖς ἄγγελον γενέσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων, *Summum Sacerdotem eum dicunt, & exiſtimant eſſe Angelum ſive Nuntium juſſorum Dei*. Itaque omnium communis eſt opinio, illos, qui Angeli dicuntur in Apocalypſi, eoſdem fuiſſe ac Presbyterorum τοὺς προεστῶτας *Principes* ſive Epiſcopos, quos Joannes Apoſtolus ſeptem Aſiæ Eccleſiis præfecerat. Optime Andreas Cæſarienſis in iis commentariis, quos evolvimus in extremo volumine VII. *Opp. Joan. Chryſ. an.* 1596., Ἑπτὰ ἐκκλησίαις ἰσάριθμοι ἔφοροι ἄγγελοι λέγονται, *Septem Eccleſiarum totidem Ephori* (hoc eſt Epiſcopi) *Angeli dicuntur*: de qua Apocalypſεως interpretatione Jacobus Uſſerius in Opuſculo *de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine pag.* 4., Hammondus *in Diſſ.* II. *cap.* IV., Pearſonius *part.* II. *cap.* XI. *Defenſ. Epiſt. Ign. pag.* 410. *tom.* II. *PP. Apoſtolicorum*, Chriſtophorus Cellarius *de* VII. *Eccleſiis Aſiæ* aliique, quos nominare longum eſſet. Grotius quidem non abnuit Angelos, quos Joannes in Apocalypſi, imperante Domino, litteris compellavit, Eccleſiarum extitiſſe Epiſcopos, quod is argumento eſſe putavit, præfecturam Epiſcoporum Chriſto fuiſſe probatam. Sed in eo ipſo tanta inerat vis, ut elicere potuiſſet, omnem ſingularium Epiſcoporum poteſtatem & juriſdictionem a Chriſto eſſe conſtitutam. Si nanque Chriſtus, qui modo Eccleſiam condiderat, Epiſcopos ei præfectos in litteris juſſit de officiis admoneri ſuis, profecto ita habuit, eos non modo ſua ipſius approbatione, ſed ſuo ſcito & Imperio præeſſe. Atque illud valet, quod Chriſtus in ſecundo Apocalypſεως capite dicitur κρατεῖν τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ *tenere ſeptem ſtellas in dextera ſua*. Nam *ſtellæ* illæ erant Angeli ſive Antiſtites ſeptem Eccleſiarum, quod Joannes paulo ante explicaverat, Οἱ ἑπτὰ ἀστέρες, ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσι, *ſeptem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*. Quocirca illorum verborum perſpicua eſt ſententia, apud Chriſtum maximo eſſe Epiſcopos in pretio, & tanquam gemmis, quibus manus noſtræ ornantur, auroque contra cariores, ita ut in dubium vocari non poſſit, quin Chriſtus Epiſcopale munus nunquam antiquari in Eccleſia voluerit. Ex quo intelligi par eſt, Divinam fuiſſe legem de Epiſcopis creandis, qui Presbyteris tum munere tum juriſdictione eſſent majores in ſingulis regendis Eccleſiis.

Hæc quum docuerimus, porro Grotius non urgendus eſt aliis argumentis, quæ ex novi Fœderis libris colligi poſſent, & potiſſimum illo omnium celeberrimo, quod in capite xx. v. 27. Apoſtolicorum actorum nititur. In eo enim Paulus dicitur a Mileto Epheſum miſiſſe & Epiſcopos evocaſſe, quos ita affatus ſit, *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Quoniam enim Cathari & Puritani dictitant, eos, quos Apoſtolus Epiſcopos dixit, ſecundi ordinis fuiſſe Antiſtites, plures enim erant in una Epheſina Eccleſia, & paulo poſt iidem Presbyteri appellantur, ſane oporteret contra eos primum diſputationem inire, ut quod evictum eſſet, Grotio opponere poſſemus: ſed in dialecticis iſto diſſerendi genere interdictum eſt, in quo certamen ex certamine inſtitui ſolet.

V. At enim conſenſus veterum Patrum aſſerendus eſt, qui expreſſis verbis docuere, Epiſcopos Divino jure Eccleſias procurare. Ordiamur a Clemente Romano, qui in epiſtola prima ad Corinthios de omnibus Eccleſiæ moderatoribus ſic dixit, Οἱ ἀπόστολοι ἡμῖν εὐαγγελίσθησαν ἀπὸ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, Ἰησοῦς ὁ χριστὸς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐξεπέμφθη ὁ Χριστὸς οὖν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ οἱ ἀπόστολοι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ἐγένοντο οὖν ἀμφότερα εὐτάκτως ἐκ θελήματος Θεοῦ. Παραγγελίας οὖν λαβόντες . . . κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν, *Apoſtoli nobis Evangelium expoſuere a Domino Jeſu Chriſto; Jeſus Chriſtus a Deo: Miſſus eſt Chriſtus a Deo, & Apoſtoli a Chriſto. Itaque acceptis mandatis . . . prædicantes per regiones & urbes primorum Chriſtianorum, quos ſpiritu probaſſent, optimos quoſque in Epiſcopos & diaconos cooptavere eorum, qui credituri erant*. Videamus autem ecquos Epiſcopos & Diaconos Clemens Pontifex nominaverit. Hoc enim eo magis quærendum eſt, quod Presbyterorum ordo in illius verbis neglectus eſſe videtur. Illis quidem temporibus, cum ipſe vivebat, nomina illa

illa omnium erant communia qui Eccleſiam adminiſtrabant. Nam Epiſcopus dicitur Chriſtus I. *Petr.* II. 25. Epiſcopi vocantur Apoſtoli *Act.* I. 20. Epiſcopi appellantur, qui primi ordinis ſunt Antiſtites & veri Epiſcopi I. *Tim.* III. 2. & *Tit.* I. 7. omnium Patrum judicio: At Epiſcopi *Philipp.* I. 1. Sacerdotes ſunt *ſecundi gradus* δευτέρου θρόνου, quod ſentiunt Chryſoſtomus, Œcumenius, Theophylactus, & Theodoretus. Sic & Diaconis nomen fuit omnibus iis, qui ad gerendam Eccleſiam acceſſerunt. Nam Antiſtites omnes ſive Epiſcopi ſive Presbyteri in Apoſtolicis monumentis nuncupantur, διάκονοι, διάκονοι θεοῦ, vel χριστοῦ, vel ἐκκλησίας, vel εὐαγγελίου, vel καινῆς διαθήκης, vel δικαιοσύνης, *Miniſtri*, *Miniſtri Eccleſiarum*, *Miniſtri Dei*, vel *Chriſti*, vel *Evangelii*, vel *novi Fœderis*, vel *juſtitiæ*. Univerſus Ordo Eccleſiaſticus dictus eſt διακονία *miniſterium*. Ex quo Hieronymus in commentariis in Epiſtolam ad Philemonem verba illa, quæ leguntur Coloſſ. IV. 17., Καὶ εἴπατε Ἀρχίππῳ, βλέπε τὴν διακονίαν ἣν παρέλαβες ἐν Κυρίῳ, *& dicite Archippo vide diaconiam, quam accepiſti in Domino*, ita intellexit, ut Archippum eſſe Epiſcopum arbitraretur. His ita poſitis facile intelligi poteſt, Clementem, cum de Epiſcopis & Diaconis commemoravit, omnem Sacrorum Præfectorum cœtum ſpectaſſe, quem Apoſtoli ad regendam Eccleſiam conſcripſerunt. Nanque quum dixiſſet, Epiſcopos & Diaconos ab Apoſtolis fuiſſe creatos, ſtatim allatum eſt illud Iſaiæ LX. 17. Καταστήσω τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ, *Conſtituam Principes tuos in pace & Epiſcopos tuos in juſtitia*. In his enim verbis deſcribendis Clemens mutavit Ἄρχοντας *Principes* in διακόνους *Diaconos*, ut propheticum oraculum ſic efferret, Καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ τοὺς διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει; *Conſtituam Epiſcopos eorum in juſtitia, & Diaconos eorum in fide*. Cur nimirum ille ita ageret, probabilior ea eſt cauſa, quod omnes Eccleſiæ Præfectos communi voce appellare Diaconos ſolebat. Huc accedit, eum in tota epiſtola univerſum Eccleſiaſtici Ordinis munus λειτουργίαν *liturgiam* dixiſſe, qua voce deinde ſolum Diaconorum officium ſignificari Veteres juſſere. Quæ quidem ſi accurate perſpiciantur, ſatis perſpicuum erit, Clementem Corinthiis tradidiſſe, Apoſtolos Divino mandato omnes Eccleſiarum adminiſtros delegiſſe, penes quos ſacrorum eſſe regimen voluerunt. Accipimus autem ex clariſſimis litterarum monumentis eorum adminiſtrorum Principes fuiſſe Epiſcopos, qui poteſtate & juriſdictione cæteros anteirent, quod quidem Grotius libenter concedit. Igitur auctor nobis eſt Clemens, Epiſcopos ſive Presbyterorum Præſides ab Apoſtolis non arbitrio ſuo, ſed Divino numine & juſſu fuiſſe conſtitutos.

Clementi ſuppar eſt Ignatius Martyr, vir Apoſtolicus & vere Θεοφόρος, qui in epiſtola ad Epheſios dixit: ut Chriſtus Eccleſiæ Moderator eſt renuntiatus Summi Dei voluntate, ſic Epiſcopos ad Eccleſiæ gubernacula eſſe admotos Chriſti ſapientiſſima lege. Hæc ille, Πρέπον οὖν ἐστὶν κατὰ πάντα τρόπον δοξάζειν Ἰησοῦν Χριστόν. . . . ἵνα ἐπιτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, κατὰ πάντα ἦτε ἡγιασμένοι. . . Καὶ γὰρ Ἰησοῦς χριστὸς τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τοῦ Πατρὸς ἡ γνώμη, ὡς καὶ οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν, *Decet itaque modis omnibus honorem habere Domino Jeſu Chriſto . . . . ut ſubjecti Epiſcopo & Presbyterio ſanctitate animum imbuatis: . . . Etenim Jeſus Chriſtus, inſociabilis noſtra vita, Patris eſt ſententia, ut & Epiſcopi per terræ terminos definiti ex Jeſu Chriſti ſunt ſententia*. Sed plurimum ponderis in iis eſt, in quibus Ignatius exiſtimavit, Chriſtum loco Dei, Epiſcopum loco Chriſti, & Presbyteros loco Apoſtolici Senatus rem ſacram adminiſtrare, ut ſine Epiſcopo Eccleſia eſſe non poſſit. Ille enim cum in aliis ferme epiſtolis ſuis, tum in ea quam ad Smyrnæos miſit, ſic eos commonefecit, Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρί, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς τοῖς ἀποστόλοις· τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς Θεοῦ ἐντολήν . . . ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω, ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, *Omnes Epiſcopum ſequamini, ut Jeſus Chriſtus Patrem, & Presbyterium, ut Apoſtolos. Diaconos autem revereamini, ut Dei manda-*

tum . . . *Rata Euchariſtia habeatur illa, quæ ſub Epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſe-*
rit. Ubi erit Epiſcopus, ibi & multitudo ſit, quemadmodum ubi fuerit Chriſtus Jeſus,
ibi Catholica eſt Eccleſia. Hæc tam eximia & tam ſingularia in Apoſtolico ævo de
Epiſcopis credi & dici non potuiſſent, niſi eos Religioni & Eccleſiæ maxima cum
auctoritate præeſſe Chriſtus juſſiſſet.

Antiquiſſimis his viris adjungendus eſt Irenæus, qui Polycarpum audiverat, Do-
ctorem Apoſtolorum ferme æqualem. Is putavit, illos πρεσβυτέρους *majores natu*,
quos Paulus Act. xx. 28. evocavit, partim fuiſſe Presbyteros Epheſinæ Eccle-
ſiæ, partim Epiſcopos qui Eccleſias ab Epheſiis propius recedentes regebant, ita
ut utriſque diceret a Spiritu Sancto munus eſſe mandatum, quod ad cujuſque pecu-
lium pertinebat, *In Mileto*, inquit, *convocatis Epiſcopis & Presbyteris, qui erant ab*
Epheſo, & a reliquis proximis Civitatibus, quoniam ipſe (Paulus) *feſtinaret Hieroſoly-*
mis Pentecoſten agere, multa teſtificans iis, & dicens, quæ oportebat Hieroſolymis eve-
nire, adjecit, Scio quoniam non videbitis faciem meam . . . . Attendite igitur & vobis
& omni gregi, in quo vos Spiritus Sanctus præpoſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Domi-
ni Lib. III. cap. XIV. pag. 201. ed. Venetæ an. 1734. Non quærimus equidem an
Apoſtoli mentem Irenæus recte expoſitam habuerit, ſed quid in ea explicanda ipſe
cenſuiſſet. Nanque iis verbis aperte docuit, ſingulares Eccleſiis Epiſcopos ab ipſo Deo
fuiſſe præfectos.

Sequuntur cæteri Patres, inter quos Origenes dixit, Epiſcopos ſui temporis pu-
taſſe, præfecturam illam, quam in ſacris habebant, ſibi eſſe creditam a Domino in
iis verbis, quibus Petrum affatus eſt, Eccleſiæque eundem Præſidem conſtituit. Eos
quidem non objurgavit eximius Doctor, quaſi ſacrum aliquem Principatum ſibi tribue-
rent, quem Chriſtus non dediſſet, ſed ſolum monuit, ut omnia diligenter gererent,
quæ tantæ dignitati congruerent: *Quoniam ii*, inquit, *qui Epiſcoporum locum ſibi vin-*
dicant, utuntur & dicto, ſicut Petrus, & claves Regni Cælorum a Servatore accepere;
docentque ea, quæ ab illis ligata fuerint, hoc eſt condemnata, eadem & in Cælis liga-
ta, rurſus ea, quæ ſoluta fuerint ab ipſis, eadem & in Cœlis eſſe ſoluta, dicendum eſt
illos recte loqui, ſi pariter & facta habuerint, ob quæ dictum eſt illi, qui erat Petrus,
Tu es Petrus, *ſique tales fuerint, ut a Chriſto ſuper eos ædificetur Eccleſia* Tom. XII.
in Matth. pag. 286. *edit. an.* 1743. Cornelius Romanus Pontifex An. CCXXV. in epi-
ſtolis ſuis communi omnium ſententia affirmavit, ſingulis Catholicis Eccleſiis unum
eſſe dandum Epiſcopum, qui ab ipſo Deo eligeretur, & ab eodem Sacerdotium ſuum
acciperet. Nam in Epiſtola VI. inter Epiſtolas Romanorum Pontificum in editione
Coutantii, quæ eſt XLVIIII. inter Cyprianicas in editione Oxonienſi & XLVI. in edi-
tione Pamelii, attulit Maximum, Urbanum, Sidonium & pleroſque Fratres ita loquen-
tes, *Nos Cornelium Epiſcopum Sanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ electum a Deo omnipo-*
tente & Chriſto Domino noſtro ſcimus; nos errorem noſtrum confitemur; nos impoſturam
paſſi ſumus, circumventi ſumus perfidia & loquacitate captioſa . . . Nec enim ignoramus,
unum Deum eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, unum Spiritum
Sanctum, unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere. Et in Epiſtola ad Fabium
Antiochenum, quæ eſt IX. apud Coutantium, ſcripſit Novatianum, cum is *Epiſco-*
patum ſibi ἄνωθεν *deſuper minime conceſſum, præter fas ſibi arrogare & ſubripere cona-*
retur . . . . ignoraſſe ἵνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ *unum Epiſcopum eſſe*
oportere in Catholica Eccleſia. Quorſum enim illa pertineant, Epiſcopos creari a Deo,
& Epiſcopatum ἄνωθεν *deſuper* eſſe conſtitutum, niſi declarent, Epiſcopos Divino jure
ſedere in Eccleſiis? Cyprianum iiſdem temporibus Antiſtitem Carthaginenſem & do-
ctiſſimum ſane virum conſtat fuiſſe. Is in epiſtola XXXIII., quæ de lapſis conſcripta eſt,
perſpicuo dicendi genere uſus eſt ad proferendam Divinam Epiſcoporum originem:
Dominus noſter, inquit, *cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſcopi honorem,*
& Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur & dicit Petro, Ego tibi dico,
quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo
claves

claves Regni Cœlorum, & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis, *inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur. Cum hoc itaque Divina lege fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſſe, quando Eccleſia in Epiſcopo & Clero ſit conſtituta?* In eandem ſententiam loquuntur alii Patres, qui vel Cypriano ſuppares fuere, vel deinde extiterunt, ut, ſi omnium teſtimonia expromerentur, nimis longa eſſet oratio noſtra. Dicamus potius de Hieronymo, Auguſtino & Epiphanio, quos opinioni ſuæ favere Grotius exiſtimavit.

VI. Atque parumper enitamur, efficiamuſque neceſſe eſt, ut Hieronymi mens & ſententia perſpicua ſit, qui, cum in Presbyteri honore ſolum verſaretur, inter omnes Patres optime meruiſſe de Presbyteris videtur. Accedit porro, eos univerſos, qui Hierarchiam ab Eccleſia ſuſtulere, auctorem ſibi eſſe Hieronymum maxime jactitaſſe, in quorum numero ſunt Salmaſius *in Diſſ. de Epiſcopis & Presbyt.*, Blondellus *in Apologia pro ſententia Hieronymi*, & Joannes Franciſcus Buddeus *in Diſſ. de orig. & poteſt. Epiſcoporum contra Henricum Dodwellum*. Quidquod inter noſtros nonnemo eximium Doctorem pro Aerio ſtetiſſe in animum induxerit ſuum? Is eſt Michael Medina, quem contra dixere Cardinalis Bellarminus *in libro de Clericis cap.* xv., & eruditiſſimus Petavius *in libro* II. *Hier. Eccleſiaſt. cap.* VIII. Igitur Hieronymi integrum exponamus locum, ex quo Grotius comma delibavit hoc, *Epiſcopos evaſiſſe majores Presbyteris magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate.* Eum vero ex commentariis in Paulinam Epiſtolam ad Titum cap accurate perſequemur, ut ne Puritanus quidem homo aliquid eſſe neglectum dolere poſſit, quod non omiſſum voluiſſet. Doctiſſimus Pater in iſtis commentariis conſtituit, eundem eſſe Presbyterum, qui & Epiſcopus eſt. Atque, cur ſic haberet, plurimis argumentis uſus eſt, quæ ex Apoſtolicis Epiſtolis duxit. Primum protulit, Paulum ad Philippenſes epiſtolam miſiſſe, quam ſolis Epiſcopis & Diaconis inſcripſit, quin ullum alium inter utroſque ordinem interponeret; Idque animadvertit, in Philippis, quæ una erat Macedoniæ Civitas, complures exſiſtere non potuiſſe Antiſtites eorum ſimiles, qui temporibus ſuis Epiſcopi dicebantur. Addit, in Apoſtolicis Actis cap. 20. commate 17. ab Epheſiis eundem Paulum evocaſſe τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας *majores natu* hoc eſt *Presbyteros Eccleſiæ*, quos com. 28. ſic affatus ſit, *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus* ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ *poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Tenes quorſum hæc evadunt, eoſdem ſacrorum Paſtores appellari Presbyteros & Epiſcopos. Tum ille promit epiſtolam ad Hebræos, in qua Divinus Scriptor plebem juſſit Principibus ſuis parere, unam nimirum plebem ſive Eccleſiam multis Principibus ſive Epiſcopis, *parete*, inquit, *Principibus veſtris, & ſubjecti eſtote, ipſi enim ſunt, qui vigilant pro animabus veſtris*. Hi Principes, quibus una Eccleſia parere debebat, quum plures eſſent, Presbyteri erant, quamquam Epiſcopi dicebantur. Poſtremo recitantur verba, quibus Petrus in prima Epiſtola Presbyteros ita alloquutus eſt, ut iis omnem Eccleſiæ gubernationem mandaret, *Presbyteros ergo*, inquit Petrus, *in vobis obſecro compresbyter . . . paſcite eum, qui in vobis eſt, gregem Domini*. Hæc Hieronymus, facile ut concludat, Presbyteros communi conſilio olim Eccleſias adminiſtraſſe. *Poſtquam autem*, ſic ipſe rationem aperit ſuam, *unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto Orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & Schiſmatum ſemina tollerentur . . . Sicut ergo Presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cum haberet ſolus præeſſe Populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus Populum judicaret*. Similis eſt Hieronymo oratio in Epiſtola ad Evagrium, quam num. LXXXII. *al.* LXXIII. *tom.* IV. *Opp. ed. Martianæi* reperies.

 Quum

Quum enim ex iis Apoſtolicis locis, quæ allata fuerant in commentariis, docuiſſet eoſdem in Principe Eccleſia eſſe Epiſcopos, qui & Presbyteri erant, porro effecit unum deinde Presbyterum eſſe delectum, qui cæteris antiſtaret, ne diſcordia res laberentur. Itaque prodit, Alexandriæ a Marco Evangeliſta ad Heracleam & Dionyſium in moribus fuiſſe illud receptum, ut *Presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominarent*. *Quid enim facit*, ſic pergit, *excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Et paulo poſt, *Ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron, & Filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri & Diaconi vindicent in Eccleſia*. Habes expoſita ea ferme omnia, quæ de Presbyteris, iiſdemque nomine Epiſcopis Hieronymus litteris conſignavit. Hæc in diverſas ſententias accipiuntur. Qui Puritanorum & Luteranorum partes ſequuntur, illi conficiunt eundem fuiſſe Epiſcopis & Presbyteris ordinem, idem utriſque munus, eandem dignitatem in Apoſtolico ævo, quamquam deinde Epiſcopi Presbyteris moribus antelati fuerunt ad conſervandam animorum conſenſionem. At Grotius colligit, ab ipſis Apoſtolis delatam eſſe Eccleſiarum præfecturam Epiſcopis, quibus Presbyteri parerent, ſed nullo Divino mandato, ita ut ea antiquari vel longo intervallo intermitti poſſet, ſi hoc e Republica & e Religione foret. Agendum autem nobis eſt cum ſolo Grotio, contra quem dicimus in Hieronymianis iſtis, quæ exprompta ſunt, nihil momenti eſſe ad Divinum tollendum mandatum, ex quo Apoſtoli Epiſcopos renuntiavere Presbyteris ordine & poteſtate majores.

Atque abnui quidem non poteſt, Hieronymum in animum induxiſſe ſuum, Presbyteros eoſdem fuiſſe ac Epiſcopos, ſed hos ſic excelluiſſe deinde, ut Eccleſiam ſoli adminiſtrarent. Fuit illius æqualis Falcidius Diaconus Romanus, qui animo nimis elatus collegas ſuos inter Presbyteros eminere in muneris dignitate contendebat: *Audio quendam*, inquit Hieronymus in epiſtola ad Evagrium, *in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris idest Epiſcopis anteferret .... quis patiatur menſarum & viduarum miniſter ut ſupra Presbyteros ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur*. Igitur ad coercendam deprimendamque hominis audaciam præſtantiſſimus Doctor optimum eſſe illud differendi genus cenſuit, ſi oſtenderet, Presbyteros olim non fuiſſe infra Epiſcoporum dignitatem poſitos, antequam unus deligeretur, qui cæteris præeſſet. Illud reſtat, ut quæratur an ab initio utroſque in univerſo Sacerdotio extitiſſe pares exiſtimaverit. Duo ſunt, quæ in Epiſcoporum dignitate & nomine continentur, cum ordo, in quo illi conſtituti ad eximia quædam facienda ſacra jus habent, potiſſimum ad creandos Epiſcopos alios & Presbyteros, tum auctoritas gubernandæ regendæque Eccleſiæ. Ac Epiſcopi Presbyteris in ordine maxime præſtant, quod Epiphanius in Hæreſi 75. contra Aerianos ſic expreſſit, ut doceret ab Epiſcopis procreari Patres, a Presbyteris vero tantum liberos, Ἡ μὲν γάρ, inquit, ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις. πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ. ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν .... τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, *Hic ordo* (epiſcopalis) *gignendorum Patrum Eccleſiæ vim habet*, *ille vero* (presbyteralis) *non patres*, *ſed liberos Eccleſiæ generat*. Patres Epiphanius intelligit Epiſcopos & Presbyteros, qui ab Epiſcopis progignuntur, liberos vero pro Chriſtianis accipit, quos per baptiſmum Presbyteri tollunt.

Redeamus ad Hieronymum. Quoniam is ſatis cavebat, ne ab Eccleſiæ ſententia diſcederet, neutiquam ſane duxit, Epiſcopos & Presbyteros eſſe pares in ordine, qui Epiſcoporum ſingularis eſt & ampliſſima quædam Pontificatus munia complectitur. Quinimo hoc ſummum ſe caput affirmavit, in quo Presbyteros Epiſcopi antecelluntt, *Quid enim facit*, ait, *excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat*. Puritani perperam agunt, qui hæc verba ad ſolos Epiſcopos contrahunt, qui Hieronymianæ ætatis erant æquales perinde ac Presbyteris ante illud ævum ordinare licuerit. Nanque Hieronymus, cum dixit, nihil *Epiſcopos facere*, *excepta ordinatione*, *quod Presbyteri non faciunt*, id tempus ſpectavit, in quo nihil præcipuum, excepta ordinatio-

natione, Epiſcopis tribuebatur. Quodnam vero hujuſmodi tempus commemorari potuiſſet, niſi apoſtolicum? Etenim poſtea non ſolum jure creandorum Sacerdotum, ſed multis aliis rebus Epiſcopi cæteros Paſtores ſuperabant. Accedit quod Hieronymus manifeſtis verbis declaravit Epiſcopos Divinæ legis juſſu a Presbyteris in ordine eſſe diverſos, nec illorum munus ab Apoſtolorum arbitratu originem cepiſſe. Poſtquam enim ille Epiſcopis poteſtatem creandorum Sacerdotum tribuiſset, quam Presbyteris ab Eccleſiarum primordiis ademit, ita perorat in epiſtola ad Evagrium, ut concludat, in Eccleſia ab initio eandem eſſe Miniſtrorum deſcriptionem, quæ erat in Synagoga. *Quod Aaron, inquit, & Filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri & Diaconi vindicent in Eccleſia*. Sic enim rem expreſſit, quaſi docuiſſet, Epiſcopos a Presbyteris & utroſque a Diaconis ea Divini juris auctoritate diſtare, ex qua ſummus Templi Pontifex inter Sacerdotes eminebat, & Sacerdotes Levitis præſtabant. Hunc ad locum Presbyterianorum tota factio perhorreſcit. Blondellus enimvero in *Apologia* & Salmaſius *in diſſertatione de Epiſcopis & Presbyteris*; quamvis fidenter promiſiſſent, ſeſe propediem explicaturos, quid Hieronymus ſentiret, cum Eccleſiæ Hierarchiam eandem eſse commemoravit, ac illam, quæ erat in Templo, fidem tamen nunquam liberavere ſuam. Ludovicus autem Cappellus & Buddeus integrum comma neglexerunt, quod Puritanis exprobravit *in Diſſertat.* 12. *cap.* XXVIII. doctiſſimus Hammondus.

Igitur ſequitur Hieronymum exiſtimaſse, Paſtores omnes, qui in apoſtolico ævo floruerunt, non unius eſse ordinis, idque in commentariis ad Paulinam epiſtolam, & in litteris ad Evagrium oratione ſua ſtuduiſse, ut Epiſcopos & Presbyteros in poteſtate tantum gubernandæ Eccleſiæ eſse pares evinceret. Ac ille quidem Epiſcopos non tanquam primi ordinis Antiſtites, ſed veluti Rectores & Moderatores Eccleſiarum reſpexit. Nanque in iiſdem illis commentariis Epiſcopum docuit *nomen eſſe officii* ſive *regiminis & præfecturæ*. Ea eſt appellationis ratio apud Græcos & Latinos ſcriptores, ad quos eximius Doctor & Græci Latinique ſermonis conſultiſſimus prorſus ſpectavit. Apud Heſychium enimvero Ἐπισκοπος dicitur βασιλευς & φυλαξ tum *Rex* tum *Cuſtos*. Hectorem Trojanorum & Troiæ ἐπισκοπον Iliadis ω, 742. uxor ſua vocavit. In Avibus Ariſtophanis inter Dramatis perſonas unus eſt ὁ Ἐπισκοπος, qui cum poteſtate ad novam inſpiciendam regendamque Civitatem erat delectus. Is ita loquitur,

Επι. Επίσκοπος ἥκω δεῦρω, τῷ κυάμῳ λαχων
Eἰς τὰς νεφελοκοκκυγιας . . . .
Epi. *Epiſcopus ego huc venio, ſortitu fabæ
Ad Nephelococcygias* . . . . .

In quem locum Scholiaſtes hæc ſcripſit, Οἱ παρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι ἐπίσκοποι καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο. οὓς οἱ λάκωνες ἁρμοστας ἔλεγον, *Illi qui ab Athenienſibus ad Civitates mittebantur Imperio ſuo ſubjectas, ut rerum ibi ſtatum inſpicerent, Epiſcopi & Cuſtodes vocabantur, quos Lacedæmonii Harmoſtas vocabant*. Conſtat autem inter omnes publicam Harmoſtis fuiſse procurationem, qualem apud Romanos habuere Proconſules aut Proprætores; qui temporibus Reipublicæ in provincias veniebant, vel Præſides ſub Imperatoribus. Harpocratio Harmoſtas expoſuit Ἀρχοντας *Magiſtratus, qui a Lacedæmoniis ad Urbes Imperii ſui mittebantur*. Heſychius Harmoſtam intellexit *curatorem Civitatis Imperio obtemperantis*. De Epiſcopis porro tanquam publicis gubernatoribus meminere Pollux in lib. III. cap. 3. Suidas & Paſsardus cap. XXXV. de Republica Athenienſium. Accedimus ad Latinos, quorum inſtitutis Magiſtratus Municipalis Epiſcopus nuncupabatur. Cicero in epiſtola 11. lib. VII. ad Atticum ſcripſit, ſeſe *Terræ Campanæ & maritimæ oræ* a Pompeio conſtitutum eſse *Epiſcopum, ad quem delectus & ſumma negotii referretur*. Arcadius Imperator in *Pandectis l ult.* §. 7. *Tit. de muner. & Honor.* Epiſcopos vocat, *qui præſunt pani & cæteris venalibus rebus*, quæ Civitatum populis ad quotidianæ vitæ rationem uſui ſunt. Sed hæc prætereunda ſunt, de quibus Pancirolus *de Magiſtratibus*

tibus municipalibus & præſertim Meurſius *in Antiq. Atticis*.

Noverat Hieronymus, non modo apud Philippos, ſed Epheſi & in aliis Eccleſiis multos extitiſse Paſtores, quos Epiſcopos Apoſtoli dixere. Quumque eos principis ordinis Pontifices eſse non potuiſse eam ob cauſam duceret, quod plures in una Urbe manerent, facile effecit pleriſque apoſtolicis Eccleſiis ſolos Presbyteros præfuiſſe, qui communi conſilio rem Catholicam gubernarent, & Epiſcopi hoc eſt quaſi ſacrorum moderatores vocarentur. Illas nimirum partes, quæ verſantur in jubendis canonibus, in conſervanda Religione, in adminiſtrandis pleriſque ſacramentis, in gerenda cœleſti juriſdictione, & in vindicanda Eccleſiæ ſalute Presbyteris, iiſdemque nomine ſolum Epiſcopis eſse communes Hieronymus arbitratus eſt ita, ut hæc & alia complura non ſingulari alicujus auctoritate, ſed omnium conſilio & ſcito peragerentur. Hæc ille ſenſit, quem contra complures docti viri dicunt, Presbyteros, quos Apoſtoli Epiſcopos vocavere, ſummos fuiſse Antiſtites, eorumque veluti collegium in aliquibus Urbibus extitiſse, a quibus facile capi poſsent, qui novis & natis in diem Chriſtianis communitatibus præficerentur. Iſtud enim in primordiis Chriſtianæ Reipublicæ Apoſtolos factitaſse cenſent, cum dignos viros, qui Pontificatum ſuſciperent, ubique invenire non licebat: de quo alias dicetur. Nunc Hieronymi mentem explicare pergamus. Is porro veterem Eccleſiarum ſtatum, qui plures ſine ullo Præſide complectebatur Presbyteros, credidit, pleriſque Apoſtolis nondum demortuis, fuiſse mutatum, ut deinde unus ab omnibus renuntiaretur, qui cæteris ad conſervandum animorum conſenſum præeſset in gerendo gubernandi munere, idem qui primi ordinis Epiſcopus eſset & univerſas ſummi Sacerdotii partes expleret. Itaque plane intelligi par eſt, quorſum valeant iſta, quæ ſunt in epiſtola ad Evagrium, *Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos* in more fuiſse, *ut Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominarent*; & hæc alia, quæ deſcripta ſunt ex commentariis in paulinam epiſtolam ad Titum; *In toto orbe decretum eſſe, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret* . . . . atque idcirco noſse Epiſcopos debere, *ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores*. Omnis hæc oratio eo evadit, ut declaret, principio ſacram regendæ cujuſque Eccleſiæ auctoritatem penes Presbyterium reſediſse in ævo apoſtolico, donec unus ei præſes daretur, ad quem cuncta negotia referrentur.

Quapropter Hieronymi ſententia, quæ hactenus explicata eſt, in anguſtum concludatur, ut paucis intelligi poſſit: Si nimirum ad Epiſcopos veluti Eccleſiarum gubernatores reſpicias, eorum ſacer hic magiſtratus in priſcis ſive apoſtolicis inſtitutis nititur, ſin ad eoſdem ſpectes quaſi ad illos, qui in ampliſſimo Pontificatus gradu collocati ſunt ſummumque Sacerdotium gerunt, ipſorum ordo Chriſtum habet auctorem. Nanque in gubernandi regendique jure Presbyteri olim Epiſcopis pares fuere: Illi nanque communi conſilio Eccleſias procurabant, antequam conſuetudo apoſtolica oriretur, quæ ad Epiſcopos omnium ſacrorum regimen tranſtulit: Sed hæc ſi tollatur, iis licebit ad priſtinam aſpirare dignitatem. Sic enim Hieronymus, qui ſane de Epiſcopis contra exiſtimavit, atque antiquitas docebat. Nam reliquorum Patrum vetus eſt opinio, Epiſcopos Divino jure Eccleſiarum gubernacula & capeſsere & tractare, ſive iis ſummam gerendarum Eccleſiarum poteſtatem *non ſola conſuetudine, ſed diſpoſitionis Dominicæ veritate* convenire, quod alias pluribus diſſeretur. Qualiſcunque vero Hieronymi ſit ſententia, certe Arminiano noſtro non favet, qui arbitratur, Epiſcopos ex apoſtolicis tantum moribus primi ordinis Antiſtites fuiſse conſtitutos idque habuiſse, ut Presbyteros ſacerdotio antecellerent.

VII. Accedamus ad Auguſtinum & Epiphanium, qui nullum Divinum mandatum de creandis principis ordinis Præſulibus proferre Grotio videntur. Sed is plane fallitur. Auguſtinus quidem in Epiſtola LXXXII. olim XIX. *tom.* II. *opp.* docet, *Epiſcopatum presbyterio eſſe majorem ſecundùm honorum vocabula quæ Eccleſiæ uſus obtinuit*. Sed

quo

quo hæc dixerit loco, intelligi convenit: Scripſit ille ad Hieronymum, virum ingenio eximium, omni liberali doctrina præſtantiſſimum, & de Religione atque Eccleſia optime meritum. In eo ſcilicet fuit officio, ut pluribus honeſti animi ſignificationibus tantum Doctorem proſequeretur. Inter cætera, quæ ſummæ exiſtimationis erant argumenta, modeſtiſſimis verbis dixit, ſeſe *multis in rebus Hieronymo eſſe minorem*, utcunque elogia, quibus utroſque Eccleſia afficiebat, majorem ſui honorem continerent: *Quamquam*, inquit Auguſtinus, *ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt*. Hæc qui crederet ad detrahendam Epiſcoporum Ordini Divinam originem pertinere, næ is ampliſſimorum virorum dignitatem metietur ea oris verecundia, qua de ſeipſo quiſque loqui ſolet. Quinimo morem illum Auguſtinus, quem *Eccleſiæ uſum* dixit, Divina lege eſſe inſtitutum, eaque firmatum cenſuit. Nam in eo libro, quem *de Hæreſibus* ſcripſit *ad QuodvultDeum cap.* LIII. *tom.* VIII. *opp. ed. Par. S. Maur.*, Aerium in Hæreticorum numero repoſuit, *qui Presbyterum ab Epiſcopo nulla ratione diſcernebat*. Atque nefas erat aliquem Hæreticis adſcribi, niſi ea docentem, quæ Divino juri eſſent contraria. De Auguſtino hactenus equidem. Epiphanius autem, cum contra Aerium de primo capite Paulinæ Epiſtolæ ad Philippenſes diſputaret, illud ita explicavit, ut ab Eccleſiæ incunabulis tres fuiſſe ſacrorum adminiſtrorum ordines declararet Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum in eo ipſo commate, quod Grotius deſcripſit. Illud *in Hæreſi* 75. legitur, Ἔγραψεν, inquit, ὁ ἅγιος Ἀπόστολος ἐπισκόποις καὶ διακόνοις. Οὐ γὰρ πάντα εὐθὺς ἠδυνήθησαν οἱ ἀπόστολοι καταστῆσαι. Πρεσβυτέρων γὰρ ἐγίνετο χρεία, καὶ διακόνων, διὰ γὰρ τῶν δύο τούτων τὰ ἐκκλησιαστικὰ δύναται πληρωθῆναι. ὅπου δὲ οὐχ εὑρέθη τις ἄξιος ἐπισκοπῆς, ἔμεινεν ὁ τόπος χωρὶς ἐπισκόπου. ὅπου δὲ γέγονε χρεία, καὶ ἦσαν ἄξιοι ἐπισκοπῆς, κατεστάθησαν ἐπίσκοποι. πλήθους δὲ μὴ ὄντος, οὐχ εὑρέθησαν ἐν αὐτοῖς πρεσβύτεροι κατασταθῆναι, καὶ ἠρκέσθησαν ἐπὶ τῷ κατὰ τόπον μόνῳ ἐπισκόπῳ κ. λ. *Scripſit Apoſtolus Epiſcopis & Diaconis. Neque enim ſubinde omnia ab Apoſtolis ordinari poterant: & quidem Presbyteris in primis & Diaconis opus erat, a quibus videlicet ambobus Eccleſiaſtica negotia adminiſtrari poſſent. Quare ubi nondum Epiſcopatu dignus aliquis occurrebat, nullus ei loco præpoſitus eſt Epiſcopus. At ubi & neceſſitas poſtulabat, nec eorum, qui Epiſcopatu digni erant, copia deerat, ibi Epiſcopi conſtituti. Sed cum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuere, qui Presbyteri crearentur, unde ſolo Epiſcopo contenti fuerunt*. Ex his Grotius effecit, aliquas ab Apoſtolis fuiſſe conditas Eccleſias, quæ ſolo Presbyterorum conſilio regerentur, nec ullam Epiſcopi operam deſiderarent. Sed Epiphanius id ne ſuſpicatus eſt quidem. Hic enim Apoſtolos docuit, Eccleſias ita conſtituiſſe, ut non in omnibus Epiſcopos ſimul & Presbyteros crearent, ſed in iis, in quibus vir aliquis eximius non reperiebatur, tantum Presbyteros & Diaconos renuntiarent, in aliis vero Epiſcopum ſolum ſcriberent, ſi quem dignum invenirent, qui ad eam dignitatem accederet, nec Epiſcopo Presbyteros adjungerent, ſi nulli eſsent, qui gerere Sacerdotium recte poſsent. Atque hanc cauſsam attulit, quamobrem Apoſtolus epiſtolam ad Philippenſes Epiſcopis ſolum & Diaconis inſcriberet.

VIII. Jamvero refellamus illud neceſse eſt, quod quaſi opinioni accommodatum ſuæ Grotius affirmavit, poteſtatem Χειροτονίας (*ordinandi*) Presbyterorum eſse omnium communem, ſi modo illam, ſublato Epiſcoporum contemptu, ſibi adſcribant. Nam quid magis univerſæ contrarium eſse poſſit antiquitati, quæ optima Divini juris interpres eſt? Docemur enim perpetua illius fide, jus, quod verſatur cum in conferendo Sacerdotio, tum in dandis gradibus, per quos ad Sacerdotium pervenimus, Epiſcopis ita fuiſse tributum, ut illud ſibi vindicare Presbyteris nunquam licuiſset. Antiquorum Patrum canones Clericos omnes a ſolis Epiſcopis ad ſacros admoveri ordines jubent. Qui primus inter Apoſtolicos reponitur, Ἐπίσκοπος, inquit, Χειροτονείσθω ὑπὸ Ἐπισκόπων δύο, ἢ τριῶν, *Epiſcopus a duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur*, Secundus vero ita ſciſcit, Πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς Ἐπισκόπου Χειροτονείσθω καὶ Διάκονος, καὶ οἱ λοιποὶ Κληρικοὶ, *Presbyter ordinetur ab uno Epiſcopo, nec non Diaconus & reliqui Clerici*.

rici. In illis, quæ dicuntur Clementis διατάξεις (*conſtitutiones*) in lib. III. cap. 11., tam Epiſcopum, quam Presbyterum, Diaconum & Hypodiaconum ab Epiſcopis in honore & gradu quemque ſuo eſse conſtituendos auctor declarat ex Apoſtolorum mandato. Idem in libro VIII. cap. 28. Presbyteris fas eſse negat, Presbyteros alioſque Clericos conſecrare. Chryſoſtomus, qui Presbyterorum rebus plurimum ſtuduit, Timotheum effecit non Presbyterum, ſed eſse Epiſcopum, quod Apoſtolus ei ἐπίθεσιν τῶν Χειρῶν *poteſtatem ordinandi* crediderit: Διάκονος, inquit, ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. Διὰ τοῦτο γράφων καὶ Τιμοθέῳ ἔλεγε, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, ἐπισκόπῳ ὄντι ὅτι γὰρ ἐπίσκοπος ἦν, φησὶ πρὸς αὐτὸν, Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει, *Ipſe Epiſcopus vocabatur Diaconus. Idcirco ad Timotheum ſcribens*, inquit, Diaconiam id eſt miniſterium tuum imple, *quum tamen ille Epiſcopus eſſet: quod conſtat ex verbis illis ad eundem ſcriptis*, manus cito nemini impoſueris, *Hom.* I. *in Philipp. tom.* IV. *in edit. Francofordienſi*. Quumque præſtantiſſimus ſane & diſertiſſimus Doctor Paulinam mentem I. *Tim.* IV. 14. explicaret, οὐ περὶ, ait, πρεσβυτέρων φησὶν ἐνταῦθα, ἀλλὰ περὶ ἐπισκόπων, οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν, *non de Presbyteris hoc in loco, ſed de Epiſcopis* (Apoſtolus) *loquitur: Neque enim profecto Presbyteri ipſum Epiſcopum ordinant*. Quibus verbis ille declaravit, legem, quæ Presbyteros a jure ordinandi arcebat, cum ipſo Epiſcoporum munere eſse ortam, & ab eodem Auctore perlatam qui Epiſcopos creaverat. Hanc ad conſervandam legem Eccleſia ſummo ſtudio advigilavit, ita ut ſi quos in aliquo Sacerdotii gradu poſitos a Presbyteris videret, eos ſtatim abdicaret, ſive potius eos nunquam in Clericorum fuiſse numero doceret. Conſtat Epiſcopos ex Ægypto, Thebaide, Libya & Pentapoli in Alexandrina Synodo fuiſse congregatos, eoſdemque pro Athanaſio Alexandriæ Antiſtite epiſtolam ad omnes Chriſtiani Orbis Præſules & præſertim ad Julium Romanum Pontificem miſiſse: in qua ſanctiſſimi Patres illud ſibi ſumunt, perinde atque certum & commune eſset omnium dogma, Presbyteros præditos non eſse poteſtate ordinandi. Adductus erat in crimen Athanaſius, quaſi Iſchyræ ſacra factitanti inferri vim juſſiſſet: At illi objecere nec Athanaſium cum Iſchyra ſic egiſse, nec Iſchyram fuiſse Presbyterum, quod a Collutho in Sacerdotio conſtitutus eſse dicebatur, qui non Epiſcoporum, ſed Presbyterorum ordini erat adſcriptus. Afferamus eorum verba, Οὗτος δὲ ἐστιν ὁ πολυθρύλλητος Ἰσχύρας, ὁ μήτε ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας Χειροτονηθεὶς, καὶ ὅτε τοὺς ὑπὸ Μελετίου κατασταθέντας πρεσβυτέρους Ἀλέξανδρος ἐδέχετο, μηδὲ ἐκείνοις συναριθμηθείς. οὕτως οὐδὲ ἐκεῖθεν κατεστάθη. πόθεν οὖν πρεσβύτερος Ἰσχύρας; τίνος καταστήσαντος; ἆρα Κολλούθου; τοῦτο γὰρ λοιπόν. Ἀλλ' ὅτι Κόλλουθος πρεσβύτερος ὢν ἐτελεύτησε, καὶ πᾶσα Χεὶρ αὐτοῦ γέγονεν ἄκυρος. καὶ πάντες οἱ παρ' αὐτοῦ κατασταθέντες ἐν τῷ Χίσματι λαϊκοὶ γεγόνασι, καὶ οὕτω συνάγονται, δῆλον, καὶ οὐδενὶ καθέστηκεν ἀμφίβολον, πῶς οὖν ἰδιώτης ἄνθρωπος, καὶ οἰκίσκον οἰκῶν ἰδιωτικὸν, ποτήριον ἔχειν μυστικὸν πιστευθείη, *Hic eſt ille toties rumoribus jactatus Iſchyras, qui neque ab Eccleſia electus Presbyter, neque cum a Meletio conſtitutos Presbyteros Alexander in Eccleſiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit. Ita nec illinc quidem conſtitutus eſt. Unde igitur Presbyter eſt Iſchyras? aut a quonam ordinatus? Utrum a Collutho? Hoc enim reſtat. Atqui Colluthum in Presbyteratu mortuum eſſe, & omnem ab illo factam manuum impoſitionem irritam, omneſque, quos in ſchiſmate ordinaverat ille, ad laicorum gradum redactos, & inter laicos in Eccleſia congregari notum eſt, nec ulli omnino dubium. Quinam ergo privatus homo, & privatam domunculam incolens, myſticum credatur habere poculum*, apud Athanaſium in Apolog. tom. I. pag. 193. ed. Pariſ. CIϽIϽCXCVIII. Itaque Sardicenſis Synodus in Can. XIX. quoſdam Presbyteros, quos Eutychianus & Muſæus, ambo Presbyteri ad Sacerdotium evexerant, profanorum hominum loco eſse reponendos ſancivit. Cur ita Eccleſia decreverit, facile intelligi poteſt. Putavit enim, jure quod ad ſacrandos Clericos valeret, Presbyteros omnino caruiſse, ut ſi illud exercerent, ex novi Fœderis lege nihil agere exiſtimarentur. Si enim contra ſenſerit, hoc in judicando conſilium cepiſset, ut quos Presbyteri ſacraverant, tametſi injuſtos eſse Clericos duceret, attamen veluti eximii ordinis homines

nes nec prorſus profanos haberet. Quemadmodum Eccleſia in Epiſcopis & Presbyteris eos cenſuit, quos Meletius fecerat Epiſcopus, qui tamen omni abdicatus fuerat Sacerdotio. Ex quo ſequitur, Presbyteris ne Epiſcoporum quidem conceſſu aut mandato eam fieri poteſtatem, quæ ad χειροτονίαν (ordinationem) ſpectaret.

Prolatus eſt a novis Catharis & Puritanis Canon XIII. Ancyranus, cujus ſententia eſſe videtur, Chorepiſcopos & Presbyteros ſæpe ad conſtituendos Clericos acceſſiſſe, ſi hoc ipſum eis Epiſcopus Civitatis mandaverit. Mentem vero illi Ancyranorum Patrum non tenuere, quæ modo paucis expromenda eſt. Canon quidem in Codice Juſtelliano græce conceptus eſt in hæc verba, Χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι, πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν. ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ, *Chorepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare; ſed neque Urbis Presbyteros, niſi cum litteris ab Epiſcopo permiſſum fuerit, in aliena Parochia*. Dionyſius Exiguus pro μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως *neque Presbyteros Civitatis* legit μηδὲ πρεσβυτέροις *neque Presbyteris*, & pro ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ *in aliena Parochia* ſubſtituit ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ *in unaquaque Parochia*: Nanque ſic canonem convertit, *Chorepiſcopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, ſed neque Presbyteris Civitatis ſine præcepto Epiſcopi vel litteris, in unaquaque Parochia*. At Iſidorus & Hervetus nonnulla adjunxerunt, *ſed nec Presbyteris*, inquiunt, *Civitatis, ſine Epiſcopi præcepto, amplius aliquid imperare, vel ſine auctoritate litterarum ejus in unaquaque Parochia aliquid agere*. Illi forte in Codicem inciderunt, in quo Canon ita legebatur, Ἀλλὰ μηδὲ Πρεσβυτέροις πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου, πλέον τι ἐπιτάττειν, ἢ καὶ μὴ μετὰ γραμμάτων αὐτοῦ ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ τι ποιεῖν. In ea græcorum latinorumque Codicum varietate quidnam Ancyrani Patres conſultaverint & verbis expreſſerint, cum ignariſſimis intelliges. Ac Zonaras quidem & Balſamon, cum codicem ſequuti eſſent illius ſimilem, quem Juſtellus in Bibliotheca juris Canonici veteris evulgavit, arbitrati fuerunt in Ancyrana Synodo conveniſſe, ut Chorepiſcopi prohiberentur injuſſu Epiſcopi non modo Presbyteros & Diaconos conſecrare, qui in agris ſacra facerent, ſed multo magis eos Presbyteros, qui in Urbe munus ſuum obirent. Exiſtimaverat aliquis, cui Hervetianus codex placuit, Ancyranos Patres de Chorepiſcopis & Presbyteris urbicis egiſſe, nec tamen de utriſque idem ipſum decretum voluiſſe: De Chorepiſcopis quidem id rogaſſe, ut iis ſine Epiſcopi mandato nec Presbyteros nec Diaconos in ruſticanis Eccleſiis facere liceret, de urbicis autem Presbyteris, ut ipſi ſacram ullam rem in Eccleſia gerere non poſſent, niſi concedente Epiſcopo. Iſti quidem Interpretes non male diſſerunt. Attamen Canon, qualis legitur apud Dionyſium Exiguum, porro explicandus eſt, tum quod Dionyſius optimis Codicibus uſus eſt, tum quod in eo plurimum momenti eſſe ad tollendam Hierarchiam Puritani obſtrepunt. Perſpicuum eſt, Dionyſiani auctores Canonis non modo Chorepiſcopis ſed Presbyteris urbicis dediſſe cujuſque Clericos ordinis conſecrare, ſi Epiſcopus Civitatis juſſerit. Dicimus autem tam Chorepiſcopos, quam illos Civitatis Presbyteros, quos Ancyrana Synodus commemoravit, non in numero extitiſſe ſimplicium Presbyterorum, ſed veros fuiſſe Epiſcopos, qui ſummum rite Sacerdotium ſuſceperint. Atque multi quidem ex noſtris hominibus Turrianus *in Not. ad Can.* LIV. *Concil. Nicæn. Arab.*, Antonius Auguſtinus *in lib.* VI. *Tit.* I. *Epit. juris Canon.*, Bellarminus *in lib.* I. *cap.* VII. *de Clericis*, Cabaſſutius *in Notit. Concil. cap.* VIII. & Petrus de Marca *Conc. lib.* II. *cap.* XIII. in animum ſuum induxere, Chorepiſcopos a Presbyteris nec auctoritate, nec munere eſse diverſos, niſi quos Χολάζοντας ἐπισκόπους *vacantes Epiſcopos* ruſticanis regionibus Eccleſia aſſignaſſet. His auctoribus concinunt Salmaſius ſive Walo Meſſalinus *in cap.* V., Spalatenſis *in part.* I. *lib.* II. *cap.* IX., & omnes fere Puritani. Sed nihiloſecius, contra atque iſti ſentiunt, antiquitas non alios habuit Chorepiſcopos, quam eos, quibus Epiſcopalis dignitas eſſet adjuncta. Antiochena Synodus de iis ita dicit in Canone X., Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους Χωρεπισκόπους, εἰ καὶ Χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰλη-

φῶντες, *Qui in vicis vel ruſticanis regionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcopalem perceperint & ut Epiſcopi conſecrati ſint*. Unus vero Athanaſius ſatis effecit, ne diu de Chorepiſcopis quæratur: Nam in Apologia II. eos tanquam majores ſacrorum Antiſtites a ſimplicibus Presbyteris disjunxit, ὁ Μαρεώτης, inquit, Χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας ἐστὶ, καὶ οὐδέποτε ἐν τῇ χώρᾳ γέγονεν ἐπίσκοπος, οὐδὲ χωρεπίσκοπος . . . . ἕκαστος δὲ τῶν πρεσβυτέρων ἔχει τὰς ἰδίας κώμας μεγίστας, *Mareotes regio eſt Alexandrina, in qua nunquam Epiſcopus fuit, aut Chorepiſcopus . . Presbyteri autem ſinguli ſuos vicos habent maximos*. Itaque Chorepiſcoporum cauſſa contra eos, qui Epiſcopalem iis honorem ademere, fortiter excellenterque evicta eſt ab eruditis viris, in quibus ſunt Dionyſius Petavius *in lib.* II. *cap.* XI. *Eccleſ. Hier.*, Barlovius Epiſcopus Anglus, Hammondus *in Diſſ.* III. *cap.* VIII. *contra Blondellum*, Beveregius *in Not. ad Can.* XIII. *Conc. Ancyr. Pand. tom.* II., Caveus *in P.* I. *cap.* VIII. *Prim. Chriſt.*, quin & ipſe Blondellus, qui pro Chorepiſcopis longam diſſertationem ad refellendum Marcam conſcripſit. Jamvero, quod rei caput eſt, diſpiciamus, cujus dignitatis illos eſſe Presbyteros Ancyrani Patres exiſtimaverint, quibus jus ſacrandi Presbyteros & Diaconos ademere, niſi iſtud Epiſcopus eis commiſerit. Simplices quidem eſſe non potuere Presbyteri, quod his ante Ancyranam Synodum faciendæ χειροτονίας *ordinationis* poteſtas nunquam delata eſt. Nanque ſi unquam ea eſset illis data, hanc certe rem non tacuiſsent ſuperioris temporis Concilia, Patres, omneſque Scriptores, qui de Presbyteris diſseruerunt. Igitur ſi quos in Eccleſiæ hiſtoria Epiſcopos extitiſse reperiemus, qui inter urbicos Presbyteros fuerunt & inter illos locum ſibi vindicarunt, profecto eos eſse dicendum eſt, quibus omnes Summi Sacerdotii partes liceret explere, Epiſcopo Civitatis permittente. Atque de Epiſcopis iiſdemque urbicis Presbyteris loquitur Ancyrana ipſa Synodus in canone XVIII. & canoni, quem explicamus, plurimum lucis affert: Εἴ τινες Ἐπίσκοποι καταστάθέντες, καὶ μὴ δεχθέντες ὑπὸ τῆς παροικίας ἐκείνης, εἰς ἣν ὠνομάσθησαν, ἑτέρας βούλοιντο παροικίας ἐπιέναι, καὶ βιάζεσθαι τοὺς καθεστῶτας, καὶ στάσεις κινεῖν κατ᾽ αὐτῶν, τούτους ἀφορίζεσθαι. Ἐὰν μέντοι βούλοιντο εἰς τὸ πρεσβυτέριον καθέζεσθαι, ἔνθα ἦσαν πρότερον πρεσβύτεροι, μὴ ἀποβάλλεσθαι αὐτοὺς τῆς τιμῆς, *Si qui Epiſcopi ordinati ſunt, nec recepti ab illa Parochia, in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare Parochias, & vim Præſulibus inferre, ſeditiones adverſus eos excitando, hos abjici placuit. Quod ſi voluerint in Presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut Presbyteri reſidere, non abjiciantur propria dignitate.* Quiſque ex eo canone percipit, nonnullos Ancyranis temporibus fuiſse Epiſcopos, qui ab Eccleſiis, ad quas regendas diſceſserant, quum recepti non eſsent, in urbe aliqua Presbyteris ſeſe adſcribere ſolebant. Hos Præſules, qui ad Presbyterium redibant, quaſi non infrequentes commemorant Antiocheni Patres in canone decimo octavo, in quo *Epiſcopos ordinatos ad Parochiam minime, cui erant ordinati, accedentes, non ſuo vitio, ſed quod eos aut Populus vitabat, aut propter aliam cauſſam non tamen eorum vitio perpetratam*, jubent *eſſe & honoris & miniſterii participes, dummodo nihil moleſti Eccleſiæ rebus exiterint, in qua miniſtrant*. Alia porro in more Majorum erat ratio, ob quam Presbyterorum Senatus Epiſcopis ſæpe compleretur. Nanque conſilium a Veteribus captum eſt, ut Epiſcopos, qui ab Hæreſi vel Schiſmate ad Catholicam Eccleſiam venirent, Clero adcenſerent. Sic Nicæna Synodus, quæ Ancyranæ ſuppar fuit, in canone octavo ſancivit, ut Cathari hoc eſt Novatiani, ſi qui ab animo hæreſin depellerent, in eodem quem habebant, gradu reciperentur, ac ſi quidem nullus in urbe eſset Epiſcopus, illi ipſi locum occuparent, ſin quis Epiſcopus urbem regeret, Presbyteri dignitatem ſibi tribuerent, niſi titulo magis eximio eos afficere vellet Catholicus Epiſcopus: *Ubicunque vero*, ait Synodus, *ſive in municipiis, ſive in Civitatibus ipſi ſoli reperti fuerint ordinati: qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perſeverent. Ubi autem Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo, vel Presbytero conſtituto, quidam ex illis adveniunt, certum eſt, Epiſcopum Eccleſiæ habere Epiſcopi dignitatem*. Ὁ δὲ, ſic pergit, ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς Ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ Πρεσβυτέρου

τιμὴν

τιμὴν ἕξει. πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ Επισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν. εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ Χωρεπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο Επίσκοποι ὦσιν, *Is autem qui nominatur apud eos, qui Cathari dicuntur, Epiſcopus, honorem presbyterii poſſidebit, niſi forte placuerit Epiſcopo nominis eum honore cenſeri. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero prorſus eſſe videatur, ne in una Civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere*. His de cauſſis complures Presbyteri iidemque Epiſcopali poteſtate in Orientis Provinciis verſabantur, iis temporibus cum Ancyrana Synodus coacta eſt. Qui quidem quum fidenter vel temere munia Summi Sacerdotii peragerent & Clericos omne genus crearent, de iis Synodus legem condidit, ne eam rem deinde auderent ſine Epiſcopi mandato. Itaque ſatis explicatus eſt canon decimus & tertius Ancyranus, qui contra Catholicam Hierarchiam facere videbatur. Cætera, quæ Puritani afferunt, nullam vim habent, quamquam ea omnia refellenda ſuſceperunt doctiſſimi viri & præſertim Dionyſius Petavius in *lib.* II. *cap.* IX. *de Eccl. Hier.* contra Salmaſium, & Binghamus in *lib.* II. *cap.* III. *Originum Eccleſiaſticarum*. Quapropter ſumma veterum omnium conſenſio eſt, munus, quod poſitum eſt in ſacrandis Clericis, ad ſolos Epiſcopos pertinere. Eam firmant duo Presbyterorum Patroni, Hieronymus & Chryſoſtomus, qui ſic docet, Οὐ πολὺ τὸ μέσον αὐτῶν πρεσβυτέρων καὶ ἐπισκόπων. Καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς Εκκλησίας. Καὶ ἃ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις ἁρμόττει. Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. *Inter Epiſcopum & Presbyterum intereſt ferme nihil. Quippe & Presbyteris munus docendi & Eccleſiæ cura permiſſa eſt, & quæ de Epiſcopis dixit Paulus, ea etiam Presbyteris congruunt, ſola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur*, *Hom.* XI. *in* I. *Timot.* III. 8. *Tom.* VI.

Perſequamur, quæ contra Antiquitatis conſenſum Grotius diſputavit. Ille enim dixit, Veteres, qui Presbyteris jus ordinandi non ineſse docuerunt, in eam ſententiam eſse intelligendos, perinde atque Presbyteri prohiberentur, ne illud, contempto Epiſcopo, exercerent. Quapropter attulit canonem III. Concilii Carthaginienſis IV., in quo ſancitum eſt, ut Epiſcopo Presbyterum ordinanti adjungantur alii Presbyteri, qui ſimul manus imponant. At enim vir doctus inepte fallitur. Carthaginienſis canon ſic habet, *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*. In his verbis, id quod caput eſt, ſive conſecrationis opus ſoli Epiſcopo adſcribitur. Dum autem conſecrandi negotium peragitur, Synodus præcipit Presbyteros tantum manus ſuas prope Epiſcopi manum componere, ita ut hic ritus non ad rem conficiendam, ſed ad eam exornandam reſpiciat. At Grotius perrexit. Nanque objecit, ſe non intelligere, cur, ubi Epiſcopi non ſunt, jus ordinandi Presbyteris tribuendum non ſit. Scilicet Arminianus non vidit, aut videre noluit, jus conſecrandi oriri ex ea poteſtate ordinis, quæ in Presſiyteris deſideratur, quæque in ſolis Epiſcopis ineſt. Perperam commemorantur litteræ, quas Cyprianus, demortuo Fabiano Pontifice, ad Clerum Romanum ſcripſit. Sanctiſſimus enim Antiſtes cum eo Clero tantum de cauſa lapſorum conſultabat, non autem de iis negotiis agebat, quæ in Pontificii Ordinis poteſtate continebantur. Nanque de illa cauſa Presbyteri Romani deliberare poterant, ſiquidem hoc ipſum ad Eccleſiæ regimen pertinebat, quod penes eos erat, donec novus Epiſcopus renuntiatus non eſset. Attamen illi ob ſummam modeſtiam ea de re nullum conſilium capiendum eſse duxere, ſed Epiſcopum expectaverunt. Sic enim ipſi in epiſtola 30. apud Cyprianum *edit. Oxon.*, *Ante conſtitutionem*, inquiunt, *Epiſcopi nihil innovandum putamus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credidimus, ut interim, dum Epiſcopus dari a Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſſa teneatur*. At Grotius hic contra ediſseruit: Epiſcoporum erat, eos, quos pœnitebat

 pecca-

peccati ſui, abſolvere & baptizatis manus imponere. Hæc tamen munia, ſi ita uſus erat, Presbyteris committebantur. Cur ergo χειροτονια iis non poterat mandari? Huc accedit, quod Presbyteri, cum nullus iis Epiſcopus præeſt, veri Epiſcopi ſunt juxta atque Senatus ſine Rege quaſi Rex Rempublicam adminiſtrat. Quam ſtulte hanc rationem ille concludit! Univerſa enim antiquitas nos docet, duplicis generis fuiſse munia, quæ ab Epiſcopis exercentur. Alia in ipſo Summo Sacerdotio hærent, nec peragi poſsunt, niſi ab iis, qui ejuſdem ſunt ordinis, qualis eſt χειροτονια, alia vero Epiſcopis delata ſunt ευταξιας boni regiminis cauſa, quorum in numero ſunt Virginum ac Viduarum conſecratio, Ædium ac Templorum dedicatio, id quod erat *pœnitentes reconciliare* & hujuſmodi cætera. Atque nuſquam reperies in tot veterum Canonum copia Presbyteris datum eſse, ut ii munia primi generis obirent. Carebant ipſi poteſtate & gradu, qui ad ea conficienda depoſcebatur. At vero, quæ poſtremi ſunt generis, illis procuranda facile credebantur. Hæc enim inſunt in jure regendæ Eccleſiæ, quod, dante Epiſcopo, a Presbyteris exſeri poteſt. Cum ergo Chriſtiana aliqua Civitas Epiſcopo caret, Senatus Presbyterorum illius locum ingreditur, non quidem in iis, quæ Pontificiæ ſunt dignitatis, ſed tantum in tractandis Eccleſiæ gubernaculis. Cyprianus jam diſceſſurus (damnatus enim erat ad Leones) in epiſtola 14 ad Clerum Carthaginenſem his verbis eum admonuit, *ut vice ſua fungatur* non in rebus peragendis, quæ ad Epiſcoporum ordinem pertinent, ſed *circa gerenda ea, quæ adminiſtratio religioſa depoſcit*. Atque male argumentum ducitur a Senatu, qui, cum defeciſſet Regis domus, quaſi Rex Imperium ſuſcipit. Poteſtas enim, quæ in guberuanda Republica verſatur, non ordinis, ſed regiminis eſt.

X. Reliquum eſt illud, quod Arminianus noſter diſceptavit de hujuſmodi jure, in quo Epiſcopi inter Presbyteros eminent, num id conſtitutum eſſet exemplo Gentilium & veterum Hebræorum, apud quos unus pluribus Sacerdotibus præerat, an Synagogæ auctoritate, quæ a pluribus Præſulibus regebatur, quorum unus alterum poteſtate ſuperabat. Ille enim exiſtimavit, Apoſtolos qui Epiſcopos reliquis Sacerdotibus majores crearunt, ad Synagogam reſpexiſſe, quamquam ſic habuit, eos ad Gentium & Hebræorum Summum Pontificatum ſpectare potuiſſe. Atque Grotio quidem ita diſputare placuit, contra quem libere dicimus, congruentem eam non eſſe orationem, in qua apoſtolicæ Hierarchiæ origo vel apud Synagogam, vel apud Gentes & veteres Hebræos confuſe inveſtigetur. Nos igitur omnino dividimus iſtam totam de Apoſtolicæ Eccleſiæ Præfectis quæſtionem in tres partes. Primum docendum eſt, eos ex Templo moſaico fuiſſe ſuſceptos, deinde ex Gentium moribus ſumi non potuiſſe, poſtremo iis Præſulibus non reſpondere, qui Synagogas ſive Eccleſiaſticos Hebræorum cœtus moderabantur. Primum ediſſerere paucis aggredimur. Omnes quidem Patres Divinam eſſe ſacrorum Antiſtitum deſcriptionem cenſuerunt, quam Apoſtoli odornarunt, atque eam pene moſaici Templi. Jacobus Uſſerius Armachanus in Opuſculo *de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine* ſacros Templi adminiſtros ita lectos fuiſſe duxit, ut Sacerdotes & Levitæ in plures curias tribuerentur, ſingulas curias unus Præſul regeret, ſed Præſules quidam Rector anteiret & omnibus Pontifex maximus præeſſet: ex quo ſic arbitratus eſt, Sacerdotibus & Levitis in novo Fœdere Presbyteros & Diaconos congruere, Sacerdotum & Levitarum Præſulibus Epiſcopos & Archidiaconos, Præſulum Rectoribus Archiepiſcopos & Pontifici maximo Chriſtum Summum Sacerdotem. Atque doctus ille Theologus ita ſenſit. Sed nobis cum Grotio certamen eſt de Apoſtolica Hierarchia, quæ Archiepiſcopos & Archidiaconos non complectebatur. Itaque omnis ratio noſtra eſt hujuſmodi, Apoſtolos non arbitratu ſuo, ſed ex lege, quam a Summo Pontifice Chriſto acceperant, Eccleſiis Epiſcopos præfeciſſe, qui Presbyteros auctoritate & juriſdictione antecellebant, perinde atque in Hebræorum Republica plures erant Sacerdotes (כהנים) iiſque minores Levitæ, omniumque maximus unus Sacerdos (כהן גדול) & idem ſummus Præſes. Sic enim explicanda eſt Patrum ſententia. Audiamus Clementem Apoſtolicorum temporum virum & Romanum

num Pontificem, qui in Epiſtola ad Corinthios, Τῷ γὰρ Ἀρχιερεῖ inquit, ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί. καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται· καὶ Λευΐταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται. ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασι δέδεται. Ἕκαστος ὑμῶν, ἀδελφοί, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω Θεῷ ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα, *Summo quippe Sacerdoti ſua munera tributa ſunt. Sacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt: & Levitis ſua miniſteria incumbunt. Laicus præceptis laicis conſtringitur. Unuſquiſque veſtrum, Fratres, in ſuo ordine manens, Deo in bona conſcientia gratias agat, & cum decore intra præſcriptum miniſterii ſui canonem ſe contineat*. His verbis Clemens exprompteam habet eorum Antiſtitum compoſitionem, qui ſacris præerant in Templo, eandemque docet in novi Fœderis Eccleſia fuiſſe renovatam. Poſtquam nempe ille Sacerdotum & Levitarum ordines commemoravit & inter eos ſummum unum Sacerdotem dixit, Corinthios ſic affatus eſt, *Unuſquiſque veſtrum in ſuo ordine maneat*. Sequitur enim apud Corinthios extitiſſe Ἀρχιερέα *Summum Sacerdotem* ſive Epiſcopum maximo Hebræorum Pontifici reſpondentem, tum ἱερεῖς *Sacerdotes* ſive Presbyteros & Λευΐτας *Diaconos* quæ omnis erat moſaici Templi Hierarchia. Iſtud ipſum declarant veteres omnes a Clemente Doctores, cum Epiſcopum Summum Sacerdotem appellant, & Presbyteros Sacerdotes vocant, de quo doctiſſimus Guilielmus Beveregius *in lib.* II. *Cod. canon. prim. Eccl. vind. & illuſt. cap.* XV. Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium ex omnium Patrum conſenſu, *Ut ſciamus*, inquit, *traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron, & Filii ejus & Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Eccleſia*. Quocirca gubernandæ Eccleſiæ forma temporibus Apoſtolicis ex Templi inſtitutis temperata eſt.

XI. Nunc alterum quærendum eſt, num Apoſtoli in condendo Eccleſiæ ſtatu & in creandis Epiſcopis ad Gentium mores ſpectare potuerint. In dubio non eſt, quin Religionum talis fuerit conſtitutio apud Ethnicos, ut faciundis regundiſque ſacris complures Pontifices creati eſſent, inter quos ſummus unus cæteris antiſtaret. Grotius ad eam unius Pontificis præfecturam probandam tres antiquos teſtes protulit, Thucididem, Strabonem & Marcellinum, quorum Thucidides *in lib.* I. *pag.* 21. *edit. Amſtel.* 1731. interprete ſcholiaſte, dicit, Corcyræos in publicis ſacris nec honorem Corinthiis habuiſſe, nec ab iiſdem Pontificem evocaſſe, contra atque cæteræ Coloniæ cum Metropolibus ſuis agebant, quem morem uberrime illuſtravit. Ezechiel Spanhemius *de præſtan. & uſu Numiſm. antiq. pag.* 575. Hæc vero nondum efficiunt, in collegio Pontificum unum eſſe maximum, omniumque præſidem, quamquam ad perſpicuitatem declarant, Sacerdotibus Metropoleon eam præcipuam auctoritatem fuiſſe delatam, ut in Coloniis Religiones moderarentur. Alii vero duo, qui afferuntur, ex ſententia loquuntur. Strabo *in lib.* 7. VII. *Geog. pag.* 449. *ed.* 1707. quum deſcriberet triumphum, quem Germanicus junior egit, Ἐπόμπευσε, ait, δὲ καὶ Λίβυς τῶν Χάττων ἱερεύς, *ductus eſt per triumphum Libys Chattorum Sacerdos*. Libys hic Sacerdotum princeps erat, quia is unus nominatur, quum complures in manum hoſtium veniſſent. In more enim Chattorum erat, ut Sacerdotes in bello coercerent, animadverterent, vincirent, verberarent, item adverſam aciem prælio victam Diis devoverent, quæ omnis res ab uno geri non poterat. Sed Marcellinus in libro XXVIII. expreſſis verbis Summum omnium Pontificem nominavit, *Apud Burgundios generali nomine Rex appellatur Hendinos, & ritu veteri, poteſtate depoſita, removetur, ſi ſub eo fortuna titubaverit belli, vel ſegetum copiam negaverit terra, quemadmodum ſolent Ægyptii caſus ejuſmodi adſignare Rectoribus. Ac Sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Siniſtus: & eſt perpetuus, obnoxius diſcriminibus nullis, ut Reges* His teſtibus uſus eſt Grotius, quibus adjungi poſſunt plures Græci Latinique auctores, quorum monumenta facile inveniuntur apud Henricum Cardinalem Norisium *in diſſ.* I. *cap.* 5. *Cenotaph. Piſan.*, item apud Antonium Van Dale *diſſ. de Pontif. maximo, Vicario Pontificis & Rege ſacrorum in volum. diſſertationum ad antiquit. e marmor. illuſtrand.*, tum apud Gutherium

tium *in lib.* I. *&* II. *de jure pontificio* & apud Andream Boſium *de Pontificatu maximo Romæ veteris* alioſque, quibus immortale eſt apud eruditos nomen.

Quoniam igitur apud Gentiles Religiones a Collegio Pontificum regebantur, quorum caput erat Pontifex maximus, id quærendum eſt, an ſacræ gubernationis ea ratio ex legibus Gentium nata eſſet, ita ut ex iis Hierarchiam componere ſuam Apoſtoli potuiſſent. Atque res illa omnis quamvis interpolata ad veteres Græcos a Phœnicibus vel Ægyptiis, ad hos vero ab Hebræis pervenit. Nanque quum multa inſtituta, quæ ad Hebræos Sacerdotes pertinebant, in ſolo Divini Legislatoris arbitrio niterentur, hæc tamen ad Ethnicos Sacerdotes translata fuerunt. Capiebantur apud pleroſque Gentilium Populos ex certis familiis Sacerdotes, ſicut in Hæbræa Republica omnes erant Aharonidæ. De Ægyptiis Herodotus *in libro* II. *cap.* 37. ἱρᾶται ἱερεύς, inquit, δὲ οὐχ εἷς ἑκάστου τῶν θεῶν, ἀλλὰ πολλοί, τῶν εἷς ἐστι ἀρχιέρευς, ἐπεὰν δέ τις ἀποθάνῃ, τούτου ὁ παῖς ἀντικατίσταται, *Sacerdos creatur non unus cujuſque Deorum, ſed multi, quorum unus eſt maximus: ubi quis demortuus eſt, filius ejus ſubrogatur.* Eundem ſuccedendi morem ad Rhodios detulit Cadmus, de quo Diodorus Siculus *in lib.* v. *Bibliothecæ pag.* 377. *ed. Jacobi Weſten* 1745., Ὁ Κάδμος . . . . διασωθεὶς ἱδρύσατο κατὰ τὴν νῆσον τοῦ θεοῦ τούτου (Ποσειδῶνος) τέμενος, καὶ τῶν φοινίκων ἀπέλιπε τινὰς τοὺς ἐπιμελησομένους. Οὗτοι δὲ καταμιγέντες Ἰαλυσίοις, διετέλεσαν συμπολιτευόμενοι τούτοις. ἐξ ὧν φασὶ τοὺς ἱερεῖς κατὰ γένος διαδέχεσθαι τὰς ἱερωσύνας, *Cadmus . . . . ſuperatis periculis in hac inſula* (Rhodo) *fanum dedicavit & nonnullos ex Phœnicibus ſacrorum curatores reliquit. Hi in ejuſdem cum Jalyſiis Civitatis ſocietatem coaluere, ex quorum familiis Sacerdotum fieri ſucceſſionem ferunt.* Sed de iis gentibus, apud quas Sacerdotium erat hæreditarium, multis ediſſerunt Henricus Dodwellus *de jure laicorum circa ſacra*, Ezechiel Spanhemius *ad Callimachum* & Rigaltius ad hæc Onoſandri c. I. οὐ κατὰ γένη κρίνονται ὥσπερ τοὺς ἱερέας. Ad hoc Deus ſanxerat *Levit.* XXI. *v.* 10. *& ſeqq.* ne Summus Pontifex funus vel propinquorum celebraret, neque aliam uxorem duceret, ac virginem & popularem, nec denique ullus in Sacerdotem cooptaretur, cui ineſſe vitium appareret. Sic in ethnico orbe Sacerdotibus eaſdem leges Populi impoſuere. Pontifex Cretenſis apud Euripidem ita vitam inſtituit ſuam, ut eſſet νεκροθήκης οὐ χριμπτόμενος *funereas res non attingeret.* Flamen Dialis locum, in quo buſtum erat, nunquam accedebat. Nam Servius *ad* III. *Æneidos* docet, *moris Romani fuiſſe, ut ramus Cupreſſi ante domum funeſtam poneretur, ne quiſquam Pontifex pollueretur ingreſſus.* De Rege, qui ſacrorum cauſſa creatus erat, Athenienſes pertulerant, ut connubium cum cive & virgine conjungeret. Demoſthenes in Neæram, Τὸν μὲν βασιλέα, ait, ὁ δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ' ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν. τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθετο ἀστὴν εἶναι καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρί, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν, *Eum regem populus ſuffragiis eligebat ex præſtantibus virtute. Legem autem fecere, ut uxor ejus civis eſſet, nec alteri viro cognita, ſed quæ virgo nupſiſſet.* Quibus in verbis vides ἀστὴν *civem* in jure Attico idem ipſum valere quod vox Hebræa מעמיו *mehammau popularis, e populis ſuis.* De Sacerdotibus autem, qui ſine vitio eſſent, eligendis alteram legem Athenienſes rogaverant, de qua Auctor Etymologici Magni in voce ΑΦΕΛΗΣ ſic dicit, οἱ βασιλεῖς, καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνηθεν, εἰ ἀφελεῖς καὶ ὁλόκληροι, *Reges* (ſacrorum) *& Sacerdotes examinabantur Athenis num ſani eſſent, & integro corpore.* Quin & Xenophon in *Sympoſio* teſtis eſt, Athenis ex lege, θαλλοφόρους τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγεσθαι, *ſenes Minervæ oleæ ramum geſtantes legi eos, qui eleganti ſunt forma.* At enim uberius iſtud eſt argumentum, quam quæri hoc in loco & diſputari potuiſſet. Paucis tantum, quæ nobis fuerunt in promptu, de eo diſſeruimus, ex quibus facile quivis efficiet, id omne, quod ad Sacrorum Rectores pertinebat apud Gentes, a Pontificio Hebræorum jure quaſi ex fonte fuiſſe derivatum. Ergo & ipſa unius Sacerdotis inter omnes πρεσβεῖα *præſtantia* ab Hebræis accepta eſt. Quæ cum ita ſe habeant, nulla afferri cauſſa poteſt, cur Apoſtoli, cum Summum Epiſcoporum Sacerdotium condiderunt, ad Gentes ſpectaverint, quæ Hebræorum mores interpolaverant. Illi enim verſabantur Hieroſolymis,

mis, ubi Divina res in Templo a Sacerdotibus procurabatur, quibus maximus unus Pontifex præfectus erat, legebant Moſaicas tabulas, in quibus ordo ille Sacerdotum affabre deſcribebatur, denique videbant, Ethnicos in iis creandis penes quos ſacrorum regimen reſideret, Moſaici juris ſpeciem adumbraſſe, ſive, cum illam exprimere ſtuderent, magis corrupiſſe. Itaque dicamus neceſſe eſt, eos, ſi optimæ exemplum Hierarchiæ capere vellent, domi illud habuiſſe, nec ad exteras adire Nationes debuiſſe a quibus probatum regendæ Eccleſiæ inſtitutum ſumerent.

XI. Habemus iſta. Nunc poſtremum illud agetur, an ad eum regendi morem, quo Synagogæ continebantur, Apoſtolicæ Hierarchiæ origo referatur. Grotius noſter ita expoſitam habuit ſententiæ rationem ſuæ. Putavit in Synagogis ſive Eccleſiaſticis Hebræorum conventibus ſacrorum regimen penes multos reſediſſe Gubernatores, eximios & probatos viros, qui voce Syriaca פרנסים Paranaſim & Græce *ποιμενες Paſtores* vocabantur. Sed unum omnium fuiſſe Principem, qui ab Hebræis ראש הקהל *caput Synagogæ*, ab Helleniſtis vero *ἀρχων της συναγωγης Præſes Synagogæ* & Archiſynagogus appellabatur. Atque hunc Præſidem eo loco habere viſus eſt, ut eum crederet auctoritate, munere & gradu inter alios Paſtores excellere. Nam illum רב *Rab Magiſtrum* & cæteros Paſtores פרנסים *Paranaſſim* dixit, iis ſcilicet nominibus, quæ uſui ſunt junioribus Judæis, apud quos Synagogici Paſtores infra dignitatem illius, qui ſummus eſt Magiſter, reponuntur. Ipſe enim in commentariis *ad Acta cap* XIII. I., *ſicut in Synagogis*, inquit, *primus ſenum is erat, qui docebat Populum & רב Rabi vocabatur, ita in Eccleſia Chriſtiana του προεστωτος idem erat munus*. Sed redeamus ad ea, quæ ille diſſeruit in hoc, qui ad manus eſt, libro. Docuit igitur in libris novi Teſtamenti eum vocari Archiſynagogum, qui unus eſſet & ſummam Judaicæ Eccleſiæ gereret. Quum vero multos unius Synagogæ extitiſſe Archiſynagogos ex quodam Actorum Apoſtolicorum loco cognoſſet, id non ita intellexit, quaſi plures pari poteſtate uni conventui præeſſent. Exiſtimavit enim, quemadmodum in novo Teſtamento Sacerdotes ſæpe *Ἀρχιερεις Summi Pontifices* appellantur, ſic in Synagoga Paſtores; niſi ſeorſum a Præſide ſuo nominati eſſent, omnes Archiſynagogos fuiſſe appellatos. Attulit porro Grotius leges Imperatorum, in quibus Archiſynagogus idem atque Archipherekita disjungitur a Patribus Synagogæ, quos & Majores, Seniores & Presbyteros Juriſconſulti Romani dixere. Hactenus Grotius in ſingulis Synagogis Summos Præſides Archiſynagogos duxit. Quoniam vero expromſit deinde poſtremam legem *Theod. Cod. de Judæis*, in qua utriuſque Palæſtinæ & aliarum Provinciarum Primates commemorantur, hos ea dignitate præditos eſſe arbitratus eſt, ut Archipherekitis imperarent. Ergo illa Synagogicorum Rectorum deſcriptio erat, ut Paſtores, iique Presbyteri, Seniores & Majores rem Eccleſiaſticam adminiſtrarent, his vero omnibus Archiſynagogus præſideret, qui Primati parebat. Novimus quorſum hæc pertineant. Cenſuit enim Grotius Presbyteros Apoſtolicæ Eccleſiæ Paſtoribus Synagogæ & Archipherekitàs Epiſcopis reſpondiſſe. Attendamus animum ad ea, quæ ſcripſit in I. Paulinam Epiſtolam ad Timotheum III. I., *Eccleſiæ inſpectores ſive Præfecti ſunt Presbyteri, qui in Synagoga* פרנסים *Paranaſim. Horum Princeps poſtea κατ᾽ ἐξοχὴν dici cœpit ὁ Επισκοπος, ut in Canonibus, qui Apoſtolici dicuntur, & in litteris, quæ dicuntur Ignatii & in Tertulliano aliiſque. Hoc eſt in Apocalypſi ὁ ἄγγελος, Paulo alibi ὁ προεστὼς, ἐν λογῳ κοπιῶν, Juſtino ſimiliter ὁ προεστὼς. Pari modo in Synagoga, qui Princeps erat, dicebatur ὁ Ἀρχισυνάγωγος aut ἀρχων τ συναγωγης, ὁ προεδρος Philoni, hebraice* ראש הקהל *caput Synagogæ*. Sed Primates illi, qui Archiſynagogos dignitate antecellebant, cum quibus Apoſtolicæ Eccleſiæ Præfectis facere potuerint? Eos forte fuiſſe Epiſcopos, qui plures Eccleſias moderabantur, hoc eſt Metropolitas Grotius exiſtimavit, qui in Epiſtolam ad Romanos cap. XII. 7. in Apoſtolico ævo quoſdam extitiſſe dixit, *qui multis Eccleſiis erant impoſiti ad inſtituendos eos, qui Eccleſiis ſingulis præerant, qualis Titus in Creta, Seniores Epiſcopi in Africa, alibi Metropolitæ: His vero reſpondere in Judaiſmo viros excellentes ſapientia, ſive* רבים *Rabim Magiſtros a Synedrio creatos*. Sic enim Grotius.

XII. At facile non eſt, quod nobis equidem videtur, ſtatum veteris Synagogæ cum Apoſtolica Eccleſia comparare. Nulla ſunt antiquitatis monumenta, in quibus Præfectorum Synagogicorum ordo accurate deſcribitur. Nanque nec Apoſtoli, nec antiquiſſimi Eccleſiæ Patres, nec eximii Hebræorum Scriptores Flavius Joſephus & Philo aliquid litteris conſignarunt, ex quo certa illius rei memoria repeti poſſit. Thalmudicis vero auctoribus fidem ecquis adhibeat? Quamquam ipſi non eam, quæ temporibus Apoſtolicis erat, ſed novam alteram Synagogam verbis exprimere ſolent. Itaque quum multis in mentem veniſſet, formam Eccleſiæ, quam Apoſtoli condiderunt, eandem pene fuiſſe, ac Synagogæ, tamen quiſque inter eos uti priſcam Eccleſiam, ſic veterem Synagogam ex ſententia fingit. In illa ſunt opinione Joannes Seldenus *in libris de Synedriis*, Morinus *in Exercitationibus*, Henricus Valeſius *in Annot. ad Euſeb. lib.* VII. *cap.* X., Dodvvellus *in Diſſert. Cypr.*, Joannes Lingtfootus *in Matth.* IV. 23., Joannes Spencerus *de legibus Hebræorum ritualibus*, Salmaſius *de Primatu Papæ*, Hammondus *ad N. T.*, Jacobus Rhenferdius *de decem otioſis Synagogæ*, Campegius Vitringa *in prolegomenis ad libros de Synagoga vetere*, & plures alii viri docti, quorum Senatum recitavit Joannes Albertus Fabricius *in Bibliographia antiquaria.* Sed hi omnes hanc edifferendi viam inſtituunt, & ita diſputant, ut alius aliam antiquæ Synagogæ conſtitutionem ex Hebræorum & Chriſtianorum ſcriptis elicere conetur. Videamus autem de Grotii opinione, in qua refellenda primum conſtituendum eſt, nos de antiqua Synagoga diſputare, quæ temporibus Apoſtolicis erat, non de altera illa, quæ in locum veteris ſubrogata eſt. Arminianus ſibi ſumpſit, in illa quendam extitiſſe Paſtorum Senatum, cui unus Archiſynagogus præeſſet, is ipſe qui cæteros Rectores gradu & poteſtate ſuperaret. At ſi veteres Hebræorum ſcriptores conſulantur, qui priſcæ formam Synagogæ noverant, probabilius intelligi poteſt, eam fuiſſe ariſtocraticam ſive pluribus æquo jure præditis commiſſam. Nanque ad illius gubernacula Presbyteri, iique docti viri pari auctoritate ſedebant, quorum quidem unus princeps erat, ſed qui nec dignitate, nec Imperio aliis antiſtabat. Philo Judæus, qui in publicis Gentis ſuæ rebus verſatus erat, quum de Philoſophis Eſſæis diceret, Synagogam, quæ ab iis gerebatur, ſic nobis deſcripſit, Τούτους ἀναδιδάσκοντες μὲν καὶ παρὰ τὸν ἄλλον χρόνον, ἐν δὲ ἑβδόμαις μάλιστα διαφερόντως. ἱερὰ γὰρ ἡ ἑβδόμη νενόμισται, καθ' ἣν τῶν ἄλλων ἀπέχονται ἔργων. εἰς ἱεροὺς ἀφικνούμενοι τόπους, οἳ καλοῦνται συναγωγαὶ, καθ' ἡλικίας ἐν τάξεσιν ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθέζονται, μετὰ κόσμου τοῦ προσήκοντος ἔχοντες ἀκροατικῶς. εἶθ' ὁ μὲν τὰς βίβλους ἀναγινώσκει λαβὼν, ἕτερος δὲ τῶν ἐμπειροτάτων ὅσα μὴ γνώριμα παρελθὼν ἀναγινώσκει, *Has* (leges patrias) *ediſcunt*, *& alio tempore*, *ſed præcipue recurrente die ſeptimo*, *quem ſacratum exiſtimant*, *& vacant tunc ab omnibus aliis negotiis. Quoties ſacras ædes*, *quas Synagogas vocant*, *adeunt*, *pro ætatis ordine juniores ad Seniorum pedes conſident*, *decoro cum ornatu audientes*. *Deinde unus Biblia ſumens*, *legit*, *alter vero ex peritiſſimis minime nota exponit*, in Libro quem inſcripſit, *quod omnis probus pag. m.* 679. Quibus in verbis Philo Presbyteros ſive Seniores nominavit, qui tanquam Antiſtites & Præſides Synagogas moderabantur, omniumque unum adjunxit peritiſſimum, qui tamen in eodem, quo illi, ordine erat conſtitutus. Idem alio in libro, in quo de *contemplantibus* Gentis ſuæ Judæis diſputavit, ſtatum Synagogæ ſic expoſuit, Ταῖς δὲ ἑβδόμαις, inquit, συνέρχονται καθάπερ εἰς κοινὸν σύλλογον, καὶ καθ' ἡλικίαν ἑξῆς καθέζονται μετὰ τοῦ πρέποντος σχήματος, εἴσω τὰς χεῖρας ἔχοντες, τὴν μὲν δεξιὰν μεταξὺ στέρνου καὶ γενείου τὴν δὲ εὐώνυμον, ὑπεσταλμένην παρὰ τῇ λαγόνι. παρελθὼν δὲ ὁ πρεσβύτατος, καὶ τῶν δογμάτων ἐμπειρότατος διαλέγεται, καθεστῶτι μὲν τῷ βλέμματι, καθεστώσῃ δὲ τῇ φωνῇ, μετὰ λογισμοῦ καὶ φρονήσεως, *Septimo vero die conveniunt in cœtum communem* (Synagogam), *& ſecundum ætatem cujusque ordine conſident*, *decenti habitu*, *manus continentes ſub pallio*, *dextram quidem inter pectus barbamque*, *ſiniſtram applicatam lateri*. *Tum progreſſus in medium natu maximus*, *& dogmatum peritiſſimus diſſerit gravi vultu*, *voce moderata*, *cum ratione & prudentia*, in opere inſcripto *de vita contemplativa pag.* 693. Vides ſolos Presbyteros Synagogæ præeſſe, interque

eos

eos unum non majore poteſtate, ſed doctrina & ætate πρεσβύτατον καὶ ἐμπειρότατον eminere. Et quamvis Philo de iis Synagogis loquatur, quas Philoſophi Judæi cogebant, tamen ſatis bonus nobis auctor eſt, quid de publicis conventibus exiſtimari oporteat. Nanque in veterum Judæorum inſtituto poſitum fuit, ut ſi qui ſingularem nec communem vitæ rationem inſtituerint, a patriis moribus, quos ſanctiſſimos habebant, facile nunquam recederent. Philoni ſuppar fuit Flavius Joſephus, qui ad explicandam quidem Synagogæ formam nuſquam acceſſit, tamen ſæpe ea dicendo injecit, ex quibus conjectari poteſt, cujuſmodi illa ſe haberet. Is in libro II. cap. XIV. *de bello Judaico* narravit, Cæſareæ prope Synagogam quaſdam officinas fuiſſe poſitas, quumque ea res Synagogæ officeret, dedecorique eſſet, τοὺς δυνατοὺς τῶν Ἰουδαίων *Primores Judæorum* ad Florum adiviſſe, eique octo talenta obtuliſſe, ut novum opus Imperio ſuo demoliretur. Sed *quos Primores Judæorum* commemoravit? Quoniam ſcilicet Synagogæ rebus illos proſpexiſſe oportuit, qui ei præfecti erant, facile efficitur iſtos *Primores Judæorum* fuiſſe Synagogæ Presbyteros & Rectores, qui communi conſilio ſacra omnia adminiſtrabant. Nemo enim inter eos ſignificatur, qui cæteros auctoritate anteibat. Joſephus porro in vitæ ſuæ hiſtoria *pag. m.* 1020. memoriæ mandavit, Senatum (βουλὴν) ſummorum virorum, cui ἄρχων *Præſes* eſſet quidam Jeſus, in Synagoga de Republica Tibérienſi conſultaſſe. Præſes hic cæteris Senatoribus nulla præcipua poteſtate præſtare videbatur, ſed id ſtudebat, ut ad congruentiorem gerendarum rerum ordinem advigilaret. Ille enim Senatum congregabat, & multitudinem ex Synagoga depellebat, Συνιδὼν δὲ τὴν μεταβολὴν Ἰησοῦς, τὸν μὲν δῆμον ἐκέλευεν ἀναχωρεῖν, προσμεῖναι δὲ τὴν βουλὴν ἠξίωσε, *Videns Jeſus ſtatum rerum immutatum juſſit, ſolo Senatu remanente*, (ex Synagoga) *cæteram multitudinem abire*. Idem Jeſus ipſum Joſephum in Synagogam intromiſit & alios ejecit, Τοὺς μὲν οὖν σὺν ἐμοὶ πάντας ἐκκλεῖσαι προσέταξεν Ἰησοῦς ὁ ἄρχων, αὐτὸς γὰρ ταῖς θύραις ἐφεστήκει. Μόνον δὲ μετὰ τῶν φίλων εἰσελθεῖν εἴασε, *Jeſus vero Præfectus me cum omnibus ingreſſum* (Synagogam) *adſtans foribus evocavit, reliquorum ex meis admitti permiſit neminem*. Hæc in eam ſententiam nos ducunt, ut exiſtimemus, Proſeuchis & Synagogis complures eadem poteſtate fuiſſe præfectos, quamquam eorum unus quaſi Princeps operam dabat, ut omnia ſine perturbatione peragerentur.

XIII. Evolvamus novi Teſtamenti libros, in quibus Grotius docuit, unum ſingulis Synagogis Archiſynagogum aſſignari, utut ſemel unius Synagogæ duo fuiſſe Archiſynagogi ferantur. Contra enim nos reperimus, Divinos novi Fœderis Scriptores de Synagoga ita dixiſſe, ut omnes uni Synagogæ Præfectos Archiſynagogos vocarent, & ſemel unum Archiſynagogum nominarent. Auctor actorum Apoſtolicorum *cap.* XIII. 14. in Paulina hiſtoria plures protulit Archiſynagogos, qui Judaicam Eccleſiam Antiochiæ Piſidum regebant: Αὐτοὶ δὲ, inquit, διελθόντες ἀπὸ τῆς Πέργης, παρεγένοντο εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας, καὶ εἰσελθόντες εἰς τὴν συναγωγὴν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, ἐκάθισαν. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, ἀπέστειλαν οἱ Ἀρχισυνάγωγοι πρὸς αὐτοὺς, λέγοντες, *At ipſi* (Paulus, iique quos comites habebat) *progreſſi Perga venerunt Antiochiam Piſidiæ, & introeuntes Synagogam die Sabbathi conſederunt. Poſt lectionem vero legis & Prophetarum miſerunt Archiſynagogi ſive Principes Synagogæ ad eos, dicentes*. Hæc in ſacris tabulis periocha eſt, in qua ſola Grotius arbitratus eſt, multos dici unius Synagogæ Principes. Promamus igitur cæteras Periochas, quæ illum fugerunt. Apud Marcum *cap.* V. 22. Jairus vocatur εἷς τῶν Ἀρχισυναγώγων *unus ex Archiſynagogis*, qui ad Dominum Chriſtum in Capernaumum divertentem acceſſerit. Niſi enim multi Synagogæ Principes eſſent, unus ex iis Jairus appellari non poterat. At, inquit aliquis, plures in Capernaumo Synagogæ extiterunt, quarum uni Jairus præerat. Qui ſic ediſſerit, næ is de perexiguo pago, qui prope a Tiberiade conditus erat, tanquam de magna urbe exiſtimat. Contra Flavius Joſephus in libro II. *de bello Judaico cap.* XXV., quum nobiliores deſcriberet urbes Galilææ, quam eparchiam a Romanis adminiſtrandam ſuſceperat, Capernaum neglectam

ctam præteriit. Is ipſe *in libro* III. *cap.* XXXV. de regione Genneſaritica dicebat, in qua eſſe prodidit πηγην ποτιμωτάτην, ἣν Καπερναοὺμ οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι, *fontem dulciſſimum, quem Accolæ Capernaum vocant.* Quocirca conjici poteſt, non longe ab eo fonte aliquas eorum domos eſſe poſitas, quos loci elegantia pellexerit, ex quo nobilis pagus, quamquam haud frequens, ortus fuerit, cui nomen eſſet Capernaumo. In oppidulo multas extitiſſe Synagogas nemo credet. Unam ſane Capernaumi Eccleſiam oſtendere videtur Joannes *in cap.* VI. 19., cum nos admonuit, ubi Chriſtus orationem habuit, Ταῦτα εἶπεν ἐν συναγωγῇ, διδάσκων ἐν Καπερναούμ, *Hæc dixit* (Chriſtus) *in Synagoga, docens in Capernaum.* Verum conjugamus hiſtoriam Marci cum ea, quam Lucas ſcripſit: Hic enim narravit *in cap.* VII. 5. Centurionem quendam, qui Capernaumi verſabatur, ad Chriſtum τοὺς πρεσβυτέρους τῶν Ἰουδαίων *Presbyteros ſive Seniores Judæorum* miſiſſe, ut ſervo ſuo vitam impetrarent. Iſti vero Chriſtum ſic affati ſunt, Ἑκατόνταρχος ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος ἡμῶν, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν, *Centurio diligit gentem noſtram & Synagogam nobis ædificavit.* Igitur iidem Presbyteri Synagogæ erant Rectores & Principes, in quorum numerum Jairus erat allectus. Quumque is apud Marcum unus ex Archiſynagogis dicatur, plane ſequitur, omnes eos Presbyteros fuiſſe Archiſynagogos. Ad hæc inter eos Hebræos, qui Corinthum ſeſe receperant, duo cenſentur Archiſynagogi *Act.* XVIII. 8. 17., quorum alter Criſpus, alter Soſthenes dicebatur. Atque uterque eandem Synagogam moderabatur: Nam veterum nemo Corinthi plures fuiſſe Synagogas memoriæ mandavit. In omnibus autem his Apoſtolicis periochis multi unius Synagogæ Archiſynagogi feruntur eam ob cauſſam, quod plures pari auctoritate eam regebant. Nam ſi inter Gubernatores cujuſque Synagogæ unus fuiſſet, qui poteſtate & ordine alios anteiret, profecto ii omnes Archiſynagogi & Præſides dici non potuere. Attamen ſemel apud Evangeliſtam Lucam *in cap.* XIII. 14. unus Synagogæ Princeps appellatus eſt. Dicitur enim Archiſynagogus contra Chriſtum, qui ægram mulierem ſanitate affecerat, ſeditionem commoviſſe, quod res in eo die peracta eſſet, cum omni opere ex lege interdictum erat. Verba ſunt, Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἀρχισυνάγωγος, ἀγανακτῶν ὅτι τῷ σαββάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγε τῷ ὄχλῳ, *Reſpondens vero Archiſynagogus, indignans Jeſum in Sabbato ſanaſſe, dixit turbæ.* Quid vero ſi his in verbis ὁ ἀρχισυνάγωγος *Archiſynagogus* idem valeat, quod εἷς τῶν Ἀρχισυναγώγων *unus ex Archiſynagogis*? Jairus enimvero, quem Marcus ἕνα τῶν Ἀρχισυναγώγων *Archiſynagogum quendam* vocavit, apud Lucam *in cap.* VIII. 49. ὁ ἀρχισυνάγωγος *Archiſynagogus* nuncupatur. Igitur apud Divinos novi Teſtamenti Scriptores in eorum numero, qui Synagogam gubernabant, nuſquam aliquis repoſitus eſt, qui aliorum ſummus Præſes eſſet eoſque dignitate ſuperaret.

XIV. Sequitur, ut de Romanis legibus ediſſeramus, quibus Synagogam Grotius tuetur ſuam. Recitemus eas leges: *In Codicis Theodoſiani legibus*, inquit ille, *non ſemel apparet nomen Archiſynagogorum, & ita quidem ut diſtinguantur a Patribus Synagogarum l. Hebræos l. ſuperſtitioſæ C Th. de Judæis, qui in aliis legibus Majores aut etiam Seniores vocantur dd. ll. C. Theod. & l. Judæis & l. ſi qua inter C. de Judæis. Hos ipſos Archiſynagogos Juſtinianus in Novella appellat Archipherekitas & a Presbyteris Judæorum diſtinguit.* At lex illa, quæ incipit *Hebræos* & ex Theodoſiano Codice expromitur, nuſquam invenitur. Forte Arminianus afferre ſtuduit legem IV. Theod. Cod. ex titulo de Judæis, in qua ita Conſtantinus, *Hiereos & Archiſynagogos & Patres Synagogarum & cæteros, qui Synagogis deſerviunt, ab omni corporali munere liberos eſſe præcipimus.* Proxima eſt lex *ſuperſtitioſæ*, quæ eſt XIV. in eodem Theod. Cod. titulo, *Superſtitionis indignæ eſt ut Archiſynagogi, ſive Presbyteri Judæorum, vel quos ipſi Apoſtolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur, a ſingulis Synagogis exactam ſummam atque ſuſceptam ad eundem reportent.* Huic ſuccedunt leges *Judæis*, & *ſi qua inter*, quarum altera prima eſt in Theodoſiano Codice, in qua Conſtantinus ad Evagrium P. P. ſic ſcripſit, *Judæis & Majo-*

Majoribus eorum & Patriarchis volumus intimari, *quod ſi qui poſt hanc legem aliquem*, *qui eorum feralem fugerit ſectam*, *& ad Dei cultum reſpexerit*, *ſaxis aut alio furoris genere auſus fuerit adtemperare*, *mox flammis dedendus eſt & cum omnibus ſuis participibus concremandus;* Altera vero eſt xv. in Cod. Juſt. titulo de Judæis, quæ in hanc ſententiam concepta eſt, *Si qua inter Chriſtianos & Judæos ſit contentio*, *non a Senioribus Judæorum*, *ſed ab ordinariis Judicibus dirimatur*. Adjungitur Novella CXLVI., in qua Juſtinianus, Ὀυδὲ, inquit, *ἄδειαν ἕξουσι οἱ παρ' αὐτοῖς ἀρχιφερικῖται ἢ πρεσβύτεροι τύχον ἢ διδάσκαλοι προσαγορευόμενοι*, *περινοίαις τισιν ἢ αναθεματισμοῖς τοῦτο κωλύειν*, *Neque licentiam habebunt hi*, *qui ab iis* (Judæis) *Archipherecitæ*, *vel Presbyteri forſitan vel Magiſtri appellantur*, *perinæis aliquibus*, *aut anathematiſmis hoc prohibere*. Denique allata eſt lex XXIX. *ex titulo Theodoſiani Codicis de Judæis*, in qua aliquos Primates ipſis Archiſynagogis excellentiores videre viſus eſt Grotius. Quocirca ille efficit, in Apoſtolicis temporibus cujuſque regimen Synagogæ mandatum fuiſſe ſapientibus viris, iiſdem, qui Patres Synagogæ, Majores, Seniores & Presbyteri dicebantur, his vero tanquam eminentes Gubernatores magna cum auctoritate Archiſynagogos ſive Archipherekitas præfuiſſe, qui rurſus Primatibus parebant.

XV. Hic quidem locus pluribus doctis viris negotium, ſed non iniucundum faceſſit. In iis ſcriptor eruditiſſimus Samuel Petitus *in Var. lect. lib.* II. I ex utroque Codice Theodoſiano & Juſtinianeo eam Synagogam effingit, in qua unus princeps ſive Archiſynagogus præſideret, cujus muneri Pater Synagogæ Vicarius ſuccedebat, item Sacerdotes eſſent, qui legem explicarent, ad hos porro Presbyteri Judæorum nobiliſſimi ſane & doctiſſimi viri, qui de univerſæ Eccleſiæ rebus cum Præſide & Hiereis tanquam in frequenti ſenatu conſultarent. Eandem pene Synagogam deſcribit Henricus Valeſius *in notis ad Hiſt. Eccl. Euſeb. lib.* VII. *cap.* X., in quibus quæſivit quorſum is titulus, *ὁ διδάσκαλος καὶ τῶν ἀπ' Αἰγύπτου μάγων Ἀρχισυνάγωγος* *Magiſter & Archiſynagogus Magorum Ægyptiorum* pertineret in Epiſtola Dionyſii Epiſcopi Alexandrini. Iis ſeſe oppoſuit Campegius Vitringa *in lib.* II. *Synagogæ veteris*, qui multa erudite & accurate diſputavit. Sed ſuppetias Samueli Petito advenit Jacobus Rhenferdius *in diſſ. philologica* II. *de decem otioſis Synagogæ*, quamquam hic Patres Synagogæ, qui vicarium Præſidis munus gerebant, e numero exemit, ſive eoſdem atque Archiſynagogos & Presbyteros putavit. Ex quo pene in Grotii ſententiam ventum eſt, contra quem hujuſmodi a nobis oratio habenda eſt, in qua primum id edifferetur, an vetus Synagogæ forma ex libris Romani juris cognoſci poſſit, deinde vero num quæ Romani legum latores de pluribus Synagogæ Præfectis dixerunt, contraria iis non eſſent, quæ priſci Hebræorum ſcriptores & Apoſtoli docuerunt. Atque, quod univerſæ cauſſæ caput eſt, non videntur Romani Imperatores Conſtantinus, Valentinianus, Theodoſius aliique a publicis negotiis ita vacaſſe, ut ad eos, qui ſacra in Synagogis regebant, accurate deſcribendos animum adjungerent. Nihil enim attinebat, Religionum in quibus homines conclamati nominis verſabantur, conſtitutionem explorare. Quod ſuſpicamur equidem, id ante Conſtantinum acciderat. Nunquam enim Ethnicis Principibus vel eorum diligentiſſimis in mentem venit mores & inſtituta Chriſtianorum optime noſſe, tametſi horum ſacra in toto orbe diu aſcita eſſent, eademque ubique gentium in publicis ſæpe ædibus factitarentur. Vopiſcus *in Saturnino* Divi Hadriani litteras exſcripſit, in quibus ſumma eſt Judaicarum & Chriſtianarum rerum ignoratio, *Ac ne quis mihi*, inquit, *Ægyptiorum iraſcatur & meum eſſe credat quod in litteras retuli*, *Hadriani Epiſtolam ex libris Phlegontis liberti ejus proditam*, *ex qua penitus Ægyptiorum vita detegitur*, *indidi*. *Hadrianus Aug. Serviano Coſ. S. Ægyptum*, *quam mihi laudabas*, *Serviane Cariſſime*, *totam didici levem*, *pendulam*, *& ad omnia famæ momenta volitantem*. *Illi*, *qui Serapin colunt*, *Chriſtiani ſunt*, *& devoti ſunt Serapi*, *qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt*. *Nemo illic Archiſynagogus Judæorum*, *nemo Samarites*, *nemo Chriſtianorum Presbyter non mathematicus*, *non aruſpex*, *non aliptes*. *Ipſe ille Patriarcha*, *quum in Ægyptum venerit*, *ab aliis Serapidem adora-*

re, ab aliis cogitur Chriſtum. Quis unquam accepit, eos, qui Serapin colebant, Chriſtianos fuiſſe, & Epiſcopos Chriſti Serapi honorem tribuiſſe? Quid vero cum Archiſynagogo Samarites ageret, quid cum utroque Chriſtianus presbyter, quid denique cum his omnibus Mathematicus, Aruſpex, Aliptes? Confunduntur ſacra Gentilium, Judæorum & Chriſtianorum, perturbanturque Antiſtitum nomina, qui iis præfecti erant. Sic enim Hadrianus, qui Religionum ſtudioſiſſimus erat, & quum in Ægypto diverſaretur, eas facile omnes tenere potuerat. Neque enim de Chriſtianis proximiora vero apud univerſos Gentilium Scriptores inveniuntur. Ratio enim omnis ſacrorum, quæ aliena erant, diligenter ab illis non quærebatur, qui ea ſibi nec privatim nec publice habebant. Quapropter argumentum nobis capere licet, pios Imperatores nunquam tam fuiſſe otioſos, ut ad iſta requirenda attenderent, quæ in Synagogis gerebantur, item ad cognoſcendos, deſcribendoſque Antiſtites, qui eas gubernabant. Quod ſi leges diſpiciantur, quas illi de Judæis ſcripſerunt, in iis ſane ſumma Auctorum diligentia deſideratur. Conſtantinus in *Lege* IV. *C. Th. de Judæis* Hiereos omnibus Præſulibus, qui Synagogas adminiſtrabant, antelatos credidit. Atqui in dubio non eſt, quin Hiereos loco & poteſtate Archiſynagogi anteirent. Hoc enimvero ordine Synagogicos Antiſtites Epiphanius dinumeravit, quum de Joſepho Apoſtolo ſermonem injecit *in Hær* xxx. *de Ebionitis*, Πολλοὺς, inquit, τῶν κακῶν κατασταθέντων Ἀρχισυναγώγων καὶ ἱερέων καὶ Πρεσβυτέρων καὶ Ἀζανιτῶν, τῶν παρ' αὐτοῖς Διακόνων ἑρμηνευομένων, ἢ ὑπηρετῶν, καθελὼν, *multos improbos Archiſynagogos, & Hiereos, & Presbyteros, & Azanitas, qui Diaconos apud ipſos ſignificant, ſeu miniſtros, depoſuit*. Idem Conſtantinus in lege II. *C. Th. de Jud ad Ablavium P. P.* nobis narravit quoſdam Patriarchas, eoſdem ac Presbyteros, qui Synagogas moderabantur: *Qui devotione tota*, inquit, *Synagogis Judæorum, Patriarchis, vel Presbyteris ſe dederunt, & in memorata ſecta degentes legi ipſi præſident, immunes ab omnibus tam perſonalibus, quam civilibus muneribus perſeverent*. Verum Patriarchis qui rem Judæorum publicam procurabant & ſummi eorum Principes erant, nullus in Synagogis tributus eſt locus. Quinimo Archadius *in leg.* XIII. *Th. C. de Judæis ad Cæſarium P. P.* alios finxit Patriarchas Archiſynagogis minores & Presbyteris excellentiores, quos quidem omnis Hæbræorum antiquitas ignoravit: *Judæi ſint*, inquit, *obſtricti cærimoniis ſuis: Nos interea in conſervandis eorum privilegiis Veteres imitemur, quorum ſanctionibus definitum eſt, ut privilegia his, qui illuſtrium Patriarcharum ditioni ſubjecti ſunt, Archiſynagogis, Patriarchiſque, ac Presbyteris, cæteriſque, qui in ejus Religionis ſacramento verſantur, nutu noſtri Numinis perſeverent*. Samuel Petitus, vir eruditiſſimus *Var.* 10. *pag.* 146. hanc legem ita emendavit, ut loco iſtorum, *Archiſynagogis*, *Patriarchiſque ac Presbyteris*, e litterarum, ut ipſe ait, ductu reponeret, *Archiſynagogis*, *Patri*, *Hiereis ac Presbyteris*. Quæ corrigendi intoleranda licentia eſt, ita ut, ſi probetur, omnibus integrum ſit, quamcunque veterum auctorum periocham in qualemcunque ſententiam traducere. Itaque Jacobus Gothofredus *in commentariis ad h. l.*, & Rhenferdius *de decem otioſis Synagogæ cap.* IV. in eam opinionem ducuntur, ut exiſtiment, pro Patriarchis probabilius ſubſtituendos eſſe Archiereos. Legunt ita, *Privilegia his, qui illuſtrium Patriarcharum ditioni ſubjecti ſunt, Archiſynagogis, Archiereis ac Presbyteris . . . perſeverent*. Arbitrantur enim Archiereos diu apud Hebræos extitiſſe, idque ex Ælio Lampridio efficiunt, qui de Alexandro Severo dixit, *Volebat Imperator videri originem de Romanorum gente trahere, quin eum pudebat, Syrum dici: maxime quod tempore quodam feſto, ut ſolent Antiochenſes, Ægyptii, Alexandrini, laceſſiverant eum conviciolis, Syrum Archiſynagogum eum vocantes & Archierea*. At nos equidem fugit, num, everſo Hieroſolymis templo dignitas τοῦ Ἀρχιερεοῦ *Summi Pontificis* ſublata eſſet. In nullis vero Veterum monumentis, quæ deinde edita ſunt, & ne in legibus quidem Imperatorum, inter Hebræos Sacerdotes unum excelluiſſe comperimus. Neque enim Orientis illi Populi, quorum meminit Lampridius, exiſtimabant Alexandrum aliquem eſſe Archierea: Sed quum eo animo eſſent, ut Imperatori originem Syriacam exprobrarent, eum illis titulis

affe-

afficere, quibus ſummos Judæorum Antiſtites fuiſſe appellatos acceperant. Igitur quamdiu aliquid non afferatur, ex quo in illa Arcadii lege Archiſynagogis & Presbyteris Patriarchas fuiſſe adjunctos a librariis appareat, ſic putandum eſt, ſatis perſpectam Imperatori non fuiſſe illorum Antiſtitum deſcriptionem, quibus Judæi parebant. Ex quo intelligi par eſt, quanta in iſto argumento vis iniit, quod ad cognoſcendam veteris Synagogæ formam ducitur ex libris Romani juris.

XVI. Nunc illud alterum periclitemur, an ea notitia Synagogicorum Præfectorum, quorum nomina in Romanis legibus recitantur, ſententiæ noſtræ obeſſe poſſit. In jure quidem plures deſcribuntur Hebræorum Principes, Patriarchæ, Apoſtoli, Archiſynagogi, Patres Synagogarum, Hierei, Presbyteri, Majores, Seniores, Primates, Didaſcali. Duo erant Patriarchæ Hebræorum Præſides, quorum alter ראש הגלות *Æchmalotarcha* in Babylonia, alter vero נשיא *Princeps* in Palæſtina dicebatur. Summi iſti Gubernatores in Provinciis Orbis cum imperio erant ad univerſos regendos Hebræos, qui in iis degebant, ita ut non modo in ſacris, ſed in politicis edicerent, decernerent, vocarent & prehenderent: Ea poteſtas Palæſtinæ Patriarchæ ab Imperatoribus Romanis delata eſt, quos ille adeo demeruerat, ut illuſtris, ſpectabilis & clariſſimus vir appellaretur, iiſque honeſtiſſimis titulis publice afficeretur *leg.* VIII. *Th. C. tit. de Judæis*. Ab Imperatore Juliano in Epiſtola ad Judæos XXV. Patriarcha Julus *Frater* dictus eſt, cui ſummus habendus ſit honos, Τὸν ἀδελφὸν, inquit ille, Ἴουλον τὸν αἰδεσιμώτατον πατριάρχην παρῄνεσα, *Fratrem Julum Patriarcham omni obſervatione dignum hortatus ſum*. Itaque Populus Hebræus, Patriarchis imperantibus, ferme ex legibus ſuis vivebat, quod Origenes nos docuit in Epiſtola ad Africanum, Νῦν γοῦν Ῥωμαίων βασιλευόντων καὶ Ἰουδαίων τὸ δίδραχμον αὐτοῖς τελούντων, ὅσα συγχωροῦντος Καίσαρος ὁ ἐθνάρχης παρ' αὐτοῖς δύναται. ὡς μηδὲν διαφέρειν βασιλεύοντος τοῦ ἔθνους, ἴσμεν οἱ πεπειραμένοι, *Certe nunc temporis Romanis Imperantibus, & Judæis didrachmum ipſis pendentibus, quantum permiſſu Cæſaris Ethnarcha* (Patriarcha) *apud ipſos poſſit, ut non aliter vivant, quam dum regnaret ille Populus, id experti ſcimus*. Sed complura de Patriarchis Jacobus Gothofredus *in Comm. ad l.* I. *Th. Cod. tit. de Judæis*, & Morinus *Exerc. Bibl. lib.* II. *Exerc.* III. *cap.* I. & II. Illis vero Apoſtoli aſſidebant, qui & in conſilium adhibebantur: Epiphanius *in Hær.* XXX. *Tom.* I. *Opp. ed. Col.* Εἰσὶ, inquit, δὲ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην Ἀπόστολοι καλούμενοι, προσεδρεύουσι δὲ τῷ Πατριάρχῃ, καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις καὶ ἐν νυκτὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγουσι, διὰ τὸ συμβουλεύειν καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν νόμον, *Sunt autem alii poſt Patriarcham Apoſtoli appellati, aſſidentque Patriarchæ, & cum ipſo ſæpe nocte ac die agunt conſulendi gratia, & ut referant ad eum illa, quæ ad legem ſpectant*. Iidem in Provincias mittebantur, ut a ſingulis Synagogis aurum acciperent, quod tribuendum erat *ll. Th. Cod. tit. de Judæis* XIV. & *ult.*, & Hieroſolymam exportarent, ſæpe vero in eos animadverterent, qui officium deſeruerant. Pergit Epiphanius dicere de Joſepho Apoſtolo quodam, Ἐπεὶ οὖν οἷα Ἀπόστολος (οὕτως γὰρ παρ' αὐτοῖς, ὡς ἔφην, τὸ ἀξίωμα καλεῖται) ἐμβριθέστατος καὶ καθαρεύων δῆθεν τὰ εἰς κατάστασιν εὐνομίας: οὕτως ἐπιτελῶν προβαλλόμενος, πολλοὺς τῶν κακῶς κατασταθέντων Ἀρχισυναγωγῶν, καὶ ἱερέων, καὶ πρεσβυτέρων καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς διακόνων ἑρμηνευομένων, ἢ ὑπηρετῶν, καθαιρῶν τε καὶ μετακινῶν τοῦ ἀξιώματος ὑπὸ πολλῶν ἐνεκοτεῖτο, *Et quoniam* (Joſephus) *pro ea, quam gerebat, Apoſtoli functione* (*ita enim, ut diximus, ea dignitas vocatur*) *ſummam præ ſe gravitatem atque in conſtituenda diſciplina ſeveritatem ferebat, cui rei præſtandæ fuerat electus, ac pleroſque Synagogis Præfectos, & Sacerdotes ac Presbyteros, & Azanitas, quo nomine Diaconos aut Miniſtros appellant, homines improbos in ordinem redegerat ac dignitate privarat, multorum in ſe convertit odia*. Quæ quum paucis expoſita ſint, ex iis efficitur Patriarchas eorumque Apoſtolos in Synagogis nullum munus obiviſſe, ſed tanquam ſummos Reipublicæ Moderatores procuraſſe quidquid in iis e Populo & Religione foret. Accedamus igitur ad cæteros Hebræorum Principes, quos univerſos unum idemque ſacrorum regimen ariſtocraticum adminiſtraſſe, & pari auctoritate Synagogis præſediſſe ex legibus Imperatorum facile

per-

perſpici poteſt. Ipſe Grotius auctor eſt, illos Præſules unius eſſe ordinis, qui in libris Romani juris diverſis nominibus Patres Synagogarum, Presbyteri, Majores, & Seniores dicuntur, omneſque idem habere munus, quod gererent. Hæc quum ille dixiſſet, plurimum noſtræ orationi detraxit, ita ut porro de Archiſynagogis, Hiereis, Didaſcalis & Primatibus ſolum quæramus. Atque eos ipſos, qui Presbyteri & Seniores vocabantur, Archiſynagogos fuiſſe optimi Legum conditores ſatis declarant. Arcadius in ea, quæ allata eſt, lege, *Superſtitionis*, inquit, *indignæ eſt*, *ut Archisynagogi SIVE PRESBYTERI Judaeorum*, *vel quos ipſi Apoſtolos vocant*, *qui ad exigendum aurum atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur*, *a ſingulis Synagogis exactam ſummam atque ſuſceptam ad eundem reportent*. Exiſtimavit ſcilicet ille Archiſynagogos eoſdem, qui Presbyteri audiebant, & ab Apoſtolis disjunxit. Ad eum Imperator *in lege* xv. *Cod. Juſt. tit. de Judæis* omnem doctorum Virorum Senatum, qui unamquamque Synagogam moderabatur, ſolis contineri Senioribus oſtendit: *Si qua*, inquit, *inter Chriſtianos & Judæos ſit contentio*, *non a Senioribus Judæorum*, *ſed ab ordinariis Judicibus dirimatur*. Igitur & Archiſynagogi Seniores erant. Huic loco plurima lux offunditur a Juſtino Martyre, qui *in Dialogo cum Tryphone Judæo pag.* 366. univerſos Synagogicos Præfectos uno nomine Archiſynagogos vocavit contra atque Imperator, qui eos tantum Seniores dixerat. *Convenientes*, ſic Juſtinus Judæos affatus eſt, *& colloquentes ne convitiis inceſſeritis filium Dei*, *neque Phariſæis Doctoribus morem gerentes*, *Regem Iſraelis unquam ſcommatibus proſcideritis*, ὁποῖα διδάσκουσιν ο' Ἀρχισυνάγωγοι ὑμῶν μετὰ τὴν προσευχὴν *qualia Archisynagogi veſtri* (Synagogici veſtri Seniores) *docent poſt peractas preces*. Sed ad id quod cœpimus. Juſtinianus enim manifeſtis verbis docuit, Archipherecitas ſive Archiſynagogos a Presbyteris non eſſe diverſos, cum in Novela CXLVI. dixit, Ἀρχιφερεκῖται ἢ πρεσβύτεροι τυχὸν ἢ διδάσκαλοι *Archipherecitæ ſive Presbyteri forſitan & Magiſtri*. Videamus de Hiereis, hoc eſt Sacerdotibus, qui in Synagogis verſabantur. Hos Aaronidas fuiſſe Samuel Petitus negavit, contra quem Campegius Vitringa dixit in libro, qui paulo ante nominatus eſt. Utcunque res ſit, Synagogæ ferme apud Hebræos Sacerdotibus carebant, quod ſacra omnia in iis ab Archiſynagogis ſive Senioribus factitari ſolebant. Quoniam vero in Romanis legibus Hierei in Synagogis commemorantur, & apud Epiphanium inter Presbyteros ſive Seniores reponuntur, profecto conjici par eſt, eos ſæpenumero in Ariſtocraticum Præfectorum Synagogicorum Senatum fuiſſe allectos. Tum enim Sacerdotes erant Archiſynagogi ſive Presbyteri. Hinc illæ in *Colbo* conditiones, *Si Miniſter Synagogæ ſit Sacerdos*, vel, *Si Miniſter Synagogæ non ſit Sacerdos*. Atque ita accipiendus eſt Alexander Severus apud Lampridium, qui *in cap.* XLV. Judæis in more fuiſſe affirmavit, ut ipſi Sacerdotes prædicarent, quos creabant. Nanque ille ubi aliquos ſtudebat vel Rectores Provinciis dare, vel Præpoſitos facere, nomina eorum proponebat, monens Populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: niſi probaſſet, lueret pœnam capitis: *Grave enim eſt*, inquiebat, *cum id Judæi & Chriſtiani facerent in prædicandis Sacerdotibus*, *qui ordinandi erant*, *non fieri in Provinciarum Rectoribus*, *quibus & fortunæ hominum committerentur & capita*. Quæ verba ſic intelligimus, Sacerdotum nomina in temporibus Alexandri Severi Hebræo populo fuiſſe propoſita, non ut ad obeundum Sacerdotium eligerentur, ſed ut in Synagogicos Præſules cooptari poſſent. Proximi ſunt Didaſcali, quos ab Archiſynagogis fuiſſe in munere diverſos nemo eſt qui certe ſuſpicetur. Nam Archiſynagogi Doctores erant, qui leges explicabant, Populumque ad officium revocabant & a fraude docendo deterrebant. Duæ leges in Theodoſiano Codice *Annati Didaſcalo & Majoribus Judæorum* inſcribuntur, quarum altera eſt XXIII. *in Tit. de Judæis*, altera vero III. eſt *in Tit. ne Chriſtianum mancipium Judæus habeat*. Didaſcalus ille unus erat ex *Majoribus*, ſive Archiſynagogis, qui aliis poteſtate non præſtabat, ſed ſolum in eo præerat, ut omnia, quæ eſſent gerenda, ordine moderaretur.

Reſtat ut de Primatibus ediſſeramus, quibus in Apoſtolica Eccleſia majores aliquos

quos Epiſcopos ſive Metropoliias reſpondiſſe Grotius arbitratus eſt. De illis dicunt Theodoſius & Valentinianus in poſtrema omnium legum, quas Titulus de Judæis in Theodoſiano codice complectitur, *Judæorum Primates* (inquiunt Imperatores) *qui in utriuſque Palæſtinæ ſynedriis nominantur, vel in aliis provinciis degunt, quæcunque poſt exceſſum Patriarcharum penſionis nomine ſuſcepere, cogantur exſolvere*. Blondellus *de primatu pag.* 532. & Jacobus Gothofredus *in comment. ad l.* opinantur, Theodoſio & Valentiniano eos fuiſſe Primates, qui, ſublatis aut exactis Patriarchis, in Synedriis creari coeperunt, & tum in Paleſtina, tum in aliis Provinciis Synagogas, earumque Antiſtites ſumma poteſtate regebant. Atque illi in ea ſunt opinione, quæ cauſſæ noſtræ non officit. Nam Primates, quos ex ſententia fingunt, quum in Patriarcharum locum ſucceſſiſſent, rem Judæorum publicam gerebant, nec in Præſulum Synagogicorum ſenatum cooptati erant. Attamen duo exquiſita nobis ſunt argumenta, cur credamus, Imperatores nunquam de Primatibus cogitaſſe, qui, abrogato Patriarcharum Imperio, renuntiati eſſent in Synedriis. Primum Patriarchæ inter Judæos non deſierunt, niſi poſt annum ccccxv. cum Judæis Gamaliel Patriarcha imperabat, qui ob improbitatem impudentiamque ſuam codicillos Præfecturæ honorariæ amiſit *l.* xxii. *Cod. Th. de Judæis*. Illius mentionem injecit Hieronymus *in Epiſt. ad Pammachium* 101. *Dudum*, ait, *Heſychium virum conſularem, contra quem Patriarcha Gamaliel graviſſimas exercuit inimicitias, Theodoſius Princeps capite damnavit, quod ſollicitato Notario chartas ejus invaſiſſet*. At enim ante id tempus Primates in numero eorum reponuntur, qui Judæorum Præſides erant & Principes. In lege enim viii. *Cod. Th. de Judæis*, quæ anno cccxcii. rogata eſt, Imperatores pertulere, ne ἀποσυναγωγοι hoc eſt illi quos Primates Sonagoga projeciſſent, in eam recipi poſſent Judicum ſententia & auctoritate, *Judæorum querelæ*, ſic Imperatores, *quoſdam auctoritate Judicum recipi in ſectam ſuam, reclamantibus legis ſuæ Primatibus, adſeverant, quos ipſi judicio ſuo ac voluntate proiiciunt: Quam omnino ſubmoveri jubemus injuriam: Nec eorum in ea ſuperſtitione ſedulus cœtus, aut per vim judicum, aut reſcripti ſubreptione, invitis Primatibus ſuis (quos Virorum Clariſſimorum & illuſtrium Patriarcharum arbitrio manifeſtum eſt habere ſuam de religione ſententiam) opem reconciliationis mereantur indebitæ*. Quocirca Primates apud Judæos non illi fuerunt, qui decedentibus Patriarchis ſubrogati eſſe dicuntur, ſed qui, vel ipſis imperantibus Patriarchis, Synagogæ præfecti erant & quaſi cognitores & arbitri de ſacris cenſebant. Huc accedit quod in toto Romano orbe unicus erat Judæorum Patriarcha, qui originem conſecrabat ſuam Hilleli Babylonio, cujus poſteris vel prorſus e vita exemptis, vel abdicatis ſumma illa dignitas abrogata eſt: Epiphanius in *Hæreſi* xxx. de Juda quodam, Εἰς πατριαρχίαν τρεφόμενος, ὀυδεὶς γὰρ ἄλλος ἁρπάζει τὰς ἀρχὰς παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, ἀλλὰ υἱὸς πατέρα διαδέχεται, *Ad ſpem Patriarchatus educebatur, neque enim Magiſtratus apud Judæos ullus præripit, ſed Parenti filius ſuccedit*. Contra Primates iſti, qui Patriarchis ſucceſſiſſe feruntur, multi fuere non modo in Palæſtinis, ſed in aliis Imperii Romani provinciis, *Qui in utriuſque Palæſtinæ Synedriis nominantur, vel in aliis provinciis degunt*. Si Primates loco Patriarcharum creari cœpiſſent, dignitatis ſumma ratio non ſinebat, eos in univerſis Provinciis eſſe complures. Quapropter ſuſpicamur, illos quos Theodoſius & Valentinianus Primates dixere, non alios fuiſſe ab Archiſynagogis ſive Presbyteris, qui Synagogas adminiſtrabant. Illi enim quotannis aurum e ſingulis Synagogis colligebant, quod olim Patriarchis pendebatur, *Judæorum Primates quæcunque poſt exceſſum Patriarcharum penſionis nomine ſuſcepere*. Idem vero ipſum Archiſynagogis & Presbyteris injunctum erat *leg.* xiv. *Theod. Tit. de Judæis*, in qua eos *a ſingulis ſynagogis exactam ſummam atque ſuſceptam* ad Patriarcham exportare Arcadius narravit. Scriptor porro vitæ Chryſoſtomi poſteris tradidit, Archiſynagogos aliquos a Patriarchis munere ſuo fuiſſe deiectos, qui ſatis multas pecunias non conferebant. Ex quo quiſque facile efficiet, Presbyteros Synagogæ, qui & Majores & Seniores audierunt, Primates ſæpe fuiſſe appellatos. Neque enim nos movet, iſtos Primates in Synedriis eſſe renun-

nuntiatos, ſive, ut Imperatores loquuntur, *in utriuſque Palæſtinæ Synedriis nominatos*, quod eruditis non abſurdum eſſe videtur, Synedria vocari Synagogas potuiſſe, in quibus Antiſtitum Senatus & quaſi Synedrium ſedebat. Atque veroſimile non eſt, Judæis, quorum, Imperatore Theodoſio juniore, res omnes afflictæ erant, per idem tempus tum in Palæſtinis, tum in aliis Provinciis vera Synedria hoc eſt Dicaſteria fuiſſe conceſſa, in quibus quæſtiones de ſacris & de publicis haberentur. Perſequuti ſumus hactenus equidem Synagogicos Præſules, qui diverſis elogiis in legibus afficiuntur, pauciſque dedimus, eos in uno omnes ordine fuiſſe conſtitutos, & ariſtocraticum quendam ſenatum feciſſe, qui communi conſilio rebus omnibus conſuleret. Plane docuimus, Synagogam, quam Romani legum conditores cognoverunt, eandem eſſe, quæ a Philone & Joſepho, itidemque in libris novi Fœderis deſcripta èſt. Continebatur igitur vetus Synagoga Præſulibus, qui poteſtate, munere & gradu pares erant. Quumque Apoſtolica Hierarchia ſummum unum Præſidem in ſingulis fere Eccleſiis complectatur, qui inter Presbyteros dignitate & ordine emineat, ea profecto aut nuſquam, aut alíorſum referenda eſt, atque ad eam gubernandi rationem, quam Synagoga habebat.

XVII. Jamvero fere omnia retexuimus, quæ Grotius de Epiſcopis eorumque origine diſputavit. Nunc diſpicienda ſunt, quæ ille de Senioribus ſive de Presbyteris ediſſeruit, quos Genevenſis Eccleſia *laicos & temporarios* appellat. Joannes Calvinus *Inſt. lib.* IV. *cap.* XI. duplicem Presbyterorum cœtum fecerat, alterum eorum, qui Paſtores & Religionis Doctores eſſent, item ſacra faſtitarent, alterum vero eorum, qui Eccleſiam gubernarent, cenſuram peragerent, cognitionibus de ſacris præeſſent, univerſamque clavium poteſtatem adminiſtrarent, *Fuerunt*, inquit, *ab initio conſtituta in Eccleſiis judicia, quæ cenſuram de moribus agerent, animadverterent in vitia, & exercendo Clavium officio præſiderent. Hunc ordinem deſignat Paulus in epiſtola ad Corinthios, quum gubernationes nominat. Item ad Romanos; quum dicit*, Qui præeſt, in ſolitudine præſit. *Non enim alloquitur Magiſtratus* (*qui nulli tunc erant Chriſtiani*) *ſed eos, qui ad ſpirituale Eccleſiæ regimen erant adjuncti Paſtoribus. Ad Timotheum quoque duplices indicat Presbyteros, alios qui laborant in verbo, alios qui verbi prædicatione non funguntur, & tamen bene præſunt. Hoc poſteriore genere non dubium eſt, quin eos intelligat, qui ad inſpectionem morum & totum Clavium uſum conſtituti erant.* Sic Calvinus, cujus ad ſententiam Belgæ quum inſtituti eſſent, in publica Fidei conceptione, quam *confeſſionem* dicunt, hæc declarant, *Credimus veram hanc Eccleſiam ſpirituali illa politia, quam nos Deus verbo ſuo docuit, gubernari debere, ut videlicet Miniſtri ſive Paſtores ſint, qui verbum Dei annuntient, & Sacramenta adminiſtrent, Seniores quoque ſint, & Diaconi, qui cum Paſtoribus Senatum quaſi Eccleſiæ conſtituant.* Atque non modo in Belgio, ſed in pleriſque Calvinianis urbibus alii ſunt Presbyteri *docentes*, alii vero *regentes*, iidem qui tamquam Eccleſiæ Moderatores & Præſides rem gerunt. In Senatum congregantur, quem Presbyterion aut Synedrion vocant. Hanc Eccleſiæ politiam multi Gomariſtæ, quibuſcum Arminianis ſummum negotium erat, Apoſtolicam & pene Divinam habuere. Quid igitur Grotius? Primum affirmat, temporariis Presbyteris, quos Paſtorum adſeſſores exiſtimat, nullam eſſe auctoritatem quæ ab Evangelicis legibus oriatur, eoſque nuſquam in priſca Eccleſia extitiſſe, quæ non alios ſibi Presbyteros creavit, quam Paſtores & Doctores: deinde quo facilius iniret cum ipſis Gomariſtis concordiam, pro iis Presbyteris ſive Adſeſſoribus ita dicit, ut arbitretur, illos renuntiari potuiſſe vel Eccleſiæ decreto, vel ſummorum Principum conſilio, ſi hoc munus Religioni & Reipublicæ profuturum ſit. Ex quo cum in utriuſque Fœderis tabulis, tum in veteris Eccleſiæ monumentis exempla quærit, quæ declarent, novos ſæpe adminiſtros veteribus fuiſſe adjunctos.

XVIII. Quod primo loco poſitum eſt, ille perſpicuis Divinorum Scriptorum & veterum Patrum teſtimoniis, lectiſſimis quidem argumentis perſequitur ad eos refellendos, qui ſibi adverſabantur: Quidquid vero contra objiciebatur, aut facere videbatur, accurate percurrit & facile explicat. Hac in diſputatione de magno LXX. Seniorum

Sy-

Synedrio, & de aliis minoribus Urbium Senatibus multam mentionem injecit. Gomariſtæ duplicis generis fuiſſe Synedria apud Hebræos docebant, quorum in aliis de Religione, in aliis vero de politicis & publicis rebus Senatores conſultarent & decernerent: quod quum conſtituiſſent, libere efficiebant, in Apoſtolica Eccleſia, quæ formam Hebraicæ Theocratiæ referebat, cœtum fuiſſe Presbyterorum, qui nullas Sacerdotii partes explebant, ſed tantum ad Eccleſiæ gubernacula ſedebant. Hos Grotius opinionis arguere ſuæ aggreditur. Is enim Synedria genere diverſa non exiſtimat: tum Hieroſolymitanum, quod LXX. viros continebat, tum cætera, quæ in Urbibus erant, ita conſtituta fuiſſe cenſet, ut in iiſdem non modo de Republica, ſed de ſacris referretur propter Theocraticam Civitatis temperationem. Etſi enim in Synedros ſæpe Sacerdotes & Levitæ cooptarentur, attamen eos tanquam juris conſultiſſimos fuiſſe allectos ducit. Hæc ille præclare: ſed quum Synedriorum antiquitatem afferat, eaque a Moſaicis temporibus extitiſſe ſentiat, in communi multorum errato verſatur. Rabbinos enim (ſic Thalmudicos Scriptores dicimus) ſequitur atque ex eorum opinione veteris Teſtamenti ſacros Scriptores intelligit. Illis enim auctoribus quaſi probis teſtibus omnem eſſe adhibendam fidem in iis, quæ ad Judæos reſpiciunt, plane profitetur: *Primum omnium*, inquit, *quibus magis par eſt credi in re Hiſtorica ad Rempublicam Judaicam pertinente, quam Judæis, ipſis plane ut in hiſtoria græca Græcis, in Romana Romanis?* Qui iſta legerit, ſane admiratur virum ingenio, judicioque excellentem mereri de Rabbinis voluiſſe. Nam optimum omne Criticorum nomen ſic tenet, perexiguam eſſe illorum Judæorum auctoritatem, qui everſis Hieroſolymis fuerunt, quumque Rempublicam non vidiſſent, de illius forma & Magiſtratibus litteris tradiderunt quidquid anceps fama tulerit. Neque enim Flavius Joſephus in libris, in quibus res ſupra Captivitatis Babylonicæ tempora repetendas perſcribit, certius aliquid afferre poteſt. Etenim de antiquiſſima Populi ſui Republica ex temporum, in quibus vivebat, moribus exiſtimare ſolet, aut etiam ea, quæ poeticis magis decora ſunt fabulis, ex ſententia perſequitur. Dignus ille eſt, cui credatur, ſi quæ tanquam perantiqua memoriæ mandat, cum incorruptis rerum geſtarum monumentis conſentiant. Quocirca conſtituamus neceſſe eſt, univerſam veterum Hebræorum politiam ex priſcis tabulis eſſe cognoſcendam, quas Divini Scriptores nobis reliquerunt. Atque in iis locus nullus eſt, in quo narratur, perpetuum aliquem apud Hebræos fuiſſe conſcriptum Senatum, qui tum Rempublicam, tum Eccleſiam ſumma poteſtate gubernaret. Quæ objiciuntur, id non valent, quod contra nos facere poſſit. Primum magni Synedrii origo ducitur *ex capite* XI. *Num.*, in quo Deus Moſem ſic affatus eſt, *Congrega mihi* LXX. *e Senibus Iſraelis, quos Senes Populi eſſe noſti, ejuſque præfectos, eos ducito ad tentorium conventus, & ſtent ibi tecum. Ego vero deſcendam, loquar illic tecum, partiar ſpiritum, qui tibi ineſt, iiſque adſlabo, & ferent tecum onus hujus populi, neque tu ſolus amplius feres*. Hæc Rabbini apud Joannem Seldenum in opere *de Synedriis & Præfecturis juridicis veterum Hebræorum* ſic accipiunt, ut doceant, maximum LXX. Synedrorum Conſeſſum a Deo fuiſſe creatum, in quo non modo ad jus dicendum, ſed ad legendos, abdicandoſque Judices & Reges ſumma ineſſet auctoritas. At nihil hujuſmodi ex Divinis verbis elicies. Sæpenumero Moſes multis Judæorum quereiis intererat: quoniamque eas cohibere non poterat, Jehovam adivit, & cum eo ita expoſtulavit, *Non poſſum*, inquit, *ſolus ferre univerſum hunc populum, gravior eſt, quam ut ferre queam*: quibus vocibus Jehovam demeruit, qui ſtatim juſſit, viros ſeptuaginta legi ex ſenibus Populi, & ex iis, qui Magiſtratus renuntiati fuerant; *Congrega mihi ſeptuaginta e Senibus Iſraelis*. Senatus nempe creatus eſt, qui Moſi in ſuſtinendo frequentiſſimo Populo adjutor eſſet. Neque enimvero agebatur de illo levando labore, qui in dicendo jure, & in politicis regendis rebus litibuſque judicandis erat impendendus. Nam Moſes hoc onere liberatus fuerat, cum Magiſtratus Populo dederat, & Chiliarchos, Centuriones, Pentecontarchos & Decuriones auctore Jethrone Socero, dixerat *Exod. cap.* XVIII. Igitur quid eſſet iſtud, quod Moſi tam grave erat & permoleſtum,

Præcipua omnia explicata ſunt, quibus Rabbini veterem Synedrii auctoritatem vindicant. Paucis nunc dicentur, quæ communi illorum opinioni prorſus non conſentiunt. Si tota enim ſacra hiſtoria perluſtretur, in quolibet temporum intervallo maxima quæque ita peracta fuere, tanquam ſi nullus perpetuus in Republica Senatus imperaret. Demortuo Joſua Hebræus Populus Sophetim hoc eſt Judicibus paruit, quos Jehova extra ordinem dabat. Attamen res ad ἀναρχίαν *anarchiam* ſæpe veniebat, quo tempore officiorum ratio omnis requirebatur; leges impune violabantur, & abrogato Jehovæ cultu ſuperſtitio ſubſtituebatur: *Tum vero*, inquit Divinus auctor *Jud.* XXI 25., *nullus erat Rex in Iſraële, quiſque faciebat, quod ſibi videbatur*. Simul finitimi Hebræis bella undique inferebant, totus ager infeſtus erat, omnia ſubigebantur. In difficillimis his temporibus Senatus nuſquam conſulitur, nunquam cogitur, nunquam de eo cogendo conſilium capitur, imo nunquam ejus mentio vel ſubobſcura injicitur. Grotius 2. *Par.* XIX. 5. arbitratur, *eo intervallo omiſſam eſſe per incuriam creationem ſynedrorum* LXXII. *quemadmodum & ante Joſaphati tempora*. Sed ille, ſi a Rabbinis recedere voluiſſet, quum in maximo Civitatis diſcrimine perpetuos illos Synedros omnino ſiluiſſe cognoſceret, potius exiſtimaſſet eos numquam extitiſſe. Creati deinde Reges fuere, qui in regendo populo & in publicis privatiſque rebus conſtituendis arbitrium egere ſuum. Illorum alii ſapientes & pietate eximii ſatis caverunt, ne cives unquam a patria Religione deſciſcerent, ſed alii, quum ſuperſtitionem aſciviſſent, ad eandem ſibi habendam civibus fuerunt auctores. Nemo tum erat, qui Regum voluntati intercedebat, niſi quis Propheta extra ordinem a Deo mitteretur, ut eos criminis ſui commonefaceret, & Populum ad ſaniorem mentem revocaret. Quod tum Synedrium agebat? An unquam de iis conſultavit, quæ ex uſu eſſent? Contra univerſa, quæ Reipublicæ prodeſſent, ſic Divino conſilio providebantur, perinde atque nullus Procerum Magiſtratuumque fuiſſet ordo, qui dare operam potuiſſet, ne Civitas & Religio aliquid fraudis cepiſſent. Igitur, dum Judices & Reges fuere, Hebræorum hujuſmodi erat politia, ut ei non congrueret Conſeſſus LXXII. Synedrorum, quem Rabbini fingunt. De ſtatu Reipublicæ in Captivitate Babylonica nihil attinet dicere. Sed poſtquam Populus in patrios lares reverſus eſt, Rectores habuit ſummos & Principes viros, qui a Perſis Regibus gratiam iniverant. Inter eos Eſdras de emendandis moribus ſancivit, fœdus cum Jehova inſtauravit, idque effecit ut Proceres, Sacerdotes & Levitæ ab eo nunquam receſſuros pollicerentur *Eſd. cap.* IX. *&* X. Pari auctoritate Nehemias ſe geſſit, & multa eaque maxima negotia ſolus perfecit, quæ *in libri ſui cap.* VIII. narrantur. Summa Populi ſalus flagitabat, ut Senatus, ſi quis perpetuus extitiſſet, de ſummis rebus conſuleretur, aut ſi omiſſa propter diuturnitatem captivitatis cooptatione perexiguus eſſet Synedrorum numerus, is ſtatim expleretur. Nihil autem horum peractum eſt, quod ſatis docent illius ætatis æquales Scriptores. Quocirca perſpicuum eſt, eo intervallo Hebræos ſenatu prorſus caruiſſe, qui dicendo juri præſideret. Jam accedimus ad poſtrema Reipublicæ tempora. Cum enimvero Hyrcanus Hebræis imperavit, jam Synedrium Hieroſolymis ſedebat, magnaque auctoritate præditum publica & privata moderabatur, ita ut pridem conſtitutum fuiſſe videretur. Apud Flavium Joſephum *in libro* XIV *Antiq. Jud. cap.* IX. Proceres Hyrcanum contra Antipatrum ita alloquuntur, Ἡρώδης ὁ παῖς αὐτου Ἐζεκίαν ἀπέκτεινε καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ, παραβὰς τὸν ἡμέτερον νόμον, ὃς κεκώλυκεν ἄνθρωπον ἀναιρεῖν καὶ πονηρὸν ὄντα, εἰ μὴ πρότερον καθακριθεὶν τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τοῦ συνεδρίου, *Herodes ipſius filius Ezechiam ejuſque ſocios interjecit contra legem noſtram, quæ hominem quamvis malum interfici vetat, niſi prius ad hoc ſupplicium ex ſententia Synedrii damnatus fuerit*. Docti viri conjiciunt, Seleucidarum temporibus, cum maximi apud Hebræos Pontifices ad Imperium acceſſerunt, tum LXXII. Synedros lectos fuiſſe ex Sacerdotibus & Proceribus Civitatis, penes quos ſumma eſſet poteſtas. Nanque exactis Syriæ Regibus ob res novas invidiam facile ſuſtinere Pontifices non poterant, niſi inter plures eoſque omnium Civium Principes veluti Imperium dividerent. Quæ politia quum ſemel conſtituta eſſet, deinde abro-

gari non potuit, tametſi debilitatis Civium ordinibus novum Regnum firmaretur. Atque Synedrii originem ſupra illud ævum non eſſe repetendam argumento eſt nominis ratio. Etenim vox Συνέδριον nihil ab Hebræis, ſed omnia a Græcis habet, qui & Senatores ſuos ab ea appellabant. Teſtis eſt Livius *in Libro* XLV. *cap.* 32., eos qui Macedoniæ publicum Concilium faciebant, Synedros fuiſſe vocatos, *Pronuntiatum*, inquit, *quod ad Statum Macedoniæ pertinebat*, *Senatores quos Synedros vocant*, *legendos eſſe*, *quorum conſilio Reſpublica adminiſtraretur*. Quocirca Rabbini ipſi ad ſignificandum LXXII. virorum Senatum peculii ſui græcum nomen fecerunt, & סנהדרין *Sanhedrin* dixerunt; qui & Thalmudis vetus eſt titulus. Hæc contra Synedrii antiquitatem, quam Grotius efferebat. Legendi ſunt eruditi Scriptores, quos alias nominavimus, Io: Vorſtius *in diſſ. de Syn. Hebr.* quæ reperitur *in Faſc.* IV. *Opuſculor. ad Hiſt. & Philolop. Sacram ſpectantium*, Herm. Conringius *de Republ. Hebræor.*, Hermannus Witſius *Miſcellan. Sacr. part.* I. *lib.* II. *diſſ.* III., Jo: Clericus *in diſſ. de Synedrio* LXXII. *virorum*.

XIX. Redeamus ad Presbyteros temporarios, quorum munus, quamvis apoſtolicæ Hierarchiæ & priſcis inſtitutis eſſe contrarium Grotius oſtenderit, tamen creari in pleriſque calvinianis Eccleſiis potuiſſe deinde arbitratus eſt vel Principum conſilio, vel Eccleſiæ decreto, ſi Principes ei jus ſuum conceſſerint. Atque iſtud alterum eſt, de quo breviter diſputare aggredimur. Conſtituendum autem eſt, omnes officiorum, quæ ad Eccleſiam pertinent, duplex eſſe genus. Nam alia ſunt, quæ expleri nefas eſt, niſi ab iis, qui rite Sacerdotium nacti ſunt & in Paſtorum numero reponuntur: alia vero, quæ peragi poſſunt ab illis, qui Clero nomen non dederunt. Priora illa arbitrio & poteſtati ſummorum Principum nemo deferre poteſt, niſi Divinum omne jus ſuſtulerit. Quo enim jure Sacerdotium inſtitutum eſt, eodem munia deſcripta fuere, quibus contineretur. Sed quæ poſtrema ſunt, ſi ita facto opus fuerit, ea committi facile poſſunt vel minoribus Clericis, vel illis, qui nunquam in Clerum cooptati fuere, ſed Eccleſiæ conſenſu, & auctoritate. His explicatis hoc cum Grotio agetur, an univerſum munus, quod Presbyteris profanis datum eſt in Calvinianis Eccleſiis, ejus ſit dignitatis, ut in Evangelico Sacerdotio hæreat, nec quovis Principum Chriſtianorum juſſu ab eo divelli poſſit. Presbyteris iſtis apud Calvinianos hæc obtigere, ut Eccleſiaſticis judiciis præſint, de ſacris judicium reddant, Divinam Clavium provinciam procurent, diligenter caveant, ut Paſtores ex legibus ſeſe gerant & Eccleſias moderentur. Sed omnis illa poteſtas Apoſtolis, ſummis quidem Sacerdotibus, atque iiſdem, qui Eccleſiæ erant primi paſtores, ita credita eſt, ut in eorum dignitate neceſſario conſiſteret. Petrum Apoſtolorum principem Dominus alloquutus eſt, cum apud Joannem, *Paſce*, inquit, *agnos meos*, *paſce oves meas*: Idem Dominus ſolos Apoſtolos ſic affatus eſt apud Matthæum 18. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram*, *erunt ligata & in Cœlo*, *& quæcunque ſolveritis ſuper terram*, *erunt ſoluta & in Cœlo*. Ab his & ſimilibus novi Fœderis locis præfectura Eccleſiaſtica ortum cepit, eaque ab initio non quibuslibet è Populo Quiritibus, ſed iis mandata eſt, qui in Sacerdotio conſtituti eſſent. Complures fuere, qui in animum induxerunt, ſacram clavium poteſtatem ab origine ſua penes Eccleſiam ſive ipſam Chriſtianorum univerſitatem reſediſſe, e qua deinde in Romanum Pontificem & in cæteros Epiſcopos trajecta ſit. Opinionis illius auctor eſſe videtur Edmundus Richerius, qui Anno CIↃIↃCXI. librum ſcripſit & evulgavit, *de Eccleſiaſtica & politica poteſtate*. Concedamus iis, quod ex voto ſibi ſumunt: Non ſequitur vero, juriſdictionem, quæ Eccleſiæ tributa ſit, aliis demandari poſſe, atque illis, qui Apoſtolis in Sacerdotio ſucceſſerunt. Nanque Chriſtus, quum primum gubernatores Eccleſiæ daret, eos elegit, quos Paſtores & Sacerdotes creaverat ita ut regendi auctoritatem ab Antiſtitum officio non disjungeret. Sic quicquid Richeriani opinantur, cauſſæ non officit noſtræ, quamvis illud a Divina Eccleſiæ politia diſſentiat, de quo alias diſputatur. Conſulatur vir eruditiſſimus Petavius *in Eccl. Hier. lib.* III. *cap.* XIV. Nunc enim nobis ad id inſtandum eſt, quo ſpe-

ciat

ctat oratio. Apoſtoli eam Eccleſiæ conſtitutionem, quam Chriſtus conceperat & juſſerat, quum bene intelligerent, eorum, quos in locum ſuum ſubrogatos voluerunt, non alios rectores, & alios doctores, ſed eoſdem rectores & doctores Sacerdotes renuntiaverunt. Petrus *in Epiſt.* 1. 5. 2. ad Epiſcopos ſcribit, *Paſcite, qui in vobis eſt, Dei gregem*. Neminem autem fugit, in libris novi Teſtamenti, id quod eſt ποιμαίνειν latine *paſcere* idem valere atque *docere, monere, Sacra peragere, Eccleſias regere & Eccleſiaſticam omnem auctoritatem adminiſtrare*. Iidem igitur Eccleſiæ doctores erant, qui & gubernatores. In hanc ſententiam Paulus, ubi Epiſcoporum munus explicabat, eos his monuit *Act.* 20 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos ποιμαίνειν paſcere Eccleſiam Dei*. Atque ποιμὴν & διδάσκαλος *gubernator & doctor* in epiſtola *ad Epheſios* IV. duo ſunt nomina, quæ diverſas pontificiæ dignitatis partes, ſed nunquam divellendas declarant. Ex quo, cum ſolus nominatur διδάσκαλος in 1. *ad Corinthios* XII. 28., idem & intelligitur eſſe ποιμὴν *gubernator*. Ea erat Apoſtolicæ Eccleſiæ forma, è qua nuſquam Catholicus orbis deinde ita receſſit, ut alii Antiſtites & Doctores, alii vero Præſides ſacrorum conſtituerentur. Qui enim Sacerdotium in ſingulis Eccleſiis gerebant, ad eos univerſa clavium poteſtas pertinebat. Igitur quoniam dubium non eſt, quin Divina lege ſacrum Eccleſiarum regimen in Sacerdotio comprehendatur, facile efficitur quod volumus, Chriſtianis Principibus jus illud non eſſe deferendum, ut ſive per ſeipſos ſive per Eccleſiam Presbyteros deligant, qui Eccleſias in ſacris moderentur, qui nec ad Sacerdotium admoti eſſent, nec clero nomen dediſſent.

XX. Atque neceſſe eſt paucis ea percurrere, quæ Grotius pro profanis iſtis (quo nomine utimur ſine invidia in eum ſenſum ut illi ſacri non ſint, qui profani dicuntur) Presbyteris exprompſit. Cauſſam is agit hujuſmodi exemplis, ex quibus conficit, ſæpe Principes & Eccleſiam veteribus muneribus nova adjeciſſe, ſi ad faciliorem congruentioremque vel diſciplinæ vel Religionis adminiſtrationem ea facere viderentur. Omnia vero partim delibavit ab Hebræorum & Apoſtolorum ſcriptis, partim a monumentis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Verum enimvero qualiacunque illa ſint, in iis ſatis roboris non eſt ad id probandum, quod Arminianus ſtudebat. In univerſis enim officiis, quorum exempla afferuntur, illud non inerat, ut ad ea exercenda ſive apud Hebræos, ſive apud Chriſtianos Paſtoris ejuſdemque Sacerdotis dignitas requireretur: Ab illis exordiamur, quæ ex hebraicis vel apoſtolicis libris colliguntur. Primum ponitur in medio Judaicum Synedrinm, in quo Sacerdotibus adſederunt delecti è populo Presbyteri, qui non modo de civilibus negotiis, ſed de ſacris deliberarent & decernerent. *Hinc colligimus*, inquit Grotius, *cum ex novo Teſtamento nihil in contrarium afferatur, juriſdictionem de Sacris hoc eſt judicium publicum & cum imperio conjunctum poſſe juxta Paſtores quibuſdam e Populo mandari; præſertim ſi partes potiores deferantur Paſtoribus, ſicut in Sacris major auctoritas Amariæ, quam Sabadiæ*. At cavendum erat viro docto, ne quæ longe diſcrepant, una confunderet. Licuit quidem illis, qui ad ſummum Imperium in judaica Republica pervenerant, Synedrium condere, in quo Seniores adjuncti Sacerdotibus de politicis & ſacris rebus jus dicerent. Nanque apud Hebræos omnis politia erat Theocratica, ita ut, quum Civitas ab Eccleſia non divideretur, idem Reipublicæ moderator eſſet qui & Religionis. Sacerdotibus illud ſeorſum dabatur, ut omnia ſacra peragerent. Contra diverſa eſt Religionis conſtitutio ex lege, quam Chriſtus rogavit in novo Fœdere. Chriſtiani enim Civitatum Rectores ex ipſius Principatus jure Eccleſiæ ſunt Tutores, Patroni & Vindices, attamen Sacerdotes non modo ſacra factitant, ſed porro iſtud ſibi tribuunt, ut tanquam utriuſque Tabulæ interpretes de iis judicent, quæ ad Divinum pertinent cultum. Ea enim poteſtas in Sacerdotio hæret, nec ab eo disjungi poteſt: ex quo quivis intelligit eam quibuslibet è Populo mandari non poſſe ſine ſummo Divini juris contemptu. Verum Grotius addidit, Corinthios potuiſſe in Eccleſia conſtituere privatarum controverſiarum diſceptatores, auctore Apoſtolo. *Si tantum licuit*, ait, *Eccleſiæ ad lites fugiendas, quidni tan-*

tantum licuerit ad evitanda ὀλιγαρχίας (*dominatus paucorum*) *mala* . Sic enim ille imprudentes ignaroſque fallere exoptavit. Nanque quantum differat inter civilium litium arbitros, de quibus Paulus I. *Cor. cap.* VI., & Eccleſiæ Præfectos, quales ſunt Calviniani Presbyteri, quiſque ita videt, ut hoc ipſum dicere maxime pigeat. Sed perrexit ipſe, *Licuit Eccleſiæ quoſdam deligere, qui ſuo nomine pecunias perferrent atque erogarent: quare cum Paſtoribus competat inſpectio in Diaconos, licet etiam Eccleſiæ ad eam rem ſocios quoſdam Paſtoribus adjungere* II. *Cor.* VIII. 19., *Philip* II. 22. μήτις αὐτοὺς μωμήσηται ἐν τῇ ἁδρότητι τῇ διακονουμένῃ ὑπ᾽ αὐτῶν ne quis eos vituperet in plenitudine, quæ miniſtratur ab eis *ut cum Apoſtolo* II. *Cor.* VIII. 20. *loquar*. His verbis ſignificavit & Diaconorum creationem *Act. cap.* VI. & Apoſtoli illud conſilium, ex quo adjutores duos Tito ad pecunias a Corinthiis colligendas aſſignavit II. *Cor.* VIII. 20. Ac primum non animadvertit, Diaconos quidem Epiſcopis & Presbyteris fuiſſe adjectos, ſed monentibus Apoſtolis, qui illos conſecrarunt, nec ut ullas Sacerdotii præcipuas partes explerent, ſed ut pauperibus conſulerent, iiſque coactam ſtipem conferrent. Quid his commune ſit cum Calvinianis Presbyteris, qui, quamquam è profanorum Civium cœtu non ſegregantur, tamen in eximia Sacerdotum munia invadunt? Deinde adjutores illi, de quibus Paulus in capite VIII. ſecundæ Epiſtolæ ad Corinthios commemoravit, non erant è Plebe capti homines, ſed è numero Doctorum & Evangeliſtarum, ut ſimul cum Tito procurandis pecuniis operam darent. Inter eos erat Lucas Pauli comes. Omnia vero ita geſta ſunt. Scripſit Apoſtolus ſecundam ad Corinthios epiſtolam anno III. aut VI. Neronis, LVII. aut LVIII. Chriſtianæ æræ. Per illud tempus rapinis Procuratorum Romanorum & injuriis ſeditioſorum Judæorum Chriſtiani Hieroſolymis in ſummum egeſtatis diſcrimen adducti fuerant. Quocirca ille Corinthios opibus affluentes commonefecit, ut liberalitate uterentur ſua in illos Fratres, quorum afflictæ res erant, exemplo Eccleſiarum quæ erant Philippis, Theſſalonicæ & in aliis Macedoniæ Urbibus: Univerſo huic negotio Titum præfecit, ad quem duos ex ordine Evangeliſtarum accedere juſſit. Quid igitur Apoſtolus peregit, ex quo Calvinianæ Eccleſiæ ad creandos Presbyteros ſuos auctoritatem ſumerent? Ad extremum mentionem Arminianus injecit Antiochenæ Eccleſiæ, quæ Act. XV. 2 quoſdam e cœtu ſuo cum Barnaba & Paulo miſit, qui Concilium Hieroſolymitanum de morum moſaicorum poteſtate ſententiam rogarent. Quod quum is fecerit, eo fuiſſe ingenio videtur, ut partium ſtudiis delatus in deligendis argumentis diligentiam amitteret, & quidquid in mentem venerit, libere funderet. Antiochena enim Eccleſia novi generis adminiſtros non creavit, ſed tantum ex Paſtoribus & Doctoribus ſuis quoſdam legit, qui, orta de moſaicis legibus controverſia, eam Apoſtolis conſultandam judicandamque committerent.

XXI. Atque ita explicata ſunt omnia, quæ ex ſacris litteris recitantur: Reſtant quæ ex monumentis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ obiiciuntur. In Actis Conciliorum ſæpenumero leguntur Senatores & Magiſtratus politici, quos cognitionibus de Fide intereſſe Imperatores juſſerunt. Igitur *quod licet in Synodis*, inquit Grotius, *cur non liceat in presbyteriis, præſertim cum in anguſtioribus territoriis non minor ſit habenda ratio Presbyteriorum, quam Synodorum in tanta Romani imperij amplitudine? . . . Synodis laicos interfuiſſe et inibi ſententiam dixiſſe tum ex magni Concilij hiſtoria, tum aliunde ita manifeſtum eſt, ut ne Nicolaus quidem Papa id auſus ſit negare*. At enim, Arminiane, non vides, Senatorum, qui ad Synodos mittebantur, hujuſmodi non fuiſſe partes, ut comparari Presbyteris poſſint, ex quibus Synedria apud Calvinianos conſociantur. Illi enim piorum Imperatorum juſſu in Œcumenica Concilia veneruut, ut gerendarum rerum ordinem gubernarent, Epiſcopis tranquillitatem & ſecuritatem afferrent, ſeditioſorum motus cohiberent, nec tamen de ſacris pronuntiarent, ſed potius ad Fidem docerentur. De iis multa *in proluſione*. Dicendum autem eſt de Nicolao Papa, qui Grotio videtur non abnuiſſe, quin laicis daretur de Fide decernere. Pontifex in epiſtola VIII. ad Michaelem *apud Gratianum diſt.* 96. *cap.* 4. hæc habet, ad

quæ

quæ Grotius reſpexit, *Dicite, quæſumus, ubinam legiſtis, Imperatores anteceſſores veſtros in Synodalibus conventibus interfuiſſe? Niſi forſitan in quibus de Fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolum ad Clericos, verum etiam ad laicos & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos. Vos autem non ſolum Synodo in cauſſa Sacerdotis* (ideſt Ignatii) *collectæ interfuiſtis, verum etiam numeroſa ſecularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregaſtis*. In iis verbis Nicolaus affirmavit, Imperatores & Magiſtratus Synodis affuiſſe, in quibus de fide conſuli ſolebat, ſed quo animo & qua auctoritate in illis conſederint, porro planum non fecit. Iſtud ergo ex pia antiquitate cognoſcendum eſt, ad quam ille ſpectavit. Theodoſius Imperator Patricium Florentium virum conſularem miſit in Conſtantinopolitanam Synodum, quam contra Eutychetem Flavianus Antiſtes coegerat, ſcriptis ad Epiſcopos litteris in hanc ſententiam, Ἐπειδὴ δὲ οἴδαμεν τὸν μεγαλοπρεπέστατον πατρίκιον φλωρέντιον ὄντα πιστὸν, καὶ μεμαρτυρημένον ἐπὶ τῇ ὀρθότητι, θέλομεν συνεῖναι αὐτὸν τῇ ἀκροάσει τῆς συνόδου, ἐπειδὴ λόγος περὶ πίστεως ἐστὶν, *Quoniam ſcimus magnificentiſſimum Florentium eſſe fidelem, & teſtimoniis probatum in recta fide, volumus ipſum intereſſe audientiæ Synodi, quia ſermo de Fide eſt*. Integra epiſtola deſcripta eſt in Actis Synodi, quæ in actione prima Calchedonenſis Concilii recitantur. Sedit vero Patricius Florentius in Synodo, quod de Fide, re omnium communi agebatur, ſed recuſavit, quominus de dogmate decerneret. Ille quidem Eutychetem ſemel iterumque rogavit, *Duas naturas* (in Chriſto) *dicis & homouſion nobis?* tum eundem monuit in ea verba, Ὁ μὴ λέγων, ἐκ δύο φύσεων, καὶ δύο φύσεις, οὐ πιστεύει ὀρθῶς, *Qui non dicit, ex duabus naturis, & duas naturas, non credit recte*. Verum quum hæc legerentur in Epheſino Concilio, Florentius, qui aderat, mentem ita aperuit ſuam, τὰ εἶπον, οὐχ ὡς διαλαλῶν, ἀλλὰ προτρέπων αὐτὸν τοῖς λεγομένοις παρὰ τῆς συνόδου συνθέσθαι, *ea dicebam non quaſi interloquens, ſed exhortans eum, ut conſentiret his, quæ a ſancta Synodo docebantur*: deinde addidit, Οὐδὲ γὰρ ἐγὼ οἷός τε ἤμην δογματίζειν, *neque enim idoneus eram dogmata explicare*. Ex his duo ſequuntur, alterum, Orthodoxos Magiſtratus ad Œcumenicas Synodos adiviſſe ea de cauſſa, quod de Fide conſultaretur, alterum autem, eoſdem nec auſos eſſe de Fide judicare, nec id poteſtatis eſſe ſuæ crediſſe. Ad Nicolaum Papam revertatur oratio. Quum ille veteres Imperatores dixiſſet Conciliis interfuiſſe, quæ propter Fidem ſociabantur, iſtud eorum jus ſignificavit, quod antiquitas attribuerat. Docuit nimirum, illos in hujuſmodi Conciliis ea fuiſſe poteſtate, ut tanquam Catholicæ Fidei Patroni ad eam omnium primi inſtituerentur, eandemque ſtatim Populis aſciſcendam curarent. Igitur negavit eos Religionis eſſe Judices & Diſceptatores.

Cætera refellere pergamus. Protulit enim Arminianus deinde ἐκδίκους *advocatos Eccleſiarum* & Seniores, φροντιστὰς *Curatores*, Πρεσβύτιδας *Presbyteras*, quorum omnium exemplo temporarios creari in Calvinianis Eccleſiis Presbyteros potuiſſe arbitratus eſt. At enim iſta officia, quæ conferuntur, genere diverſa ſunt a Calviniano Presbyterio, quocum conferuntur, ita ut hoc illorum ſimilitudine tueri non conveniat. Nam penes Presbyterium Eccleſiarum regimen reſidet; Advocati vero, Curatores, Presbyteræ & Seniores Eccleſias non gubernabant, ſed iis deſerviebant. Quocirca de ſingulis iis muneribus, quæ nec diligenter, nec accurate Grotius deſcripſit, parumper diſſerendum eſt. Ἔκδικοι, qui & ἐκκλησιέκδικοι, Eccleſiarum *defenſores* erant apud latinos. Nam quos defenſores Patres Africani in multis Canonibus dixerunt, eos ἐκδίκους Græci vocant in Codice Africanæ Eccleſiæ, quem ab incerto auctore græce converſum tandem Juſtellus in *Bibliotheca juris canonici veteris*, & nomine Concilii Carthaginenſis Ehingerus & Beveregius in Pandectis evulgarunt: Atque tanquam Rerumpublicarum defenſores, qui communitatis negotia procurabant, ſic Ecdici Eccleſiis operam impendebant ſuam. Hi apud ſummos Magiſtratus legibus agebant, & ſæpe ad Imperatores adibant, ſi præſertim Eccleſiis jura publice quæſita non tribuerentur, vel fortaſſis in dubium adducerentur. Antiſtites in Concilio Carthaginenſi can. IX. ſancivere, ut ſi cui Clerico contra leges civile officium mandare-

daretur, ab ea injuria Eccleſiam Defenſores vindicarent. Quumq. Circumcelliones in Africa Catholicis Clericis infeſta omnia redderent, de eo facinore, *ne pacis Eccleſiaſticæ*, inquit Poſſidius *in vita Auguſtini cap.* XII., *amplius impediretur profectus, defenſor Eccleſiæ non ſiluit*. Sed Ecdicis deinde nova provincia adjuncta eſt. Nam Patres Calchedonenſes in canone XXIII. ſive in codicis Eccleſiæ univerſæ, quem Grotius ſequitur, canone CCI. decrevere, ut illi caverent, ne Clericos & Monachos otioſe ſe habentes in regia urbe verſari ſinerent injuſſu Epiſcopi ſui: ὥρισε ἡ ἁγία σύνοδος, τοὺς τοιούτους ὑπομιμνήσκεσθαι μὲν πρότερον διὰ τοῦ ἐκδίκου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας ἐπὶ τῷ ἐξελθεῖν τῆς βασιλευούσης πόλεως. εἰ δὲ τοῖς αὐτοῖς πράγμασιν ἐπιμένοιεν, ἀναισχυντοῦντες, καὶ ἄκοντας αὐτοὺς διὰ τοῦ αὐτοῦ ἐκβάλλεσθαι καὶ τοὺς ἰδίους καταλαμβάνειν τόπους, *Statuit Sancta Synodus hos quidem* (Clericos & Monachos) *primum a Sanctiſſimæ Eccleſiæ C. Politanæ defenſore commoneri ut regia urbe excedant. Si autem iiſdem negotiis impudenter inſiſtant, eos invitos ipſe defenſor expellat, ut ad ſua loca revertantur*. Juſtinianus porro duo iiſdem injunxit, primum ut providerent ei hominum cœtui, cujus erat funera ducere *Nov.* LIX., quæ apud Grotium eſt LVI., alterum ut de Clericis, qui liturgicis muniis in Eccleſia ſatis non facerent, ad Epiſcopum referrent *leg.* XLII. *in Codicis Juſt. tit. de Epiſcopis*. Complures deinde Ecdici creati fuere, & inter eos unus omnium Protecdicus, ad quem juriſdictio acceſſit. Balſamon ad Canonem LXXVII. Carthag. Οἴομαι, inquit, ὅτι ὁ πρωτέκδικος δικαιοῦται δικάζειν πάντας τοὺς προσερχομένους αὐτῷ περὶ χρηματικῶν ὑποθέσεων, ἐγκληματικῶν ἐλαφροτέρων, *Ego exiſtimo*, inquit, *Protecdicum jus habere judicandi cauſſas omnium ad ſe accedentium ob controverſias pecuniarias & lites leviores*: Et paulo poſt, Ἑλκύσει δὲ καὶ εἰς τὸ κατ' αὐτὸν δικαστήριον πάντας τοὺς λεγομένους ἀδικεῖν τοὺς πρόσφυγας τῆς ἐκκλησίας, καὶ οὐκ ἀναγκασθήσεται αὐτοὺς εἰς πολιτικὸν δικαστήριον πέμπειν, ὡς γίνεται σήμερον, *Trahet etiam in judicium ſuum omnes eos, qui dicuntur injuria afficere ad Eccleſiam confugientes, neque cogetur eos ad judicium politicum ablegare, ut hodierno die mos eſt*. Jamvero Dionyſius Petavius *Not. in Epiphan. Hær.* LXII. *n.* X. de Ecdicis dixit, eos omnes in Clerum non fuiſſe cooptatos. In ea opinione fuit & Grotius noſter. Contra illi in numero Clericorum fuiſſe videntur ad annum CCCCVII., cum Carthaginenſis Synodus coacta eſt, quæ Legatos ad Imperatorem Honorium miſit petituros, eam ſingulis Eccleſiis facerent poteſtatem, ut defenſores ſibi eligerent ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς *ex corpore eorum*, qui in foro cauſſas dicebant. Hæc legatio continetur in Canone XCVII. *Cod. Afr. Gr. lat.* apud Juſtellum. Petentibus autem Africanis ex ſententia Honorius reſcripſit, quod percipitur ex lege XXXVIII. *Cod. Th. de Epiſcopis*. Igitur poſt id tempus e foro ferme delecti ſunt qui Eccleſias defenderent, de qua nova lege Jacobus Gothofredus in *comm. ad librum* XVI. *Titul.* II. *Theod. Cod. de Epiſcopis*, & Morinus *in Exercit.* XVI. *cap.* VI. Proficiſcamur ad Seniores, de quibus in hoc capite Arminianus multa diſſeruit. Illorum vero alii erant ipſi Sacerdotes, alii, qui, quum ex Plebe eſſent, tamen Eccleſiæ adſcribebantur, alii Magiſtratus & eximii ingenio doctrinaque cives. Tres enim eorum Ordines ex veterum Scriptorum libris cognoſcuntur. Omnium autem ſoli illi, qui in Sacerdotio conſtituti fuerant, ad Eccleſiæ gubernacula accedere poterant, cæteri vero Eccleſiarum Rectores non erant, ſed conſilio, teſtimonio, cuſtodia & præſidio iis conſulebant. De Senioribus, qui Sacerdotes erant, Tertullianus in Apologetico cap. XXXIX., *Præſident probati quique ſeniores. Horum erat, diligenter attendere ad ſingulorum mores, monere titubantes, lapſos cenſura corrigere, præſcribere pœnitentiæ tempus & modum, interdum & relaxare: Hæc cura* σπουδὴ *dicebatur*. De iiſdem Gregorius I. P. R. in libro II. Epiſt. 19., *Si quid de quocunque Clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juſte poſſit offendere, facile non credas, ſed præſentibus Eccleſiæ tuæ Senioribus diligenter eſt perſcrutanda veritas, & tunc, ſi qualitas rei popoſcerit, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis*. Quum Abbatiſſa Monaſterii Pictavienſis a Chrodieldi arceſſita eſſet, illa ita cauſam dicit apud Gregorium Turonenſem *in lib.* 10. *cap.* 16., *De Sponſalibus*, ait, *coram Pontifice, Clero vel Senioribus pro*

nepte

nepte ſua orphanula arrhas accepiſſe. De Senioribus Plebis, qui Eccleſiaſtici dicebantur, quamvis ad Clerum adınoti non eſſent, plurima mentio eſt in Actis Purgationis Cæciliani & Felicis poſt Collationem Carthaginenſem. In iis numerantur *Epiſcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi & Seniores*, item *Conclerici & Seniores Plebis*, *Eccleſiaſtici Viri*, tum *Clerici & Seniores Cirthenſium*, ſemel *Seniores Chriſtiani Populi*, *Catholicæ legis*. Quinimo Auguſtinus in *lib.* III. *contra Creſconium cap.* 59. *Peregrinum Presbyterum & Seniorem Eccleſiæ Muſticanæ regionis* commemoravit, & Epiſtolam 136. inſcripſit *Dilectiſſimis Fratribus*, *Clero*, *Senioribus & univerſæ Plebi Eccleſiæ Hipponenſis*. Atque illis Senioribus ſæpe illud dabatur, ut Chriſtianos officii commonefacerent & eximia quæque Templorum cuſtodirent. Auguſtinus *in Serm.* 19. *de verb. Dom.*, *Cum ob errorem aliquem*, inquit, *a Senioribus arguuntur*, *& imputatur alicui de illis*, *cur Ebrius fuerit? Cur res alienas pervaſerit? Cædem cur turbulentus admiſerit? Statim reſpondet*, *quid habeo facere homo ſecularis & miles*. *Nunquid Monachum ſum profeſſus aut Clericum?* Optatus autem in lib. I. memoriæ conſignavit, Menſurium Antiſtitem Carthaginenſem, quoniam in temporibus Diocletiani ab Eccleſia profecturus erat, res omnes *Fidelium ſeniorum* fidei commiſiſſe, *Erant Eccleſiæ ex auro & argento quamplurima ornamenta*, *quæ nec defodere terræ*, *nec ſecum portare poterat*, *quæ fidelibus Senioribus commendavit*. Reliqui ſunt Seniores illi, qui Magiſtratus aut Principes Urbis cives erant. In Concilio Cabarſiſſitano apud Auguſtinum *in Pſalmum* XXXVI. *nobiliſſimi* dicuntur. Hos Leo & Majoranus in Novella ad Baſilium PP. *tit.* I. cum viris *Principalibus* conjunxere, *Inluſtris ſane*, inquiunt, *& præcelſi magnificentia tua omnium Provinciarum Rectores ſuis auctoritatibus admonebit*, *ut principales vel Seniores urbium ſingularum tam curiarum quam reliquorum corporum*. Atque hujus ordinis fuere Seniores, quos Carthaginenſis Synodus A. CCCCIII. Epiſcopis Catholicis, qui Donatiſtas conveniebant in Africa, adjungi juſſit in Canone, qui eſt XII. *Cod. can. Eccleſiæ Africanæ*. In eo Patres, *debere*, ajunt, *unumquemque noſtrum in Civitate ſua per ſe convenire Donatiſtarum Præpoſitos*, *aut addere ſibi vicinum collegam*, *ut pariter eos in ſingulis quibuſque Civitatibus vel locis per Magiſtratus vel Seniores locorum conveniant*. Ea porro illis erat exiſtimatio, ut de gravioribus negotiis conſulerentur, quod nobis tradidit Ambroſius *in* I. *ad Timoth.* 5., aut quiſquis iſte auctor ſit, *Synagoga*, ſic inquit, *& poſtea Eccleſia Seniores habuit*, *quorum ſine concilio nihil agebatur in Eccleſia*. *Hoc qua negligentia obſoleverit*, *neſcio*, *niſi forte doctorum deſidia*, *aut magis ſuperbia*, *dum ſoli volunt aliquid videri*. In Romana Synodo, quam adverſus Manichæos Leo an. 444. coegit, *Reſidentibus*, ſic loquitur, *mecum Epiſcopis ac Presbyteris*, *ac in eundem conſeſſum Chriſtianis viris*, *ac nobilibus congregatis*, *electos & electas eorum juſſimus præſentari*. Proceres igitur Civitatum Eccleſias non regebant, ſed iis continuo aderant, præſidiumque & operam ſuam offerebant, id quod Campegius Vitringa *in lib.* II. *de Synag. vetere cap.* III. *de Regimine Synagogæ & Eccleſiæ*, Hammondus *in Diſſ.* IV. *contra Blondel. cap.* XIX., Binghamus *in lib.* II. *Orig. cap.* 19. aliique plures demonſtrant. Sequuntur Presbytides, quæ ex honeſtioribus matronis capi cœperunt in Eccleſia, ut ad optimam vitæ rationem cæteras mulieres inſtituerent. Alio nomine Diaconiſſæ ſive Miniſtræ dicebantur. Epiphanius *in Hæreſi* LXXIX. Παρατηρητέον δὲ, ὅτι ἄχρι διακονισσῶν τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἐπεδέηθη τάγμα, Χήρας τε ὠνόμαζε, καὶ τούτων τὰς ἔτι γραοτέρας πρεσβύτιδας, *Obſervandum eſt*, *Diaconiſſis Eccleſiaſticum ordinem indiguiſſe*, *quas etiam viduas nominavit*, *& ex his adhuc ætate provectiores* πρεσβύτιδας, *viduas ſeniores*. Eas abrogavit Synodus Laodicena in canone XI., cujus ſententia eſt, περὶ τοῦ, μὴ δεῖν τὰς λεγομένας πρεσβύτιδας ἤτοι προκαθημένας, ἐν ἐκκλησίᾳ καθίστασθαι, *Quod non oportet eas*, *quæ dicuntur Presbytides vel Præſidentes*, *in Eccleſia conſtitui*. Sed Balſamon auctor eſt, poſt eam Synodum Presbyteras ſive Diaconiſſas in aliquibus Eccleſiis fuiſſe, quod Grotium fugiſſe videtur. Ille enim *in Reſp. ad interrog. Marci cap.* XXXV. *apud Leunclavium Jur. Gr. Rom. Tom.* I., Παρὰ δὲ τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ τοῦ θρόνου τῶν Κωνσταντινοπολιτῶν διακόνισσαι προχειρίζονται μὲν

μὲν μετουσίαν μὴ ἔχουσαι ἐν τῷ βήματι, ἐκκλησιάζουσαι δὲ τὰ πολλὰ, καὶ τὴν γυναικωνίτιν ἐκκλησιαστικῶς διοικοῦμεναι, *In Sanctiſſima autem Eccleſia Sedis Conſtantinopolitanorum Diaconiſſæ deliguntur, unam quidem communicationem non habentes ad altare, in multis vero habentes conventum, & muliebrem cœtum Eccleſiaſtice dirigentes*. Poſtremo videndum eſt de φροντισταῖς ſive Curatoribus, quos a Metropolitis datos fuiſſe Eccleſiis Grotius putavit, ut una cum Epiſcopo Eccleſiaſticæ pecuniæ rationes tractarent. Atque hujuſmodi Metropolitici quæſtores nuſquam fuerunt. Neque enim eos vetus Eccleſiæ politia ferebat, qui univerſi ſacri peculii procurationem unicuique Epiſcopo tribuebat. Qui inter Apoſtolicos Canones eſt XXXI. Πάντων, inquit, ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα, καὶ διοικείτω αὐτὰ ὡς Θεοῦ ἐφορῶντος, *omnium rerum Eccleſiaſticarum curam habeat Epiſcopus, easque adminiſtret tanquam Deo inſpiciente*: Inter eoſdem XXXIV., Προστάσσομεν, addit, τὸν ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων, *Præcipimus, ut Epiſcopus poteſtatem habeat rerum Eccleſiæ*. His concinunt Juſtinus Martyr *apolog* II. *pag.* 98. 99. *edit. Paris* MDCXXXVI., Cyprianus *Epiſt.* XXXVIII. *al.* XLI., auctor *Conſtitut. Apoſtol. lib.* II. *c.* XXV., Patres Antiocheni in Canone XXIV., & Gangrenſes in Canone VII. Quum vero hoc negotium ſoli Epiſcopi ſuſtinere non poſſent, ex Clero Œconomos ſibi aſciverunt, de quibus Calchedonenſis Synodus in Canone XXVI. *Quoniam*, inquit, *in nonnullis Eccleſiis, ut ſæpe a nobis auditum eſt, Epiſcopi* δίχα οἰκονόμων *ſine œconomis res Eccleſiaſticas adminiſtrant* ἔδοξε πᾶσαν ἐκκλησίαν ἐπίσκοπον ἔχουσαν, καὶ οἰκονόμον ἔχειν ἐκ τοῦ ἰδίου κλήρου, *placuit omnem Eccleſiam, quæ Epiſcopum habet, ex proprio Clero œconomum habere*. Synodus tantum Provinciæ adeunda erat, ſi quis Epiſcopus fraudem feciſſet, vel ſi cujus Eccleſiæ magnus uſus poſceret, ut fortunarum ſuarum pars aliqua eſſet diſtrahenda. Cum conſtat, addunt Antiocheni Patres in Canone XXV., βλάπτεσθαι τοὺς λόγους τῆς ἐκκλησίας, τοῦτον εὐθύνας παρέχειν τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας, *rationes Eccleſiæ lædi, is* (Epiſcopus) *repetundarum damnetur a Synodo Provinciæ*: Item Synodus Carthaginienſis *in can.* IV., *Si qua neceſſitas cogat* (Eccleſiaſtica prædia diſtrahere), *hanc inſinuandam eſſe Primati provinciæ ipſius, ut cum ſtatuto numero Epiſcoporum, utrum faciendum ſit, arbitretur*. Hujuſmodi eſt Eccleſiæ adminiſtratio, in qua Metropolitici quæſtores locum nullum habent. Sic expoſitis univerſis officiis, ex quibus Grotius argumentum cepit, facile novimus iis cum Calviniano Presbyterio ſimilem nullam eſſe rationem.

AD

AD
CAPUT XII.
EXERCITATIO CRITICA.

HOc poſtremum Grotiani libri caput, quod eſt *de delegatione*, & *ſubſtitutione circa ſacra*, ita ſe habet, ut quæ in eo confidenter ediſſeruntur, iterum oratione noſtra emendari neceſſe non ſit. Nunc enim Grotius nihil novi perſequitur, ſed eas Imperii partes, quas Principum eſſe in regendis ſacris exiſtimaverat, ab iiſdem poſſe non modo Epiſcopis, ſed etiam publicis Magiſtratibus demandari arbitratur. Atque quum omne ſacrorum Imperium Principibus lex Chriſtiana ademerit, quam large effuſeque otium conſumetur, ſi oſtendatur iis nullos eſſe Vicarios in gerendis Religionis negotiis! Quid enim diſputabitur, quod pridem dicendo non præcepimus? Grotius in hoc capite pronuntiat, veteres aliquos Imperatores jure ſciſcendæ conſtituendæque Religionis ſeſe abdicaſſe, & Populis poteſtatem feciſſe ſacra ſibi habendi, quæ ipſis optima viderentur. Contra, ſi animus ad ea attendatur, quæ in octava exercitatione docentur, Chriſtianus Principatus arbitrium ſibi Religionum tribuere non poteſt, nec veteres Imperatores eo arbitrio uſi fuere, ſi quando vel Gentiles vel Judæos vel Hæreticos impune in ſacris verſari ſuis permiſerint. Paulo poſt Grotius adſtruit, Epiſcopos id ab Imperatoribus habuiſſe, in quo plurima Chriſtiani Sacerdotii vis poſita eſt, ut nimirum canones jubere poſſint, improbos Chriſtianos ab Eccleſia depellere & Paſtores gradu dejicere. At triplex hic locus tractatus eſt in exercitationibus noſtris octava & nona, in quibus late Arminianum reprehendiſſe nunquam nos pigebit. Commemorat ille deinde creationes Paſtorum ab iiſdem, qui ſummum Imperium regebant, Clero fuiſſe datas, tametſi id ſentiat offendiculo Eccleſiæ fuiſſe. Sed ea omnis res ſatis quæſita & diſputata eſt in decima exercitatione, cui quidpiam adiicere ſupervacaneum eſt. Poſtremo Grotius contendit, Imperatores ſæpe publicis Magiſtratibus injunxiſſe, ut modo cum Epiſcopis, modo ſeorſum ab iis univerſæ ſacrorum provinciæ præeſſent & judicia exercerent, in quibus cognoſcerent de rebus Religionis: addiditque ſummo illorum juſſu non Clerum, ſed Proceres alioſque cives ſæpe ad creandos Paſtores acceſſiſſe, ex quo juſpatronatus *laicorum* originem ceperit. Hactenus ille. Verum exempla Eccleſiaſticorum judiciorum, quibus civiles Magiſtratus interfuerunt, ſatis diluuntur tum in proluſione & in exercitatione octava tum in exercitatione contra Blondellum explicabuntur. Quidquid vero idem de jurepatronatus fudit, nunc refellere non oportet. Cæterum de juriſpatronatus primordiis & progreſſionibus conſulantur Franciſcus Florens, Franciſcus de Roye, Alteſerra, Eſpenius & Ludovicus Thomaſinus, qui ex ſacris antiquitatibus præclariſſime eam ſpartam exornavere.

LIBRARIUS LECTORI

GRotiano libello, in quo explicatur *Imperium ſummarum Poteſtatum circa ſacra*, attexendam Blondelli diſſertationem *de jure Plebis in regimine Eccleſiaſtico* Editores curaverunt. Hos ipſe ſequutus ſum, ne libros, qui e' typographio meo exirent, imminutos, neque integros proferre viderer. Quamobrem amicum virum adivi, qui in caſtigando Grotio verſatus fuerat, eundemque exoravi, ut paucis Blondellum refelleret. Is vero, ne calvinianus auctor ſine cenſore legeretur, inter ipſas typographicas operas brevem hanc diatribren, aut criticam exercitationem conſcripſit. Id te monitum volebam. Vale.

IN
BLONDELLUM
EXERCITATIO CRITICA.

I. *Blondellianæ diſſertationis capita breviter exponuntur.*
II. *Ratio, quæ ad eam refellendam adcommodata eſt.*
III. *Declaratur locus, qui legitur in capite Matthæi decimo octavo.*
IV. *Pluribus rejiciuntur Richeriani, quorum in factione Blondellianæ opinionis caput verſatur.*
V. *In quam ſententiam loquuti fuere Patres, qui claves Eccleſiæ eſſe creditas docuerunt.*
VI. *Blondelli argumenta, quæ ex Sacris novi Fœderis libris repetuntur.*
VII. *Ea explicantur.*
VIII. *Adſtruuntur alia Blondelli argumenta.*
IX. *Hæc quoque diluuntur.*
X. *Periochæ Clementis interpretatio.*
XI. *Diſſeritur de mente Polycarpi in Epiſtola ad Philippenſes, & Dionyſii Corinthiorum Præſulis in Epiſtola ad Romanos.*
XII. *Quænam fuerint partes Chriſtianæ Plebis in judiciis canonicis, & in recipiendis iis, qui, quum ab Eccleſia extorres eſſent, ad eam redire exoptabant; idque ex Tertulliano aliisque priſcis Doctoribus.*
XIII. *Origenes & Cornelius Papa enucleantur.*
XIV. *Veteris Eccleſiæ politia ex Cypriano.*
XV. *Senioribus Plebis nulla fuit juriſdictio in regenda Eccleſia.*
XVI. *Diſputatur de poteſtate Principum in Sacris. Photinus non judicio Senatorum, quos Conſtantinus dederat, ſed damnatus eſt pluribus in Conciliis, quorum Epochæ conſtituuntur.*
XVII. *Principes interfuere conciliis mediæ ætatis, quæ coacta fuere apud Hiſpanos, Gallos, Germanos & Anglos, qui etiam canonicis decretis ſubſcripſerunt. Duo in cauſſa fuere, cur ita res ſe habuerit. Prima cauſſa exponitur.*
XVIII. *Adſtruitur altera, quæ ex civili eorum temporum politia exoritur.*
XIX *Gallicani Reges & Proceres in temporibus Baſileenſibus & Tridentinis non regiminis Sacri poteſtatem, ſed Eccleſiæ tutelam imperio tribuerunt ſuo.*
XX. *Summa eorum Principum impudentia, qui non modo in animum induxerunt ſibi delatum eſſe munus emendandæ Religionis, ſed etiam Eccleſiaſticam Hierarchiam abrogarunt, ut Plebis Senioribus Sacrorum imperium mandarent.*

I. BLondellus Calvinianorum Miniſter Sacram Hierarchiam, quam Chriſtus condiderat, funditus tollere conatus eſt. Nam in duobus libris, quorum alter eſt, *Apologia pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris*, alter autem, *Hiſtoire de la primautè de l'egliſe*, regimen Eccleſiæ penes ſolos Presbyteros reſidere pari omnes poteſtate & munere præditos exiſtimavit. In hac vero diſſertatione *de jure Plebis in regimine Eccleſiaſtico* Presbyteris Plebem tanquam univerſæ Eccleſiaſticæ gubernationis conſortem adjunxit. Hæc illius univerſa ratio eſt. Poteſtas Clavium, quæ ſacrum omnem principatum complectitur, Eccleſiæ ſive Chriſtianorum Univerſitati data eſt, ita ut eam Presbyteri adminiſtrare juberentur ſed Populo auctore. Hoc regiminis genus ſatis declaratur in iis verbis quæ leguntur apud Matthæum, *Dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit Tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico Vobis, quæcunque adligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo.* Veteres enimvero Patres Eccleſiam non Paſtorum cœtum, ſed popularem multitudinem intelligunt. Plerique vero ſic habent, Apoſtolos, cum ligandi & ſolvendi poteſtas

ſtas iis delata eſt, Eccleſiæ perſonam ſuſtinuiſſe ; ex quo Origenes, Theophylactus, Auguſtinus & Paſchaſius cenſent, ſingulos Chriſtianos in eo eſſe jure, ut alios ligare & ſolvere poſſint. Quorſum hujuſmodi Patrum antiquiſſimorum ſententiæ ſpectaverint, niſi certe evincant poteſtatis Eccleſiaſticæ ſociam cum Presbyteris fuiſſe popularem Chriſtianorum concionem ? Atque ſi bene perſpiciatur quomodo Apoſtoli ſacra omnia geſſerint, profecto comperietur, eos cum Chriſtiana Plebe de rebus omnibus conſultaſſe quas peragebant. Nam illi Plebis comitiis partes deferebant ſuas, cum de fide deliberabant & decernebant, cum Præfectos Eccleſiaſticos eligebant, cum conſilium propagandæ Gentibus Religionis inibant, cum eos monebant, qui ab officio defecerant, aut ſi quid hujuſmodi ſuſciperent, quod ad ſacram juriſdictionem pertinebat. Apoſtolorum veſtigiis inſtitit omnis Eccleſiaſticus Ordo, qui nec de Religione, nec de diſciplina edicebat, niſi Plebem conſuluerit. Id apertis verbis docent Patres, qui ante quartum ſeculum vixerunt. Sacrum hoc Eccleſiæ Regimen fuit ad Conſtantinum Magnum. Nam deinde popularia comitia in Seniores aliquos traslata fuere, qui cum Præſulibus & Presbyteris tanquam Plebis legati de ſacris decernebant. Hujuſmodi Seniores Africana Eccleſia ſibi adſcivit : Namque hos commemoravit liber, qui editis Optati Milevitani operibus adjunctus eſt & *Purgationem Felicis & Cæciliani* continet, eoſdemque nobis ſæpe narravit Auguſtinus. At in exordio ſæculi quinti omnis auctoritas, quæ in ſacris verſabatur, Plebi adempta eſt, & in Seniorum locum ſucceſſerunt Gentium Principes, Proceres & Magiſtratus. Evolvantur Eccleſiaſtici Hiſpanorum, Anglorum, Germanorum & Gallorum annales. Namque ex iis perſpicuum erit, Nationis cujuſque Reges & Primores Epiſcoporum Synodos coegiſſe, de rebus, quæ Religionem reſpiciebant, leges rogaſſe, & politiam Eccleſiarum diſciplinamque conſtituiſſe. Neminem quidem latet, quid Regni Proceres egerint, cum de Synodo Baſilenſi, de pragmatica ſanctione & de concilio Tridentino Galli cum Romano Pontifice certabant. Hoc jure Principes Germanorum, Anglorum, Danorum, Suecorum & Helvetiorum pontificiam Religionem ab iis regionibus depulerunt, quæ in imperio erant ſuo, eamque legibus recipiendam edixerunt, quam Lutherus & Calvinus invexerant. Dolendum vero nobis eſt, quod iidem Chriſtianæ Plebi haud reddiderint apoſtolicam regendorum Sacrorum auctoritatem. Meliorem iis Calvinianis mentem Deus dedit, qui novas Eccleſias in Scotia, Belgio, & Galliis condiderunt Nam ſancitum ab ipſis eſt, ut Sacra omnia Cleri & Seniorum Plebis, qui & Presbyteri laici dicuntur, communi conſilio gubernarentur, & quidquid ita decretum eſſet, id vel probari vel obrogari poſſet ſummorum Principum juſſu & Imperio. Quid Germani, Angli & Helvetii habent, quod hujuſmodi opponant politiæ ? Intelligant ipſi nobis nullam eſſe conſuetudinem cum Puritanis *independentibus* & Anabaptiſtis, qui Eccleſiarum regimen turbis committunt, item ſacris Præſulibus non parent & cuilibet e Populo conſtituendæ procurandæque Religionis copiam faciunt. Contra enim in noſtris Eccleſiis Religioni Paſtores præſunt, iiſque ad optimam ſacrorum gubernationem regentes Presbyteri ſive Seniores adjunguntur, quos Plebs ipſa delegerit. Quinimo Divino jure receptum eſt, ut Plebs Præfectis ſuis morem gerat in rebus, quæ Religionem reſpiciunt. Hac enim temperatione Eccleſias contineri quis noluerit ? Ea enim Apoſtolos fuiſſe uſos veroſimile eſt, qui, quum frequentiorem Chriſtianorum multitudinem in unum cogere non potuiſſent, paucos Seniores ab ea conſtitutos in ſenatum fortaſſe evacaverint, & cum iis de Eccleſia conſultaverint. Reiicienda autem eſt illorum Doctorum opinio, qui in noſtris Scholis Seniorum mentionem eſſe injectam docent in verbis, quæ leguntur 1. Tim. v. 17., *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina*. Hoc enim in loco unum eſt Apoſtolo Presbyterorum genus, eorundem, qui Eccleſiæ ſunt Paſtores & ſacra factitant. Quocirca Senioribus noſtris ſive Presbyteris regentibus concilianda eſt auctoritas ab apoſtolica politia & ab eo ſtatu qui veteri fuit Eccleſiæ. Neque enim obiici poteſt, qualemcunque regendorum ſacrorum auctoritatem, quæ olim

penes

penes Seniores reſidebat, Regibus & Magiſtratibus fuiſſe adſcriptam, poſtquam ii Chriſto nomen dederunt. Nam poſt Conſtantinum Magnum quum Principes Religionis Chriſtianæ tutelam ſuſcepiſſent, Seniores tamen Plebis partes obivere ſuas in Eccleſia. Cum enim de gubernatione rerum agitur, quæ Divinum cultum reſpiciunt, non eadem eſt politicorum Moderatorum poteſtas ac Plebis. Hæc enim, quidquid juris ſui eſt, id ſub Cleri ductu & auſpiciis exercet, illi vero omnia, quæ ab Eccleſia ſive Clero & Populo ſciſcuntur, eminentiſſimo Imperio ſuo tuentur. Hæc multis expromſit Blondellus, cujus tam perplexa & perturbata oratio eſt, ut vel patientiſſimos lectores offendat.

II Ac Calvinianus quidem vir diſputando id agere ſtuduit, ut Eccleſiæ ſuæ politiam defenderet, quæ non modo Clerum, ſed Presbyteros quoſdam *laicos* tanquam univerſæ ſacræ diſciplinæ Rectores complectitur. Nos vero de his Presbyteris plura in Grotium dicere habuimus *exercitatione* XI., ex qua ſatis conſtat, eos contra leges, quas de gubernanda Eccleſia Chriſtus condidit, ſine ulla veteris Eccleſiæ auctoritate, & ſine ullo antiquitatis exemplo fuiſſe conſtitutos in pleriſque Calviniani nominis Eccleſiis. Nunc reſtat, ut tota ea ratio convellatur, quam horum Presbyterorum Patronus attulit Blondellus. Primum dicemus de loco illo, qui eſt apud Matthæum 18, 16., 17., *Dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit Tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*, an in his verbis ſacræ juriſdictionis pars aliqua Plebi deſpondeatur. Deinde priſcorum Patrum ſententias perſequemur, qui locum illum expoſuerunt. Poſtea de Apoſtolis diſputabitur, num ii in Eccleſia procuranda conſortes ſibi Populos addiderint. Quoniamque Patres, qui ante Conſtantinum Magnum vixerunt, jus aliquod cum poteſtate conjunctum Plebi tribuiſſe videntur, eos plane explicari oportebit. Tum omnia ea diluentur, quæ Proceres & Primores Gentium peregiſſe dicuntur in Eccleſia. Quæ quum dixiſſemus, univerſa diſputatio contra Calvinianos Presbyteros concludetur.

III. Ordiamur ab explanandis Domini verbis, quæ leguntur in capite Evangeliſtæ decimo octavo. Blondellus loquentem Dominum ita intellexit, perinde atque is ſacrorum gubernationem Clero & univerſæ communitati Chriſtianorum dederit, & Eccleſiam quaſi ſocietatem popularem & democraticam inſtituerit. Nos in exercitatione nona, omnem hunc locum perſequuti ſumus, & a falſis Grotii & Seldeni interpretamentis vindicavimus. Percurremus modo, quæ ad Blondellianam pervertendam opinionem potiſſimum pertineant. Dominus hanc legem rogavit, ut ſi qui injuria aliquem affecerit & ſemel iterumque officii ſui commonefactus a fraude animum non avocaverit, Eccleſiæ deferretur. Heic Eccleſiam multi non univerſitatem eſſe quandam, ſed ſacrorum Præfectorum corpus exiſtimant. Chryſoſtomus *in Mat. Hom.* VI., Εἰπὲ τῇ Ἐκκλησίᾳ, τουτέστι τοῖς προεδρεύουσι, *Dic Eccleſiæ, hoc eſt iis, qui præſunt:* Theophylactus in *Mat.*, Ἐπὶ τῶν ἐκκλησίας προέδρων *pro Præfectis Eccleſiæ*. Senſit cum his Patribus Kimchius, qui docuit, in Scripturis dictiones, quæ communitatem aliquam ſonant, ſæpe ad ſignificandos ejus Rectores valere. Vox enimvero העם *Populus* Exod. IV., 16. non totum Populum, ſed tantum Seniores complectitur, quod ſatis perſpicuum eſt, ſi verſus 16. ex verſu 29. intelligatur. Sic quidem Kimchius. At rectius Veteres illi Theologi cenſent, qui verba, *Dic Eccleſiæ*, ita accipiunt, ut declarent, eum, qui una itemque altera admonitione contempta mentem non mutaverit, in populari concione hoc eſt coram multis eſſe objurgandum. Rem nobis explicavit Apoſtolus, cum 1. *Tim* V. 20 Timotheum juſſit, ἁμαρτάνοντας ἐνώπιον πάντων ἐλέγχειν, *peccantes coram multis increpare*, & cum 2. *Cor.* II., 6. meminit ἐπιτιμίας τῆς ὑπὸ πλειόνων *objurgationis, quæ multis adſtantibus ſit peragenda*. Ergo *dicere Eccleſiæ*, idem eſt ac reum Chriſtianæ alicui Univerſitati manifeſtum facere, ut is, objurgantibus multis, a crimine abire cogatur. Quid porro Dominus ſancivit, ſi reus eo animo fuerit, ut Populum ipſum monentem increpantemque non vereatur?

Tum

Tum quidem voluit ille, hominem, qui in crimine perſtiterit ſuo, tanquam ethnicum & publicanum disiungendum eſſe a ſacrorum ſocietate. Sed quis eam pronuntiabit ſententiam? Nempe Dominus ita perrexit, *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo:* Voce *ὑμῖν vobis* continentur Diſcipuli, quos in toto Evangeliſtæ decimo octavo capite Chriſtus alloquitur. Nam primo illius capitis verſu legitur, acceſſerunt *οἱ μαθηταὶ diſcipuli*, verſu 3. ita Chriſtus, *Amen*, inquit, *dico vobis* hoc eſt *Diſcipulis*, & 12., *quid vobis videtur?* ubi Chriſtus Diſcipulorum judicium quærit. Quocirca non Chriſtiano Populo, ſed Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis Dominus ligandi & ſolvendi poteſtatem, ſive totum ſacrum Principatum commiſit. Quæ quum expoſita ſint, ex iis facile quiſque intelligit, Chriſtianæ Univerſitati nullas ſacræ juriſdictionis partes fuiſſe mandatas, ſed illud ſolum obtigiſſe, ut manifeſtos reos reprehenderet, iiſque pudorem injiciens a crimine revocaret.

IV. At Blondellianæ opinionis caput petendum eſt, quod non ſine dedecore inter noſtros verſatur. Edmundus Richerius Doctor & Syndicus Facultatis Pariſienſis Anno CIↃIↃCXI. librum evulgavit, *de Eccleſiaſtica & politica poteſtate*, in quo ſacrum clavium Principatum penes totam reſidere Eccleſiam affirmavit. Summa ſententiæ ſuæ, quæ initio quidem operis exponitur, hæc eſt, *Chriſtum fundando Eccleſiam prius, immediatius atque eſſentialius claves ſive juriſdictionem toti dediſſe Eccleſiæ, quam Petro, ſeu quod eodem redit, claves toti dediſſe Eccleſiæ, ut per unum miniſterialiter exercerentur: quandoquidem tota juriſdictio Eccleſiaſtica primario proprie & eſſentialiter Eccleſiæ convenit, Romano autem Pontifici atque aliis Epiſcopis miniſterialiter & quoad executionem tantum, ſicut facultas videndi oculo*. Hujuſmodi oratio barbaris exprompta verbis duo ſignificare poteſt, aut ſacram juriſdictionem ab initio datam fuiſſe Eccleſiæ, quæ ſubinde eam totam in Romanum Pontificem, & in cæteros Epiſcopos transfundat, quin ullas ejuſdem partes ſibi retineat, aut Eccleſiam ſive Chriſtianam ſocietatem claves, quas a Domino accepit, ſic in Epiſcopos trajicere, ut eas non amittat, ſed ſolum earum miniſterium demandet: quemadmodum in populari Republica Magiſtratus ita renuntiari ſolent, ut tamen in Populo hæreat publici Imperii majeſtas. Hoc, quod poſtremum eſt, Auctorem ſenſiſſe verba, quæ paulo ante allata ſunt, ſatis declarant. Age nunc ad refellendum aggrediamur hominem, qui multos in ſententiam pertraxit ſuam & in his Dupinium, Sarpium, Franiſcum Conrajerum, Queſnellium omneſque Queſnellianos. Primum ille argumento urgendus eſt, cujus vis omnis in iis nititur, quæ univerſo in opere ipſe ſibimet contrarius & a ſeipſo turpiter diſſentiens defendit, atque in frontis opere collocavit. In hanc enim fraudem Scriptores omnes incidunt, qui res novas moliuntur. Conſtituit is, *Eccleſiam eſſe politiam monarchicam, regimine ariſtocratico temperatam*. Atque ſic habendum eſt, quamlibet hominum univerſitatem hoc vel illo *πολιτείας gubernationis* contineri genere propter illius partem, quæ ſummo prædita eſt Principatu. Ut ſi roges, quiſnam alicujus ſocietatis ſit ſtatus, is Monarchichus pronuntietur neceſſe eſt, ſi in uno publica inſit Majeſtas, ad quem veluti ad fontem & caput omnia referuntur, Ariſtocraticus vero vel Democraticus, ſi vel Primores vel Populus τὸ κράτος ſibi vindicent, id nempe, in quo ſummum imperium conſiſtit. Optime Ariſtoteles eorum, qui de publicis rebus ſcripſerunt, graviſſimus auctor 3. Polit. cap. 6., Ἔστι δὲ, inquit, πολιτεία πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων. κύριον μὲν γὰρ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως. πολίτευμα δὲ ἐστιν ἡ πολιτεία. λέγω δὲ οἷον ἐν μὲν ταῖς δημοκρατικαῖς κύριος ὁ δῆμος. οἱ δὲ ὀλίγοι τοὐναντίον ἐν ταῖς ὀλιγαρχικαῖς, *Eſt autem politia ideſt adminiſtrandæ Reipublicæ forma, Civitatis conſtitutio, ac tum aliorum Magiſtratuum, tum præſertim illius, penes quem ſumma eſt poteſtatis. Ubique enim ſummam poteſtatem habet in Civitate id, penes quod ejus eſt regimen. Regimen autem eſt id, quod politiam vocamus, hoc eſt gubernandi formam: veluti in popularibus adminiſtrationibus ſumma auctoritas eſt penes Populum, e contrario autem penes paucos in paucorum dominatu*. Ergo Politia, qua ſingulæ

gulæ Societates comprehenduntur, ab eo nomen habet, qui Imperium gerit, ſive ab eo, penes quem eſt τὸ κύριον hoc eſt ſumma adminiſtrandæ Reipublicæ auctoritas. Id quum poſitum conſtitutumque ſit, ſi *Eccleſia eſt politia monarchica regimine ariſtocratico temperata*, plane ſequitur, Clavium poteſtatem in Ordine hierarchico ita hærere, ut ea potiſſimum ab uno Romano Pontifice omnium Epiſcoporum Principe procuretur. Ex quo & illud concludendum eſt ſacrum Principatum ipſi Chriſtianorum communitati non eſſe datum, quod tamen Richerius ſui ipſius immemor tuetur.

Adſtruamus modo ex ipſis Scripturis argumenta, e quibus nefas eſſe dilucide efficitur, ut Eccleſia quaſi popularis ſocietas exiſtimetur, quæ veluti in Democratica Civitate Præfectos ſibi deligat, iiſque ſolam attribuat procurationem poteſtatis in Chriſtiana hærentis communitate. Pronuntiandum eſt de Eccleſiæ ſtatu non humano judicio, ſed ad illius, qui eum condidit, ſententiam. Si vero quid Chriſtus conſtituerit, ex perſpicuis ipſius verbis eliciatur, nihil tam apertum eſt, quam non multitudini, ſed iis qui multitudini præfecti fuerant, & deſponſam & creditam fuiſſe ſacram juriſdictionem. Omnis enim oratio, in qua claves promittuntur & dantur, Petrum & Apoſtolos ſpectat, nec tanquam eos, qui multitudinis perſonam ſuſtinebant, ſed potius veluti ipſius Principes & Præſides. Commata, e quibus ſacra Eccleſiæ Præfectura originem duxit, in novi Fœderis libris ſunt hæc, *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* Mat. 16., *Tibi dabo claves Regni Cælorum & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis* ibidem, *Paſce agnos meos, paſce oves meas* Joan. 21., Item hoc, in quo univerſos Apoſtolos Dominus alloquitur, *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper erram, erunt ſoluta & in Cælo* Mat. 18., Adde hoc alterum, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt* Joan. 20. His univerſis in periochis Claves ad ſignificandam pertinent regendæ gubernandæque Eccleſiæ poteſtatem, quemadmodum clavis domus Davidicæ in Eſaiæ XXII, 20. jus declarat adminiſtrandæ Regiæ Domus, ita ut Eljakimus, cui ea clavis portendebatur, in domum excipere quos vellet, & ab ea depellere poſſet illos, quibuſcum rem ita fore peragendam duxerit. Tanta ergo auctoritas Apoſtolis ſolis & præcipue Petro ita deſpondetur & tribuitur, ut nullo pacto Plebs veluti ſacri regiminis conſors iis adjungatur. De Apoſtolis ſane, & Epiſcopis, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, Domini verba Patres intellexerunt, non de Eccleſia, niſi ſi hujus utilitatem reſpexerint, quod paulo poſt dicetur. Cyprianus Epiſt. XXVII., *Dominus noſter Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro, Ego Tibi dico, quia tu es Petrus, & dabo tibi claves, & quæ ligaveris . . . per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem gubernetur*. Ad hæc in Epiſtola LXXII., quæ eſt ad Jubajanum, *Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & unde unitatis originem inſtituit & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, ut inde ſolveretur in Cælis, quod ille ſolviſſet in terris. Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur dicens, ſicut miſit me Pater & ego mitto vos. Unde intelligimus nonniſi in Eccleſia præpoſitis & in evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remiſſam peccatorum dare, foris autem nec ligari aliquid poſſe, nec ſolvi, ubi non ſit, qui aut ligare poſſit aliquod aut ſolvere. Nec hoc, frater cariſſime, ſine ſcripturæ divinæ auctoritate proponimus, ut dicamus certa lege ac propria ordinatione divinitus cuncta eſſe diſpoſita, nec poſſe quemquam contra Epiſcopos & Sacerdotes uſurpare ſibi aliquid, quod non ſit ſui juris & poteſtatis*. Idem in lib. *de unitate Eccleſiæ*, dum ait, *Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuiſſe Dominum . . . tamen ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituiſſe & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuiſſe*. Cypriani & aliorum Patrum plures alias periochas, quæ optime in rem faciunt, longum eſſet deſcribere.

Ac concedamus equidem, eum eſſe Eccleſiæ ſtatum, quem Richeriani invexerunt, ita ut ſumma clavium poteſtas Eccleſiæ primum obtigiſſet, e qua deinde in ſacros trajecta eſſet Paſtores & Præſules. Sequeretur enimvero, Apoſtolos & Epiſcopos, qui in eorum munus ſuffecti fuere, non a Chriſto, ſed ab Eccleſia auctoritatem accepiſſe ſuam, ſive in orbem fuiſſe miſſos, ut Gentes Religione imbuerent eoſque in ſacris regerent & gubernarent. Iſtud vero apertiſſimis ipſius Domini verbis contrarium eſt, qui Apoſtolos ita affatus eſt Joan. 20. 21. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos:* quæ oratio plane nos docet, Dominum in regnum ſuum hoc eſt Eccleſiam Apoſtolos miſiſſe, iiſque initio ſacram illam ditionem commiſiſſe, quæ ſibi a Patre mandata fuerat. Res quidem ita ſe habuit. Summus Eccleſiæ Principatus Chriſto datus eſt, cui & Divinus Vates Eſaias portenderat IX. 6. LXI. 1. & Lucæ IV. 8. 21. Ille enim quum a Patre miſſus ſit, ſibi tribuit *omnem poteſtatem in Cœlo & in Terra* Matt. XXVIII. 18., *eſt Doctor & Dominus Eccleſiæ ſuæ* Joan. XIII, 1., *Apoſtolus ac ſummus Pontifex confeſſionis noſtræ* Heb. III. 1., *Magnus Paſtor ovium ſuarum* Heb. XIII. 20., ſoluſque & Paſtor *& Epiſcopus animarum noſtrarum* I. Pet. II. 25, Quocirca Origenes in Mat. XXIV., *Proprie Epiſcopus*, inquit, *Dominus Jeſus eſt*. Atque, dum in terris ageret, eum ſacrum Principatum ipſe exſerebat, quum vero e mortali vita deceſſiſſet, Vicarios delegit, qui vice ſua fungerentur. Sic enim ille ad Patrem, *Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum*. Hujuſmodi Vicarios Apoſtolos dixit *Luc. cap.* VI. 13. Judæorum inſtituto, qui nuntios omnes eo cognomento appellaverunt. Achija 1. *Reg.* XIV. 6. vocatus eſt שלוח *Schialuahh* hoc eſt *σκληρὸς Ἀπόστολος durus Apoſtolus* & malorum nuntius. Speculatores duodecim *Num.* III. dicuntur *ἀποστέλλεσθαι mitti* ad explorandam Chananæam regionem. In Thalmudicis libris Apoſtoli ſunt, qui a Rectoribus Synagogarum mittebantur ad accipiendas decimas, & vindicanda cætera omnia, quæ ad ſeipſos pertinebant. Hi a Philone in *legatione ad Caïum* ſalutantur *ἱεροπομποὶ τῶν χρημάτων miſſi propter pecunias Templi*. Theodoſianus autem Codex Apoſtolos nuncupavit, quos Patriarchæ mittebant ad accipiendam pecuniam, quæ a Synagogis pendi ſolebat. Paucis: Apud Judæos Apoſtoli illorum, a quibus mittebantur, nomine rem procurabant eorumdemque perſonam ſuſtinebant. In eam nominis rationem primis Chriſtianorum ſacrorum Præſulibus Apoſtolorum nomen inditum eſt. Hi enim in Domini locum ſucceſſere, & ad regendam Eccleſiam poteſtate, quam ab ipſo acceperant, delecti fuere: Quales mittuntur Proreges & Præſides, qui ad tractanda Regnorum & Provinciarum gubernacula ab illo renuntiantur, qui ſummum gerit Imperium. Quum vero Dominus id, in quo ſacrum nititur regnum, non unius ævi, ſed perpetuum æternumque eſſe voluiſſet, optime is cavit, ne decedentibus Apoſtolis unquam deeſſent, qui Eccleſiaſticam præfecturam ſuo ipſius nomine exercerent. Quocirca hanc veluti legem ſibimet ſancivit, ut in eos, quos Apoſtoli & poſt Apoſtolos cæteri Præſules rite Eccleſiis præficerent, eandem poteſtatem, quam primis Eccleſiarum Paſtoribus dederat, perpetua transferret ſucceſſione. Apoſtolus Actorum 20. 28. *Attendite vobis*, inquit, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Idem in epiſtola ad Epheſios 4. 11., *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Quam Apoſtoli ſententiam Antiquitas ita intellexit, ut omnes Eccleſiarum Antiſtites non Eccleſiæ, ſed Dei & Chriſti Vicarios appellaret. Cyprianus in *Epiſtola ad Cornelium* vice Chriſti Epiſcopum Eccleſiæ ſuæ præeſſe docuit in his verbis, *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur*. Conſules exercitationem quartam in Grotium §. III. Hæc paucis expoſita ſint, ex quibus facile intelligi poteſt, omnem condendæ gubernandæque Eccleſiæ poteſtatem penes Chriſtum fuiſſe, qui primum eam Apoſtolis

lis adſcripſit, & in omnes ab iis Epiſcopos transfudit veros ſui ipſius Vicarios: ex quo & illud perſpicuum eſt, contrariam Dominicis & Apoſtolicis verbis illam eſſe clavium translationem, quam ab Eccleſia in Epiſcopos Richeriani confingunt.

Quod ſi porro Eccleſiæ illa natura perſpicietur, quam ſacræ literæ deſcribunt, magnum nobis argumentum orietur, cur affirmemus Eccleſiaſticam poteſtatem nequaquam Chriſtianæ Univerſitati a Chriſto tributam fuiſſe, ſed certis & creatis ab ipſomet Præſidibus & Præfectis. Etenim Eccleſia domus & familiæ ſimilis in Divinis dicitur membranis, non civilium Rerumpublicarum, quæ, quum ex privatis familiarum cœtibus coëant, eorum conſenſu & voluntate formam, & leges accipiunt. In verbis illis, quæ leguntur *apud Matthæum* 24. 42. *& Lucam* 12. 42., *Quis, putas, eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore*, familia hæc eſt Eccleſia, quæ Chriſtum Dominum habet ſuum, & ſervus ſive diſpenſator cenſendus eſt quilibet ſacrorum Œconomus & Antiſtes, cui Dominus propagandæ regendæque Religionis munus demandavit. Itaque Divinus ad Hebræos Scriptor quum Moſem tanquam domeſticum diſpenſatorem & Populum Hebræum tanquam Divinam Domum, maximam ipſam quidem & ampliſſimam nobis narraſſet, eum cum Chriſto conferens ab altero alterum in eo diverſum eſſe docuit, quod Moſes veluti ſervus, & Chriſtus veluti Dominus in Dei domo verſatus ſit, *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo Dei, tanquam famulus in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant, Chriſtus vero tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos* III. Quid his in locis valeat familia, nullo negotio percipitur ex græca Divinorum Scriptorum voce θεραπεία quæ idem ſonat ac *famulitium*. Neque enim alia eſt familiæ ſignificatio apud latinos, quorum Princeps Cicero *in Orat. pro Cæc.* familiam intelligi juſſit, *quæ conſtet ex ſervis pluribus*. In hujuſmodi autem familia ſive domo erant alii lautiores ſervi, alii inferiore loco, ſed inter omnes unus ab Hero deligebatur, qui reliquis præeſſet, iiſque demenſum tribueret, quod Lucas τὸ σιτομέτριον *diarium & cibarium* appellavit. Qui hanc ſervilem præfecturam gerebat, is Atrienſis vocabatur, ut apud Plautum

—— PS *Condus promus ſum procurator peni.*
HA. *Quaſi te dicas atrienſem*. Ps *imo Atrienſi ego impero*.

Eccleſia igitur, ſi qua vis ſimilitudinis eſſe debeat, exiſtimanda eſt quaſi maxima quædam ſervorum domus, quam Chriſtus Apoſtolis primum & deinde Epiſcopis veluti Œconomis & cœleſtis promptuarii penoriſque procuratoribus adminiſtrandam commiſit. Atque uti omnis ſervorum ſocietas ab iis regitur, quibus Dominus Principatum dedit, nec ullum ſibi vindicat Imperium, quod in Præfectos & Moderatores ſuos trajiciat, ſic Eccleſia nullam ab initio habuit in ſemetipſa hærentem poteſtatem, cujus miniſterium Catholici Orbis Epiſcopis credere poſſit. Atque Dominus quidem Chriſtus Eccleſiam cum familia contendens eo ſpectavit, ut Eccleſiæ politiam non eſſe humanam, ſed Theocraticam doceret. In Theocratia enim Populus complexu ſuo nihil Imperii comprehendit, nec civile regimen pro arbitrio aſciſcit, nec Magiſtratus, quos libuit, ſibi præficit, ſed in ea Civitatis temperatione vivit, qualem ſummus Moderator Deus conſtituit, & iis Magiſtratibus paret, quos is ſumma præditos poteſtate delegit & creavit. Quare arbitremur neceſſe eſt, penes Eccleſiam, quæ vera eſt Theocratia, ſacræ auctoritatis ſummam reſidere non potuiſſe, ſed eam Hierarchico Ordini fuiſſe datam, qui in locum Domini ſucceſſit. Hactenus equidem contra Richerium, in quem uberius diſſeruerunt Dionyſius Petavius *Eccl. Hier. lib.* III. *cap.* XIV., Andreas Duralius in libro, quem inſcripſit, *Elenchum libelli de Eccl. & polit. poteſtate pro ſuprema Romanorum Pontificum in Eccleſiam auctoritate*, D'Aurignius in *Gallicis ſuis monumentis Chronologicis & dogmaticis Tom* I. *ad An.* 1612. aliique complures.

V. Nunc illuc revertamur, unde noſtra diſceſſit oratio. De veterum nempe Patrum opinionibus dicendum eſt, qui evangelicum interpretati fuerunt locum, in quo Chriſtus

ad Eccleſiam nomen Fratris illius deferri juſſit, qui ſæpe monitus ad officium non redierit. Ac cauſæ noſtræ Illorum quidem non obeſt ſententia, qui Eccleſiam non Paſtorum cœtum, ſed ipſam eſſe Chriſtianorum Univerſitatem exiſtimant. Conſtat enim Eccleſiaſticam præfecturam ortum non cepiſſe ex verbis, *Dic Eccleſiæ*, ſed ex his, quæ ſequuntur, *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*: Hæc enim ad ſolos Apoſtolos pertinent. Itaque de aliis pleriſque Eccleſiæ Doctoribus parumper diſſerendum eſt, qui dicere videntur, claves non Apoſtolis, ſed Eccleſiæ fuiſſe adſcriptas. Inter eos Auguſtinus in primo de doctrina Chriſtiana ſic, *Has igitur claves*, inquit, *dedit Eccleſiæ ſuæ, ut quæ ſolveret in Terra, ſoluta eſſent in Cœlo, quæ ligaret in Terra, ligata eſſent & in Cœlo*: Et in Sermone 26. *de Diver.* cap. 6. diſertius, *Petrus enim, multis locis Scripturarum apparet, quod perſonam geſtet Eccleſiæ, maxime illo in loco, ubi dictum eſt, Tibi dabo claves Regni Cœlorum*. Hactenus Auguſtinus, in cujus mentem plures Patres loquuntur. At quid ii omnes ſenſerint, facile percipietur. Nanque toti conceſſam Eccleſiæ clavium poteſtatem hac de cauſſa exiſtimaverunt, quod ea non in privatum ipſorum commodum, ſed ad Chriſtianæ Univerſitatis, cui præſunt, utilitatem pertineat. In optimis ſocietatibus ſummus principatus ad commune omnium bonum, non ad eorum, qui imperant, uium referendus eſt. Ariſtoteles III. Politic. cap. 6 φανερὸν τοίνυν ὡς ὅσαι μὲν πολιτεῖαι τὸ κοινῇ συμφέρον σκοποῦσιν, αὗται μὲν ὀρθαὶ τυγχάνουσιν οὖσαι κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον. ὅσαι δὲ τὸ σφέτερον μόνον τῶν ἀρχόντων, ἡμαρτημέναι πᾶσαι, καὶ παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν. δεσποτικαὶ γάρ. ἡ δὲ πόλις κοινωνία τῶν ἐλευθέρων ἐστι, *Perſpicuum eſt igitur, quæcunque Reſpublicæ in communem utilitatem intentæ ſunt, eas eſſe rectas, & ei, quod juſtum eſt, conſentaneas: quæcunque vero privatum tantummodo illorum, qui præſunt, emolumentum ſpectant, vitioſas omnes eſſe & ab recta Rerumpublicarum forma degenerare. Tranſeunt enim ad herilem dominationem. Atqui Civitas Societas eſt liberorum*. Hæc Ariſtoteles, quæ ad id maximo nobis uſui ſunt, quod contra Blondellum agendum ſuſcepimus. Etenim declarant, datos Terris eſſe ſummos Rectores, non propter eos ipſos, qui regunt, ſed propter hominum communitates, quæ imperio continentur: Sic enim univerſas Civitates ſeſe habere, quæ bene ſapienterque geruntur. Quum vero inter omnes ſocietates nulla ſit, quæ in regiminis dignitate anteferri poſſit Eccleſiæ, hæc ita conſtitueretur oportuit, ut clavium poteſtas ad ipſius ſalutem & incolumitatem, non ad ſacrorum Præfectorum dominatum pertineret. Igitur hæc eſt cauſſa, cur veteres Doctores claves ipſi Eccleſiæ fuiſſe promiſſas ac tributas ſcripſiſſent.

Altera porro ratio ſic facile adſtrui poteſt. Sacra omnis juriſdictio ita Apoſtolis credita fuit ut, his ſublatis, illa non occideret, ſed ſoſpes in Eccleſia maneret. Quamvis enim Apoſtoli e vita deceſſiſſent, eorum *vivit tamen* (Leo inquit *Serm. 2. in Ann. die aſſumpt. ſuæ*) *poteſtas & excellit auctoritas, ac dignitas etiam in indigno hærede non deficit*. Hoc ipſum, quod Leo docuit, ab aliis Veteribus expreſſum eſt ubi dicebant, Clavium poteſtatem penes Eccleſiam reſediſſe. Significabant enim, nunquam fore, ut in Eccleſia Antiſtites deſiderarentur, qui eam regerent atque adminiſtrarent. Quemadmodum qui dicit, Neapolitanorum Populo Monarchiam fuiſſe conceſſam, is quidem non exiſtimat in Civium Univerſitate ſummum hærere jus Regni, nec ſentit Regem, qui imperat, democratico procurando imperio præeſſe, ſed tantum pronuntiat, apud Neapolitanos perpetuo aliquem eſſe qui regnet, & conſiſtentem in ſeipſo exſerat publicam poteſtatem. In eandem ſententiam Patres clavium auctoritatem Eccleſiæ attribuebant, ut ſcilicet declararent, nunquam ei non aliquos præfuturos, qui Apoſtolicum munus obirent. Sic quidem intelligendus eſt Auguſtinus in eo ſermone qui ſupra nominatus eſt, *Numquid*, ait, *iſtas Claves Petrus accepit & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Joannes & Jacobus non accepit, & cæteri Apoſtoli? Aut non ſunt iſtæ in Eccleſia Claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in ſignificatione perſonam Petrus geſtabat Eccleſiæ, quod illi uni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt. Ergo Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, Eccleſia corpus Chriſti eſt*. His enim verbis docuit ille,

ille, claves non modo Petro & cæteris Apoſtolis fuiſſe datas , ſed etiamnum in Eccleſia verſari , & penes eos quidem eſſe, qui Apoſtolis ſucceſſerunt . Ea eſt cæterorum Patrum mens explorata, qui claves juſſerunt adſcribi non Apoſtolis , ſed Chriſtianæ Univerſitati . Reſtant autem ex iis Origenes , Paſchaſius , & Theophylactus qui non ſemel verba hujuſmodi, *quæcunque alligaveritis ſuper terram* . . . . . ad eos referri juſſerunt , qui injuriam acceperant . Sed de illis *in exercitatione nona* diſputatum eſt, quæ conſuli poteſt.

VI. Jam vero de Apoſtolica Eccleſia videamus, in qua gubernanda Populis plures delatas fuiſſe partes Calvinianus noſter arbitratus eſt . Longum autem eſſet omnia exempla perſequi, quæ ille ex Apoſtolicis Actis & Epiſtolis copioſe, ſed haud diligenter exprompſit . Nanque univerſas ſacrorum Scriptorum periochas deſcripſit , in quibus τοῦ πλήθους *multitudinis*, vel τῶν ἀδελφῶν *Fratrum* mentio injiciebatur , quamvis ea res ageretur , quæ aliquod Chriſtianorum officium in Apoſtolos ſignificaret . Quod enim Fratres Paulum, ne in capitis periculo eſſet, Cæſaream & Tarſum tranſduxerint *Act.* 9. 3., eundem Antiochia abeuntem in tutelam Deo tradiderint *Act.* 16. 2., itidem Timothei mores probaverint *Act.* 16. 2., quin & Paulum ac Silam Theſſalonica Berroeam devexerint *Act.* 17. 10. hæc, inquam , & horum ſimilia omnia quorſum pertinent ? Quum iſta quidem Blondellus proferat , ecquid ad cauſſam ſuam proficit , qui Apoſtolos plebem ſibi conſortem adjunxiſſe contendit in regenda Religione? Igitur ex iis , quæ ille fundit , pauca quædam expedire aggrediemur , quibus vis aliqua ineſſe videatur ad fallendos rerum Eccleſiaſticarum ignaros. Primum Blondellus hujuſmodi argumentis cauſſam dicit. Petrus *Act.* 1. 16. quum de creando Apoſtolo conſilium cepiſſet , qui in locum Judæ ſufficeretur , hanc rogationem tulit non ad Senatum, in quo ſoli eſſent Apoſtoli, ſed ad multitudinem ὀνομάτων ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν *nominum quaſi* cxx. Ad hoc Helleniſtis conquerentibus *Act.* 6. 2. quod pauperes eorum viduæ neglectui eſſent , Apoſtoli dixere ad eam rem otium ſibi non eſſe ab Apoſtolico propagandæ Religionis munere , & ad Eccleſiam, ſive Chriſtianam Univerſitatem pertulerunt, ut ſeptem probos & pios viros nomine Diaconos crearet, quibus Eccleſiaſticæ pecuniæ procuratio committeretur . Paulo poſt Chriſtianus Judæorum Populus Petrum, qui Cornelium alioſque Gentiles in Eccleſiam allegerat , quaſi novis rebus ſtudentem accuſavit , nec ab accuſando conquievit , donec Divino ſe paruiſſe Numini comprobaſſet *Act.* 11. 2. Tum Paulus & Barnabas, Plebe Antiochiæ convocata, ſtatim eam monuerunt de Divinis decretis, quæ ſciſcebant, ut in Eccleſiam Gentes congregarentur *Act.* 14. 26. Quanta porro poteſtas Chriſtianæ Univerſitati tribuitur in Hieroſolymitani Concilii hiſtoria ? Quum Antiochiæ de Moſaicis legibus diſputaretur , illa juſſit Paulum , Barnabam , alioſque optimos viros Hieroſolymam proficiſci, ut rogarent quid Apoſtoli ſentirent : coacto Concilio Hieroſolymitana Eccleſia cum Apoſtolis & Presbyteris de dogmate ſancivit , litteraſque ad Antiochenos perſcripſit , in quibus eos docuit quidquid Concilium decreviſſet . Hæc Blondellus, contra quem nos paucis dicere oportet.

VII. Ac principio exiſtimandum eſt , primis Eccleſiæ conditoribus Apoſtolis eum fuiſſe morem, ut quæcunque gerebant , cum Populis una communicarent . Hoc vero non perinde peragebatur , quaſi iis aliqua regendæ Eccleſiæ auctoritas eſſet tributa . Omnis enim apoſtolici conſilii ratio eo ſpectabat , ut multitudo ad rerum Divinarum diſciplinam inſtitueretur & ad diſpiciendam Dei bonitatem animum attenderet , vel ſi negotium in eligendis ſacris miniſtris verſaretur , teſtimonia & ſuffragia iis daret, qui proponebantur. His ita conſtitutis ordine diluamus quæ Blondellus objecit . Primum eſt, cum novus Apoſtolus eſſet eligendus, hoc integrum multitudini fuiſſe permiſſum. At non ita Divinus hiſtoricus, cujus ea ſunt verba , *In diebus illis ſurgens Petrus in medio Fratrum (erat autem turba nominum ſimul fere centum viginti* . . . . . *de Juda , qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum* . . . *Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum* . . . *Epiſcopatum ejus accipiat alter* . . . *& ſtatuerunt duos Joſeph.* . . . . *& Mat-*

chiam,

thiam . . . . dederunt ſortes eis & cecidit ſors ſuper Matthiam. Hæc plane oſtendunt Petrum non ad Turbam, ſed ad Apoſtolicum Senatum tuliſſe de viro eligendo, qui Judæ ſuccederet. Nam turbam illam nominum quaſi cxx. ſacer ſcriptor commemoravit, ut locum, in quo Petrus loquebatur, frequentiſſimum fuiſſe doceret. Sed demus Petrum permiſiſſe, ut non modo Apoſtolicus Senatus, verum etiam tota, quæ aderat, Chriſtianorum Univerſitas de novo renuntiando Apoſtolo deliberaret. Non enim ex eo efficitur, multitudinem ad gubernandam Eccleſiam acceſſiſſe, ſed illud ei datum fuiſſe, ut Apoſtolorum ductu duos deſignaret, quorum alter ſorte Apoſtolus ducendus eſſet. Sequitur jus quod Plebi mandatum eſt in creandis Diaconis. Audiamus ſacrum hiſtoricum, *Convocantes autem Duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt, Conſiderate ergo, Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu Sancto & ſapientia quos conſtituamus ſuper hoc opus*. Perſpicuum eſt ex iis verbis, Plebem, cui poteſtas deligendorum Diaconorum facta erat, eam legem habuiſſe, quæ viros pios & ſapientes, nec plures, quam ſeptem renuntiari ſciſceret, item eos, qui ſic creati eſſent, non ſtatim juberet munus ſuſcipere, ſed Apoſtolis offerri, ut, ſi probarentur, ſacro ritu capi poſſent. Itaque Plebs nihil ſacræ juriſdictionis, ſed ſolum ſuffragia ſibi vindicare potuit. Nam Apoſtolorum fuit, ut ſacrum munus iis committerent, quos Plebs elegiſſet. Proximum eſt de querelis, quæ Judæis Chriſtianis cum Petro interceſſere. Accuſatus enim eſt Apoſtolus, quod Gentilibus familiariter uſus eſſet, eoſque tametſi haud *circumciſos* in Chriſtianum nomen recepiſſet. Summa nimirum ea fuit Judæorum audacia, qui nudius tertius novi Fœderis religionem aſciverant. Sed major Blondelli impudentia eſt, qui illos jure egiſſe reputavit. At enim, inquiet, contra illos accuſatores Petrus ſe defendit & quaſi cauſam dixit. Videat quidem Calvinianus, ne quod Petrus geſſit, alioſum accipiat, atque intelligi neceſſe eſt. Nam Apoſtolorum princeps, cum videret Chriſtianos in animum induxiſſe ſuum, Judæis tantum & Proſelytis ad Eccleſiam aditum patere, hunc errorem, qui fraudem iis facere poterat, adimendum eſſe exiſtimavit. Quocirca dixit, ſe, qui nihil hujuſmodi opinabatur, divino & certo ſomnio fuiſſe admonitum, ne dubitaret Gentiles Eccleſiæ adſcribere: idque quum feciſſet, Deum illos iiſdem bonitatis ſuæ ſignificationibus affeciſſe, quibus ipſos Apoſtolos proſequutus fuerat. Ex quo efficit, novi Fœderis Eccleſiam hujuſmodi eſſe, ut non modo Judæos ſed etiam Gentiles complectatur. Hæc Petri fuit oratio, quæ non ad ſeipſum defendendum, ſed ad accuſatores ſuos de Divina bonitate monendos pertinuit. Sic prorſus Paulus & Barnabas, poſtquam plures Aſiæ urbes peragraſſent, Antiochiæ Chriſtianum populum cogentes eum docuerunt, *θύραν πίστεως oſtium Fidei* Deum Gentibus aperuiſſe *Act*. 14. 26.

Accedamus ad Hieroſolymitanum Concilium. In eo Apoſtoli & Presbyteri iidemque Epiſcopi de eo conſultant, de quo Antiochenæ Eccleſiæ Legati Paulus & Barnabas retulerant, an Gentiles, qui Chriſto nomen profitebantur, non modo deberent Noachidarum præceptis, ſed univerſis moſaicis inſtitutis parere, *Συνήχθησαν δὲ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου, Convenerunt Apoſtoli & Presbyteri videre de verbo hoc Act. cap*. xv. *v*. 6. Dixit ſententiam Petrus, in quam Paulus, Barnabas, Jacobus cæterique diſceſſere. Decretum enim eſt eos, qui ex Gentibus evangelicam legem ſuſcipiebant, in eo non eſſe officio ut moſaicos ritus ſervarent. Re ita peracta Apoſtoli, Presbyteri & omnis Hieroſolymitana Eccleſia viros quoſdam eſſe deligendos cenſuere, per quos Epiſtolam ad Antiochenos mitterent. Hæc autem Epiſtola ita ſe habuit, *Οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοὶ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν, χαίρειν . . . . Ἔδοξεν ἡμῖν γενομένοις ὁμοθυμαδὸν, ἐκλεξαμένους ἄνδρας πέμψαι πρὸς ὑμᾶς . . . . Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων, Apoſtoli, Seniores & Fratres his qui ſunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ, Fratribus ex Gentibus ſalutem . . . Placuit nobis collectis in unum, electos viros mittere ad vos . . . Viſum enim eſt Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria*. Hactenus Concilii hiſtoria. Blondellus vero primum ſibi ſumpſit, ipſam Chriſtianorum Uni-

Univerſitatem, quæ erat Antiochiæ, Paulum & Barnabam miſiſse, qui Hieroſolymitanam Eccleſiam de moſaicorum rituum auctoritate conſulerent. Deinde Apoſtolos, Presbyteros Populumque Chriſtianum pari iure Epiſtolam ad Antiochenos ſcripſiſse, in qua Concilii decretum perlatum eſt; denique in iis verbis, *Viſum eſt nobis & Spiritui Sancto*, illud *nobis* ad eos omnes referri, qui Epiſtolam ſcripſerant ita ut vel ipſe Populus de dogmate cenſuiſse in Concilio videretur. Hæc refellere in proclivi eſt. Ac ſacer quidem hiſtoricus, quum Paulum & Barnabam dixiſset ad Apoſtolos in Urbem Hieroſolymorum fuiſse miſsos, explicate non expreſſit quorum auctoritate illi legationem ſuſcepiſsent. In antiquiſſimo novi Fœderis codice, quo uſus eſt Theodorus Beza, legere eſt eos, qui contra Paulum & Barnabam moſaicis ritibus vim tribuebant, conſilium injeciſse de rogandis ſententiam ſuam Apoſtolis, qui in Hieroſolymis verſabantur. Ex criticis Hammondus *in novi Teſtamenti paraphraſi* putavit, juſsu eorum, qui Antiochenam Eccleſiam regebant, Paulum & Barnabam ad conſulendos Apoſtolos contendiſse. Buddeus *Apoſt. Eccl. cap.* IV. duxit, hujus profectionis illos fuiſse auctores, qui, quum diſputationi de moſaicis inſtitutis adfuiſsent, animi pendebant, quorum partibus faverent. Sed Blondello concedamus, Antiochenam Chriſtianorum communitatem abs re ſua eſse cenſuiſse, ut Paulus & Barnabas ad Apoſtolos proficiſcerentur: attamen exiſtimandum eſt illam ſic egiſse non poteſtate, quæ ei nulla erat ad regendam religionem, ſed prorſus rogatu & admonitu ſuo, ut ſublato omni certamine reſcire poſset quo loco Moſis inſtituta haberet. Jamvero nec ulla Populo juriſdictio tributa fuit, quod is Apoſtolis & Presbyteris adiunctus eſt, ubi de mittendis ad Antiochenos legatis deliberatur & Synodica ad eoſdem epiſtola conſcribitur. Populus enim nec Judicis nec Cognitoris, ſed tanquam illius, qui Apoſtolis & Presbyteris aſſenſionem ſuam non cohibuerit, partes obivit, de quo conſulendus eſt Henricus Dodwellus *in de jure Laicorum Sacerd. cap.* III. §. XXV. Atque mos jam tum uſurpari cœpit, ut quidquid Eccleſiarum Moderatores agerent, id ſæpe ad communem omnium concordiam declarandam ipſis Eccleſiis adſcriberetur. Epiſtola Clementis Romani Pontificis hunc habet titulum, Ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Ῥώμην τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ παροικούσῃ Κόρινθον. *Eccleſia Dei, quæ incolit Romam, Eccleſiæ Dei, quæ incolit Corinthum*. Epiſtola Rectorum Eccleſiæ Smyrnenſis ad alias Eccleſias apud Euſebium *in lib.* VI. *Hiſt. Ec. cap.* XV. ita inſcribitur, Ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν τῇ παροικούσῃ ἐν φιλομηλίῳ, καὶ πάσαις ταῖς τῆς ἁγίας Καθολικῆς Ἐκκλησίας παροικίαις, *Eccleſia Dei, quæ eſt Smyrnæ, Eccleſiæ Dei apud Philomelium & omnibus Sanctæ & Catholicæ Eccleſiæ Populis*. Apud ipſum Euſebium *in lib.* V. *Hiſt. Eccl. cap* I. legitur Epiſtola eorum, qui Eccleſias Lugdunenſem & Viennenſem gubernabant, ad Aſiæ & Phrygiæ Eccleſias cum hujuſmodi epigraphe, Οἱ ἐν Βιέννῃ δὲ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ φρυγίαν, *Chriſtiani, qui apud Viennam & Lugdunum Galliæ degunt, Fratribus per Aſiam & Phrygiam conſtitutis*. Simillima igitur ratio eſt, cur Apoſtolici Concilii epiſtola ad Antiochenos & ſcripta & perlata ſit Hieroſolymitanæ Eccleſiæ nomine. Poſtremo nefas eſt, Synodicum decretum eſſe eorum omnium exiſtimare, qui epiſtolam ſcripſiſſe dicuntur, ſive Apoſtolorum, Presbyterorum & Fratrum. Nam illud *nobis* in verbis hiſce, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis* explicandum eſt ex altero epiſtolæ commate, in quo hæc leguntur, *Viſum eſt nobis una congregatis*. Quinam vero in Concilio ſederant, niſi qui de dogmate diſputaverant & conſultaverant, hoc eſt Apoſtoli & Presbyteri *Act.* XV. 6.? Quocirca iis ſolis Synodicum decretum attribuendum eſt. Eam ob rem *Actor.* XVI. 4. quæ in Hieroſolymitano Concilio ſcita fuerant, δόγματα appellantur τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων *decreta Apoſtolorum & Presbyterorum*. Adeatur Hammondus *Annot. in Acta cap* VI. *v.* 2.

VIII. Perrexit Blondellus pro Plebe Apoſtolicorum temporum dicere. Sic enim is diſſeruit. Paulus I. *Cor.* 5. 4. quum nefarium ſcortatorem Eccleſiaſtica conſuetudine interdiceret, eundemque in Satanæ poteſtatem redigeret, hanc coercitionem non ſolum

lum auctoritate conſtituit ſua, ſed & conſenſu popularis concionis, cui & ipſe mente aderat, imponendam curavit. Quinimo v. 13. Chriſtianos Corinthios monuit, ut eum impium hominem tollerent, ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, *tollite malum ex vobis ipſis*. Hunc ipſum Apoſtolus *in* 2. *Cor.* 11. 6. anathemate perculſum a multis hoc eſt a Chriſtiana Plebe dixit: Nam ita Corinthios alloquutus eſt, Ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπιτιμία αὕτη ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων, *ſufficit huic* (ſcortatori) *coercitio hæc*, *quæ facta eſt a multis*, quaſi diceret, par eſſe, ut Chriſtiana Plebs eum, quem ab Eccleſia depulerat, aliis afficere malis deſineret. Maximum autem iſtud eſt: Paulus in Epiſtola, quam ad Coloſſenſes miſit *cap.* IV. 16. eos voluit Archippum Paſtorem ſuum muneris commonefacere, Εἴπατε Ἀρχίππῳ, Βλέπε τὴν διακονίαν ἣν παρέλαβες ἐν Κυρίῳ ἵνα αὐτὴν πληροῖς, *Archippo dicite*, *vide miniſterium*, *quod accepiſti in Domino*, *ut illud impleas*. Huc accedit, quod 1. *Theſſ. cap.* v. 14. Populus Chriſtianus, qui primum juſſus eſt Paſtores ſuos revereri, deinde monitus eſt, ut Chriſtianos omnes, qui ab officio deficiunt, ad illud ſtatim revocaret; Quæ omnis Paſtorum eſt auctoritas. Audiatur Apoſtolus, Παρακαλοῦμεν, inquit, δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους, ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας, *Rogamus vos*, *Fratres*, *corripite inquietos*, *conſolemini puſillamines*, *ſuſcipite infirmos*, *patientes eſtote ad omnes*. Quin & in altera Epiſtola, quam ad Theſſalonicenſes Paulus ſcripſit *cap* III. v. 14 eidem Populo poteſtas data eſt *excommunicandi*, hoc eſt disjungendæ Eccleſiaſticæ conſuetudinis cum iis, qui Divinæ legi non auſcultabant, Εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν διὰ τῆς ἐπιστολῆς, τοῦτον σημειοῦσθε, καὶ μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ, ἵνα ἐντραπῇ, *Quod ſi quis non obediat verbo veſtro per Epiſtolam*, *hunc notate*, *& ne commiſceamini cum illo*, *ut confundatur*. Hactenus Calvinianus.

IX. Age nunc diluamus quidquid ex duabus ad Corinthios Epiſtolis ille objecit, quod facile conficietur, ſi pauca diſpiciantur, antequam res ipſa explicetur. Primum eſt, Epiſtolas, quas ad Corinthios Apoſtolus miſit, omnibus Achaiæ Eccleſiis, cujus civilis metropolis erat Corinthus, fuiſſe perſcriptas. Iſtud Apoſtoli conſilium in utriuſque Epiſtolæ principio perſpicitur: Nam quæ inter novi Fœderis libros prior eſt, plane ſcribitur τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ . . . . . καὶ ἁγίοις σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν παντὶ τόπῳ, *Eccleſiæ Dei*, *quæ eſt Corinthi*, . . . *& Sanctis omnibus*, *qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in omni loco*, hoc eſt non modo Corinthi, ſed & in univerſis Achajæ regionibus. Quæ autem ſecundo eſt loco, ea inſcribitur τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ, *Eccleſiæ Dei*, *quæ eſt Corinthi*, *& omnibus Sanctis*, *qui ſunt in Achaja*. Alterum eſt, Chriſtianorum, qui erant Corinthi & in univerſa Achaja, pleroſque fuiſſe, qui vel ex diuturna conſuetudine, vel ex eorum mente qui Philoſophi audiebant, Religioni non ducebant fidenter ſcortari. In iis fuit nonnemo, quem ſacrorum extitiſſe Antiſtitem Chryſoſtomus & Theophylactus opinantur. Ille enim de Corinthio, quem Apoſtolus Satanæ in poteſtatem dedit, ſic dixit, Οὐ μόνον θείων μυστηρίων ἠξίωτο, ἀλλὰ καὶ διδασκαλικοῦ ἐπετύχει χαρίσματος, *non modo particeps erat Divinorum myſteriorum*, *ſed etiam dignitatem Doctoris adſequutus erat*. Ad hæc illud aſtruendum eſt, quod ex iis, quæ allata ſunt, facile efficitur, Apoſtolum in Epiſtolis ad Corinthios ſive ad univerſos Achæos de iis omnibus, quæ protulit, non ſingulos Chriſtianos monuiſſe, ſed alia ad Chriſtianos pios retuliſſe, alia ad improbos, alia ad bonos Paſtores, & alia ad illos, qui Philoſophorum opinionibus animum imbuerant. Sic enim illius oratio ſe habuit, ut quiſque ex dignitate in qua verſabatur, aut ex vitæ ratione, quam inſtituerat, ita hæc vel illa quæ dicebantur, ad ſe pertinere ſine ullo negotio exiſtimare poſſet. Iis conſtitutis ad rem explicandam aggrediamur, de qua Apoſtolus in capite quinto *Epiſtolæ* 1. *ad Corinthios*. Quum enim is inter Chriſtianos Corinthios aliquem verſari accepiſſet, qui turpiter noverca uteretur ſua, ita eos perſtrinxit, Καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστέ, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, ἵνα ἐξαρθῇ ἐκ μέσου ὑμῶν ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας, *Et vos inflati*

flati

flati eſtis (veterum Philoſophorum opinione) *& non magis luctum habuiſtis ut tollatur de medio veſtrum, qui opus hoc fecit*: pertinent ea verba ad aliquos Achaiæ Paſtores, qui ſcortationem nec naturæ nec Divinis legibus eſſe contrariam exiſtimantes complexa Eccleſiæ non divellebant, hoc eſt non excommunicabant turpiſſimi criminis reum. Duo enim illa verba, quibus utitur Apoſtolus, πενθεῖν *lugere*, & ἐξαίρειν ἐκ μέσου *tollere ex medio* idem manifeſto valent, ac aliquem Eccleſia depellere. Pythagoras iis, qui è ſecta ſua ejiciebantur, κενοτάφιον *Sepulchrum* excitabat eoſque lugebat. Origenes contra Celſum in *libro* III., Οὗτοι δὲ (Χριστιανοὶ) ὡς ἀπολωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ' ἀσελγείας ἢ τινος ἀτόπου γεγεννημένους ὡς νεκροὺς πενθοῦσι, *Hi vero (Chriſtiani) ut perditos & mortuos Deo eos, qui in laſciviæ vel cujuſvis improbitatis poteſtatem pervenere, tanquam mortuos lugent*. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum *in lib.* II. *cap.* 41., Μετὰ λύπης καὶ πένθους ἀνιάτως ἔχοντα τῆς ἐκκλησίας ἀπόκοπτε, *Qui ita male habet, ut ſanari poſſe non videatur, hunc cum dolore & luctu ab Eccleſia reſeca*. Sic & Theodoretus *in Sermone duodecimo adverſus Græcos*, Ἢν τι ἐπιμένωσι θηριωδῶς βιοτεύοντες, καὶ περιόντας θρηνήσομεν, *Sin beſtiarum ritu vivere perſeverent, vel ſuperſtites lugebimus*. Sed redeamus ad Apoſtolum, cujus oratio ita ſequitur, Ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ Σατανᾷ, *Ego equidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam judicavi, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis & meo Spiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti tradere Satanæ*. Quoſnam ſpectant illa, *congregatis vobis*? Profecto non omnes Achaiæ Chriſtianos, quorum plerique in nefariam libidinem ſeſe effundentes id ipſum crimen non eſſe opinabantur, ſed eos Paſtores, qui cum Apoſtolo optime ſentiebant. Quomodo enim Apoſtolus ad repetendam ab impio ſcortatore pœnam eos in conventum cogeret, qui idem ſcelus ſibi conſciſcebant? Ille igitur eorum Paſtorum, qui munus peragere ſuum neglexerant, vicem functus eſt, & congregatis optimis Paſtoribus, qui impium hominem in Eccleſia verſari ægre ferebant, hunc Satanæ iis malis afficiendum dedit, quæ bonam ei mentem injicere poſſent. Eoſdem Paſtores deinde Apoſtolus commonefecit, ut nullam ſibi conſuetudinem intercedere paterentur cum illis omnibus, qui vetitæ libidinis vel cujuſcumque maximi criminis accuſabantur. Sed de iis dixit, qui & Chriſtiani erant & hujuſmodi ſcelera non fugiebant. Namque τί γάρ μοι, inquit, καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis?* Quæ quum Apoſtolus monuiſſet, tandem juſſit illum ſcortatorem, quem in Satanæ poteſtatem redegerat, a piorum depelli ſocietate, Ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, *tollite malum ex vobis ipſis*. Expoſita eſt igitur prior ad Corinthios Epiſtola, in qua nullum eſt argumentum conceſſæ popularibus cœtibus ſacræ juriſdictionis. Accedamus ad alteram epiſtolam, quæ & ad Corinthios miſſa eſt. In hujus capite ſecundo Apoſtolus illius ſcortatoris, de quo in priore epiſtola egerat, cauſſam commemoravit, eundemque eo eſſe loco ſcripſit, ut ab imperio Satanæ liberaretur: timendum fore, ne, quum tanto cruciatu ille diu afficeretur, tandem deficientibus viribus occideret, eundem ſatis pœnarum dare, ſi exul & extorris ab Eccleſia eſſe pergeret. Sic enim Apoſtolus, *Sufficit illi, qui hujuſmodi eſt*, ἡ ἐπιτιμία αὕτη ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων *objurgatio ſive cenſura, quæ facta eſt in multorum conventu*. Poſtrema vero verba, ὑπὸ τῶν πλειόνων, *pluribus præſentibus*, declarant quidem ἐπιτιμίαν *cenſuram* peractam eſſe in concione populari, ſed a Paſtoribus, ad quos ea res pertinebat. Hi enim ſunt, quos Apoſtolus in prioribus litteris *ex medio ipſorum impium tollere* juſſerat. Si Apoſtolus ita intelligatur (neque enim contra accipi poteſt), clavium is poteſtatem docuit penes ſolos Paſtores reſidere.

Percurramus cætera. Non enim Apoſtolus Coloſſenſes ullius ſacræ juriſdictionis conſortes exiſtimavit, cum per eos Archippum admonuit, ne is muneri deeſſet ſuo.

Primum Archippus non videtur Coloſsarum Epiſcopus fuiſse. In litteris enim ad Philemonem *συστρατιώτης commilito* Pauli vocatur. Eorum vero, quos Apoſtoli commilitones dicebant, partes erant, ut nuſquam pedem figerent, ſed orbem peragrantes novum fœdus hominibus perferrent. Evangeliſtæ enim ipſi erant, qui Apoſtolis ad propagandum evangelium tanquam adjutores adjungebantur. Ergo in horum numerum Archippus allectus fuerat: Sed is otioſe ſedit aut forte Coloſſis, aut in regionibus, quæ ab ea urbe proprius recedebant. Id quum Paulus cognoſſet tum temporis, cum ad Coloſſenſes litteras miſit, hos eam rem rogavit, ut Archippo juſſa ſua nuntiarent. Ex quo putandum eſt, Coloſſenſes Archippi monitores non fuiſſe, ſed quaſi Pauli nuntios id quod ſibi commiſſum fuerat, ad eum detuliſſe. Sed concedatur deinde Blondello, Archippum Coloſſarum fuiſſe Antiſtitem, qui illius urbis Eccleſiam haud diligenter procurabat. Iſtud ſi ita fuerit, Apoſtolus Chriſtiano Coloſſenſium cœtui auctor eſſe potuit, ut Archippum officii commonefaceret. Attamen id ipſum argumento non eſſet, eum Populum Eccleſiæ fuiſſe gubernatorem & Clavium poteſtatem adminiſtraſſe Apoſtolicis temporibus. Coloſsenſes enim Antiſtitis ſui monitores extitiſsent, ſed tanquam ii, qui Eccleſiæ bonum exoptarent & religionis diſciplinam tuerentur. Ac illi quidem, quum Chriſtianum Principem non haberent, cum Archippo ita egiſsent, quemadmodum Catholici ſeſe gerunt Reges, in quos omnis Populi poteſtas translata eſt. Hi enim jubent Regni ſui Epiſcopos cavere, ne Eccleſia quidquam detrimenti capiat, quamvis ſacræ juriſdictionis nullas partes ſibi attribuant. Hæc de Coloſsenſibus. Explicandus porro eſt locus *Epiſtolæ primæ ad Theſſ.* v. 14., in quo Apoſtolus eam agendi rationem expoſuit, quam Theſsalonicenſes inſtituere cum univerſis Chriſtianis deberent. Ea vero in his officiorum præceptis verſatur, *Νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους caſtigate eos qui nec recte nec ordine vivunt*, ſive peccati ſui admonete, ſed ſæpe antequam eorum nomen Eccleſiæ deferatis, *Παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους animum addite puſillis*, iis nempe qui inopi & dejecto animo ſunt in adverſis, *ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν ſuſcipite infirmos*, hoc eſt eos veluti manu prehenſos ſuſtentate, qui facile labi poſſint, *Μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας patientes eſtote ad omnes*, ſperate meliora de omnibus, *Ὁρᾶτε μή τις κακὸν ἀντὶ κακοῦ τινι ἀποδῷ Videte ne quis alicui malum pro malo reddat*, *Ἀλλὰ πάντοτε τὸ ἀγαθὸν διώκετε alienis commodis ſtudete*. Ergo Apoſtolus præcepit eam eſse amicitiam conjunctionemque inter Chriſtianos, ut ſinguli non modo ſibi provideant, ſed communi omnium ſaluti conſulant, & alter alteri proſit omni in re, caveatque ne is fraudem ſibi faciat, idque ſine ullo imperio, ſed eo jure quo Fratrum vel Amicorum ſocietas continetur. Quomodo enim Apoſtolus omnes Theſsalonicenſes omnium cenſores conſtituere potuiſset, ſi paulo ante non alios iis datos eſse rectores affirmavit, quam ſacros Antiſtites? *Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς*, inquit, *ἀδελφοί, εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προϊσταμένους ὑμῶν καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς, Rogamus vos, Fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos & vobis præſunt, voſque commonefaciunt*. Sic enim Apoſtolus. Addimus etiam eundem in altera ad Theſsalonicenſes Epiſtola nihil ſcripſiſſe, quod Blondellus ad cauſsam ſuam arripiat, etiamſi in *cap.* III. 14. jubeantur Theſſalonicenſes neutiquam *συναναμίγνυσθαι familiariter vivere* cum iis qui Dominicis præceptis non obediebant. Etenim Apoſtolus non egit de illis publice divellendis ab Eccleſia qui Chriſtiana officia pervertebant, ſed tantum de privata cum iiſdem amicitia fugienda, quod ſine poteſtate quiſque facere poterat. Nam honeſti hominis eſt iis familiariter non uti, quos in invidiam vitæ ſuæ improbitas adduxerit. In rem Charondas nobilis legum conditor, *Ἀδίκῳ ἀνδρὶ ἢ γυναικὶ μὴ ὁμιλεῖν μηδένα, ἢ ὀνειδίζεσθαι ὡς ὄντα ὅμοιον, cum malo malave commercium nemo habeto, qui habuerit, eadem, quæ illi, convitia patitor*. Hæc paucis perſequuti ſumus, ex quibus efficitur nullam Plebi juris auctoritatem fuiſse mandatam in Apoſtolica procuranda Eccleſia.

X. Diſſerendum nunc eſt de antiquis illis Patribus, quorum ſententiis ad Eccleſiæ gubernacula Plebem admovere Blondellus contendit. In iis primus eſt Clemens Romanus, cujus ex Epiſtola ad Corinthios ille periocham deſcripſit hanc, quæ in cap.

LIV.

LIV. ex ed. Cotelerii ſic legitur, *Τίς οὖν ἐν ὑμῖν γενναῖος; τίς εὔσπλαγχνος; τίς πεπληροφορημένος ἀγάπης; εἰπάτω. Εἰ δι' ἐμὲ στάσις, καὶ ἔρις, καὶ σχίσματα, ἐκχωρῶ, ἄπειμι, οὗ ἐὰν βούλησθε, καὶ ποιῶ τὰ προστασσόμενα ὑπὸ τοῦ πλήθους μόνον τὸ ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ εἰρηνευέτω, μετὰ τῶν καθεσταμένων πρεσβυτέρων*, *Quis ergo inter vos generoſus? quis miſericors? quis caritatis plenus? Dicat: Si propter me ſeditio & diſcordia & ſchiſmata, diſcedo, abeo, quocunque volueritis, & facio, quæ a Plebe mandantur. Solum ovile Chriſti in pace degat cum conſtitutis Presbyteris*. Ex his enim Calvinianus effecit, Clementem Corinthiis, qui de Sacerdotio decertabant, auctorem fuiſſe, ut ii, ſi paci ſtudere vellent, Plebis juſſis obtemperarent, quod ipſum *in Apologia pag.* 12. affirmate de Clemente dixerat, *Heic*, inquit, *nos monet Clemens, Fideles etiam de Epiſcopatu aut Presbyterio contendentes non ab Epiſcopi ſingularis nutu, ſed a multitudinis præceptis pependiſſe*. Igitur Romani Pontificis periocha illa paucis explicanda eſt, quæ ne perexiguam quidem auctoritatem popularibus concionibus ad gubernandam Eccleſiam attribuit. Res facile conficietur, ſi quorſum tota ad Corinthios Epiſtola pertinuerit, plane intelligatur. Tota Achaiæ provincia, cujus metropolis erat Corinthus, magna & diuturna diſſenſione conficiebatur, quam pauci ſed audaciſſimi homines commoverant. Id quum Clemens accepiſſet, eximiam & apoſtolicam Eccleſiam in eo eſſe diſcrimine non ſuſtinuit: Sic enim *Epiſtolæ in cap.* I., *Ἀδελφοὶ, βράδιον δοκοῦμεν ἐπιστροφὴν πεποιῆσθαι . . . . περὶ τῆς ἀλλοτρίας καὶ ξένης τοῖς ἐκλεκτοῖς τοῦ Θεοῦ, μιαρᾶς καὶ ἀνοσίου στάσεως, ἣν ὀλίγα πρόσωπα προπετῆ καὶ αὐθάδη ὑπάρχοντα . . . ἐξέκαυσαν*, *Fratres tardius videmur convertiſſe animum ad alienam peregrinamque Dei electis ſeditionem, ſceleſtam ac impiam, quam pauci homines præcipites ac temerarii inflammarunt*. Seditionis auctores, quamvis è Populo eſſent, nullumque in Eccleſia munus gererent, tamen de ſacerdotio contra Epiſcopos & Presbyteros certamen inſtituerant, eoſque abdicare exoptabant: In Epiſtolæ *cap.* III., *οὕτως ἐπηγέρθησαν οἱ ἄτιμοι ἐπὶ τοὺς ἐντίμους, οἱ ἄδοξοι ἐπὶ τοὺς ἐνδόξους, οἱ ἄφρονες ἐπὶ τοὺς φρονίμους, οἱ νέοι ἐπὶ τοὺς πρεσβυτέρους*, *Sic inſurrexerunt inhonorati contra honoratos, inglorii contra glorioſos, inſipientes contra ſapientes, juvenes contra Presbyteros*: Et in *cap.* XLIV., *Τοὺς οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων . . . . . τούτους οὐ δικαίως νομίζομεν ἀποβαλέσθαι τῆς λειτουργίας*, *Conſtitutos itaque ab illis* (Apoſtolis) . . *eos putamus Sacerdotio injuſte depelli*. Omnis hæc Achæorum diſſenſio iiſdem de cauſſis orta fuit, ex quibus eorundem Eccleſia temporibus Pauli in duplicem factionem venerat, cum alii ab Apollo, alii e Petri, alii e Pauli partibus ſeſe ſtare dicebant. Hoc interfuit, quod Achæi, qui Clementis ævo tumultuabantur, duos vel tres improbiſſimos Duces ſequerentur, qui, quum nec Epiſcopi nec Presbyteri eſſent, ad Eccleſiam gerendam accedebant: In *cap.* XLVII. *Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου . . . . ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν, περὶ αὐτοῦ τε καὶ Κηφᾶ, καὶ Ἀπολλῶ, διὰ τὸ καὶ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι. ἀλλ' ἡ πρόσκλισις ἐκείνη ἧττον ἁμαρτίαν ὑμῖν προσήνεγκεν. Προσεκλίθητε γὰρ ἀποστόλοις μεμαρτυρημένοις, καὶ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ' αὐτοῖς. Νυνὶ δὲ κατανοήσατε τίνες ὑμᾶς διέστρεψαν . . . . δι' ἓν ἢ δύο πρόσωπα στασιάζουσι πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους*, *Sumite epiſtolam beati Pauli Apoſtoli . . . . . Profecto in Spiritu ad vos litteras dedit de ſeipſo, & Cepha & Apollo, quia etiam tum diverſa in ſtudia ſciſſi eratis: Sed varia illa animorum inclinatio minus peccatum vobis attulit. Propendebatis enim in Apoſtolos teſtatæ Sanctitatis & in virum ab illis probatum. Nunc vero animadvertite, quinam vos perverterint . . . propter unum aut alterum hominem contra Presbyteros ſeditionem movetis*. Ab his autem paucis hominibus quos impudentiſſimi oris capita recte dixeris, adeo certatum eſt, ut ipſe Provinciæ politicus ſtatus ſollicitaretur. Nam in tota epiſtola is Achæorum motus appellatus eſt non modo *ζῆλος καὶ ἔρις æmulatio & diſcordia*, quæ ad ſchiſma ſignificandum uſui ſunt, ſed *στάσις καὶ διωγμὸς καὶ ἀκαταστασία ſeditio & tumultus*, quæ civilem exprimunt perturbationem. His ita conſtitutis quiſque intelligit, quam ob rem Clemens epiſtolam ad Corinthios ſcripſerit. Studebat enim veterem Achæorum Eccleſiam a diuturno certamine liberare, eique tranquillitatem afferre.

In hujuſmodi ſtudio quum ille eſſet, pluribus argumentis, iiſque ad id quod agebat accommodatis diſputavit, ut univerſæ diſſenſionis Duces ab incepto avocaret. Quocirca eos ita affatus eſt, Si quis veſtrum magnos honeſtoſque animos gerat, ſtatim caveat, ne eo bello, quod Epiſcopis & Presbyteris illatum eſt, Eccleſia conjiciatur: itaque is Achæos convocet, quibus ad commovendam ſeditionem auctor fuit, & apud eos vicem doleat ſuam deſpondeatque ſe abiturum, quocumque Plebs juſſerit; dum ea legitimis Epiſcopis & Presbyteris obtemperaverit. Huc tota Clementis oratio recidit, ex qua Blondellus fidenter & temere concludit, Plebi jus tribui gubernandæ adminiſtrandæque Eccleſiæ. Non enim Clemens veros Paſtores admonuit, ſed Achæos quoſdam, qui clero adſcripti non erant, & audacter de ſacerdotio dimicabant, ut popularibus ſeſe juſſis parituros promitterent ad Plebem revocandam a tumultu, quem ipſi excitaverant. Atque nefas eſt aliquam Populo auctoritatem ex iis adſtruere, quæcunque ad eum ſedandum illi afferunt, qui, quum ſeditionem feciſſent, deinde mentem mutaverint, & arbitrio multitudinis, quam primum fefellerunt, ſeſe commiſerint. Sic de Clementis epiſtola ad Corinthios.

XI. Sequuntur Polycarpus & Dionyſius Corinthiorum Præſul. De Polycarpo Blondellus dixit, eum in Epiſtola ad Philippenſes, cum Valentem Presbyterum & hujus uxorem objurgaſſet, deinde Chriſtiano Populo injunxiſſe ut ei bonam mentem ſuggeret. Dionyſii porro Epiſtolam ad Romanos attulit, in qua is ſcribebat, veterem fuiſſe Corinthiis morem in Eccleſia legendæ illius Epiſtolæ, quæ prior eſt inter Clementis Epiſtolas. Sic enim Blondellus putavit, Corinthium Populum anno 165, in quo Dionyſius Epiſtolam ad Romanos miſit, non potuiſſe ab Eccleſiæ gubernatione arceri, cum ſæpe ex Clementis Epiſtola audiret juſſis ſuis ſacros Paſtores paruiſſe. Hoc modo ex Epiſtolis Apoſtolicorum Patrum ille perperam diſſeruit. Atque primam Epiſtolam Polycarpi ad Philippenſes commemorant Euſebius in *Hiſt. lib.* III. *cap.* 36., in *lib* IV. *cap.* 14., & *in lib.* V. *cap* 20., Hieronymus *in Catalogo* & in *Epiſtola* 28. *ad Lucinium*, Maximus in ſcholiis *ad Epiſtolam* 7. *Dionyſii* & Photius in *Bibliothecæ cod.* 126. Ea legitur in volumine ſecundo Patrum Apoſtolicorum Cotelerii, ſed latine integra, græce mutilata. In latinis autem, non in græcis de Valente Presbytero periocha eſt, quæ ſic habet, *Nimis contriſtatus ſum*, inquit Polycarpus, *pro Valente, qui Presbyter factus eſt aliquando apud vos, quod ſic ignoret is locum, qui datus eſt ei. . . . Valde ergo, Fratres, contriſtor pro illo & conjuge ejus . . . Sobrii ergo eſtote & vos in hoc, & non ſicut inimicos tales exiſtimetis, ſed ſicut paſſibilia membra & errantia eos revocate, ut omnium veſtrum corpus ſalvetis. Hoc enim agentes vos ipſos ædificatis.* Demus latini interpretis ſummam fuiſſe fidem in græcis convertendis: ſed nihiloſecius ea verba, *ſicut paſſibilia membra & errantia eos revocate ut omnium veſtrum corpus ſalvetis*, neutiquam Philippenſium communitati aliquam in Presbyteros eſſe juriſdictionem declarant. Nam facile hujuſmodi oratio intelligi poteſt de precibus, ad quas fundendas pro ſacris præſertim Paſtoribus Chriſtiani omnes lege adſtringantur. Ad hoc locus ille, quem ex Epiſtola Dionyſii ad Romanos Blondellus objecit, apud Euſebium *Hiſt. lib.* IV. *cap.* 23. deſcriptus eſt, Σήμερον, ſic Dionyſius Romanos affatus eſt, οὖν Κυριακὴν ἁγίαν ἡμέραν διηγάγομεν, ἐν ᾗ ἀνεγνώκαμεν ὑμῶν τὴν ἐπιστολὴν ἣν ἕξομεν ἀεί ποτε ἀναγινώσκοντες νουθετεῖσθαι, ὡς δὲ τὴν προτέραν ἡμῖν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν, *Hodie ſacrum diem Dominicum tranſegimus, in quo Epiſtolam veſtram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente ſcriptam Epiſtolam, optimis præceptis ac documentis abundabimus.* Nullum autem momentum in eo eſt, quod ex iis verbis Blondellus effecit, Corinthios, qui Epiſtolam Clementis ſæpe legebant, in animum inducere potuiſſe, ſeſe tanquam Eccleſiaſticæ poteſtatis conſortes ſacris Paſtoribus fuiſſe adjunctos. In ea enim Epiſtola nihil quidem continebatur, cur illud Corinthiis ſuſpicari liceret, quod paulo ante dilucide comprobavimus.

XII. Hactenus equidem de Polycarpo & Dionyſio Corinthiorum Præſule. His Patribus adjungendus eſt Tertullianus, in cujus libris ea inveniſſe viſus eſt Blondellus, quæ

quæ auctoritatem cauſſæ ſuæ conciliarent. Nanque ex illius Apologetico accepit, univerſum Populum eccleſiaſticis judiciis interfuiſſe, quæ ab Epiſcopis contra Chriſtianos peccati reos inſtituebantur: Ab alio autem ejuſdem libro, qui eſt *de pœnitentia*, ſibi ſumpſit, aliquod Populo eſſe jus in gerendis diſciplinæ negotiis & præſertim in liberandis iis, qui canonicas pœnas luebant. Hæc ex Tertulliano ille objecit, quæ, ſi bene intelligantur, Catholico nomini non officiunt. Ac primus ſane locus *in Apologetici cap.* 39. ita legitur, *Coimus in cœtum & Congregationem . . . Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu: ſummumque futuri judicis præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis & conventus & omnis ſancti commercii relegetur. Præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*. His in verbis Tertullianus rationem aperuit ferendæ Cenſuræ conſentientem congruentemque Divinæ legi, quæ improbos ſingulos Chriſtianos, quos ſemel & iterum increpueris, in populari concione ſui accuſari criminis juſſit. Docuit enim hunc eſſe in Eccleſia peragendorum judiciorum ordinem, ut Epiſcopi audiente & adſtante Plebe eos admonerent, quos privatim a crimine perperam revocare conati eſſent, tum quos criminis ſui pœnitebat, parumper caſtigatos abſolverent, illos autem, qui ad bonam mentem non redibant, ab Eccleſia disjungerent, hoc eſt ſacris interdicerent. Ergo Plebs canonicis Judiciis aderat, ſed de iis, quorum nomen deferebatur, neutiquam judicabat. Nanque tantum audiebat, quidquid Epiſcopi ſanciviſſent, eorumque decretis parebat. Alter Tertulliani locus eſt in *cap.* IX. libri *de pœnitentia*, in quo is de antiqua exomologeſi ita ediſſeruit, *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare: ceterum paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſſa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrimari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi & caris Dei adgeniculari, omnibus Fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere. Hæc omnia exomologeſis*. Explicabat Tertullianus diſciplinam, quam Veteres de iis conſtituerant, quos publice peccatorum ſuorum pœnitebat. Hi enim fœdo corporis habitu prodibant, ac ſqualore obſiti & aſſiduis precibus ſeipſos conficientes ſtabant pro veſtibulis Ædium ſacrarum ibique dolorem ſuum ſignificabant: item Martyrum genibus advolvebantur, & pios e Populo rogabant, ut receptus ad Epiſcoporum gratiam per eos daretur, peccata porro ſua palam deteſtabantur, ſeque vitam in poſterum ex Divinis legibus acturos ſancte dejerabant. Hæc erat exomologeſis, de qua eruditus Albaſpinæus *Obſervat. lib.* II. *cap.* XXVI. & Binghamus *Orig. Eccleſ. lib.* XVIII. *cap.* III. Tertullianus igitur in toto publicæ exomologeſeos negotio illas dumtaxat piæ Plebi partes aſſignavit, quæ in fundendis ad Deum precibus veniaque ab Epiſcopis petenda verſabantur. Nanque dixit eos, in quos ex canonicis legibus animadvertebatur, *omnibus Fratribus ſolere legationes deprecationis ſuæ injungere*. Nimirum Fratres Fratrum fidem appellabant, ut pœnas ſuas apud Deum & Epiſcopos deprecarentur, quod non juriſdictionis, ſed ſanctæ illius amicitiæ proprium erat, quæ inter omnes Chriſtianos intercedebat. Atque huc referri ea oportet, quæ Blondellus exſcripſit de Natalio, & de altero ex iis Epiſcopis, qui Novatianum ad ſummum Romæ Sacerdotium admoverant. Nam apud Euſebium in *Hiſt. Eccl. lib.* V. *cap* XXVI. vetus Scriptor memoriæ prodidit, Natalium Divino monitu ad Catholicam Eccleſiam redire exoptantem non modo a Pontifice Zephyrino, ſed a Clero & a piis Chriſtianis eam rem impetraſſe. Narravit enim eum *ἐνδυσάμενον σάκκον, καὶ σποδὸν καταπασάμενον, μετὰ πολλῆς σπουδῆς καὶ δακρύων προσπεσεῖν Ζεφυρίνῳ τῷ Ἐπισκόπῳ, κυλιόμενον ὑπὸ τοὺς πόδας οὐ μόνον τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἀλλὰ καὶ τῶν λαϊκῶν . . . πολλῇ τε τῇ δεήσει χρησάμενον . . . μόλις κοινωνηθῆναι*. *Sacco obſitum & cinere conſperſum procidiſſe cum multo ſtudio & lacrymis coram*

ram Zephyrino Papa, ad pedes non eorum ſolum, qui erant in Clero, ſed etiam laicorum . . . multiſque precibus uſum vix tandem communionem exoraſſe. Ad hoc Cornelius Papa in Epiſtola ad Fabium Antiochenſem Epiſcopum apud eundem Euſebium in *lib.* VI. *Hiſt. cap.* XLIII. de uno ex tribus Italis Epiſcopis, qui Novatum nefarii ſchiſmatis auctorem in Epiſcopum conſecraverant, hæc dixit, Ἐξ ὧν εἷς μετ᾽ οὐ πολὺ ἐπανῆλθεν εἰς τὴν Ἐκκλησίαν . . . . . ᾧ καὶ ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ, ὑπὲρ αὐτοῦ δεηθέντος παντὸς τοῦ παρόντος λαοῦ, *Nec multo poſt unus ex illis Epiſcopis ad Eccleſiam reverſus eſt . . . Quem nos, cum univerſus Populus pro illo interceſſiſſet, ad communionem laicam ſuſcepimus*. Agebat ſcilicet Chriſtianus Populus cum Epiſcopis, ut in Eccleſiam ii Fratres reciperentur, qui vere ſui caſum dolebant, ſed tanquam deprecator, non quaſi ille, qui in gubernandis ſacris aliquid poteſtatis ſibi vindicaret. Summa enim ea erat inter Chriſtianos neceſſitudo & conjunctio, quæ omnes jubebat ſingulorum commodis & ſaluti proſpicere.

XIII. Jam prope eſt, ut eæ Veterum auctoritates explicentur, in quibus magna vis poſita eſſe Calvinianis videtur. Una eſt Origenis, ex qua Blondellus confecit, Plebem optimos quoſdam viros, ſed alios a Presbyteris & Epiſcopis elegiſſe, quibus Eccleſiæ regimen commiſiſſet. Altera eſt Cornelii Papæ, quem ille exiſtimavit in epiſtola ad Fabium Antiochenum, quæ paulo ante nominata eſt, de Chriſtiano Populo affirmaſſe, eum contra Epiſcopos caviſſe, ne, dum de cooptando inter Presbyteros Novato agebatur, canones violarentur. Primum Origenis verba perſequamur, quæ *Hom.* II. *in Exod.* 21. inveniuntur, *Principes Populi & Presbyteri Plebis debent omni hora Populum judicare, ſemper & ſine intermiſſione ſedere in judicio, dirimere lites, reconciliare diſſidentes, in gratiam revocare diſcordes*. Hæc græce non extant. Nam omnes Origenis in Exodum Homiliæ latine tantum leguntur ex interpretatione Ruffini, qui ſumma libertate uſus eſt in convertendis græcis. Attamen, ſi Origenes horum verborum auctor ſit, is non ita intelligendus eſt, perinde ac *Principes Populi* eos vocaverit, quos in ſacrorum Rectores Plebs delegerit, & Presbyteris adjunxerit. Præclariſſimus enim Doctor eo cognomine ipſos Epiſcopos ſignificavit, qui Chriſtianum quemque Populum regebant quo tempore ethnici Imperatores & Magiſtratus orbi præerant. Nam illorum arbitrio & judicio certamina omnia civilia tollebantur, eorumdemque admonitu inter eos, qui diſſentiebant, pax conjungebatur. Quocirca alias Origenes Epiſcopos dixit in Chriſtianis Rebuspublicis *principatum* adminiſtrare. Nam quum ei de Epiſcopo ſermo eſſet, *in Hom.* XI. inter eas, quas in Jerem ſcripſit, Ὁ δὲ τὴν πάντων, inquit, ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν, ἐπὶ πλεῖον ἀπαιτεῖται, *Qui omnium noſtrum principatum Eccleſiaſticum habuit, pro omnibus nobis reddet rationem*. Idem contra Celſum *in lib.* III. hæc diſſeruit, Οὕτω καὶ ἄρχοντα ἐκκλησίας ἑκάστης πόλεως ἄρχοντι τῶν ἐν τῇ πόλει συγκριτέον. ἵνα κατανοήσῃς, ὅτι καὶ ἐπὶ τῶν σφόδρα ἀποτυγχανομένων βουλευτῶν καὶ ἀρχόντων ἐκκλησίας Θεοῦ καὶ ῥαθυμότερον παρὰ τοὺς εὐτονωτέρως βιοῦντας, οὐδὲν ἧττόν ἐστιν εὑρεῖν ὡς ἐπίπαν ὑπεροχὴν, τὴν ἐν τῇ ἐπὶ τὰς ἀρετὰς προκοπῇ παρὰ τὰ ἤθη τῶν ἐν ταῖς πόλεσι βουλευόντων καὶ ἀρχόντων, *Eodem modo Principes Eccleſiarum cum Urbanis Magiſtratibus conferendi: ut intelligas principes Eccleſiaſticos etiam qui inter Collegas paulo frigidius verſantur in officio, tamen in morum & virtutum ratione vulgaribus Senatoribus atque Magiſtratibus præcellere*. Itaque poſt Origenem ſæpe Græci Epiſcopos ſalutant *Archontas*, & Latini *Principes* vel *Eccleſiæ* vel *Populi*, de quo titulo *in quarta Exercitatione*. Nunc dicamus de Cornelii auctoritate, quæ his exprimitur, Ὁ Νοουάτος . . . πιστεύσας κατηξιώθη τοῦ πρεσβυτερίου κατὰ χάριν τοῦ Ἐπισκόπου τοῦ ἐπιθέντος αὐτῷ χεῖρας εἰς πρεσβυτερίου κλῆρον. ὃς διακωλυόμενος ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου, ἀλλὰ καὶ λαϊκῶν. ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐπὶ κλίνης διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρόν τινα γενέσθαι, ἠξίωσε συγχωρηθῆναι αὐτῷ τοῦτον μόνον χειροτονῆσαι, *Novatus poſt ſuſceptum baptiſmum presbyteri gradum eſt conſequutus, idque per gratiam Epiſcopi, qui manus illi imponens eum ad Presbyterorum ordinem evexit: Cui cum univerſus Clerus, multique ex populo*

reſra-

refragarentur, *eo quod non liceret quemquam ex iis*, *qui urgente vi morbi in lectulo*, *perinde ac ille*, *perfuſi eſſent*, *in clerum aſſumi*, *poſtulavit ab iis Epiſcopus*, *ut hunc ſolum ordinari a ſe paterentur*. Res, quam Papa Cornelius commemoravit, ita peracta eſt. Novatus Presbyteri honorem petebat: ſed quoniam clinicus erat, ſive ob ægrotationem lecto affixus baptiſmum receperat, antiquis Eccleſiæ legibus repellebatur. Nam credidere Veteres eum crimine non vacare, qui tantum ſacramentum, quum facile potuiſſet, ſibi adminiſtrari non maturaſſet. Neocæſarienſes Patres in canone XII. hanc priſcam diſciplinam tradiderunt, Ἐὰν νοσῶν τις φωτισθῇ, εἰς πρεσβύτερον ἄγεσθαι οὐ δύναται. Οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης: Εἰ μὴ τάχα διὰ τὴν μετὰ ταῦτα αὐτοῦ σπουδὴν καὶ πίστιν, ἢ διὰ σπάνιν ἀνθρώπων, *Si quis ægrotans fuerit baptizatus*, *non poteſt in presbyterum evehi*. *Fides enim ejus non eſt ex inſtituto*, *ſed ex neceſſitate: niſi forte propter conſequens ejus ſtudium & fidem hominumque raritatem talis poſſit admitti*. Ac Populus quidem Novati petitionem primum rejecit. Populus enim ab Apoſtolico ævo rogatus eſt de eorum moribus, quos in presbyteros cooptare Epiſcopus cogitabat, & ſi quos ſuffragiis & ſcitis non probaſſet, id manifeſtis rebus aperuit. Novatus autem ab Epiſcopo Romano ſive Fabiano ſive Pontiano gratiam inivit, qui tandem evicit, ne multitudo intercedere pergeret. Sic ille inter Presbyteros allectus eſt. Hæc quum Cornelius narraſſet, plane ſequitur Populum illud dumtaxat habuiſſe, ut honorum Eccleſiaſticorum petitoribus teſtimonium ſuffragiumque dare aut negare poſſet, quod ſine ulla regendæ Eccleſiæ poteſtate peragebatur.

XIV. Tandem de cæteris veteribus Patribus, quos Blondellus nobis objecit, ſic exiſtimandum eſt, eos Chriſtianæ Plebi eximia quædam tribuiſſe, non quod ipſam Eccleſiaſticæ poteſtatis ſociam haberent, ſed quod omnia opinarentur eidem fore communicanda, quæ religionem reſpiciebant. Quum enim Eccleſia duplici hominum genere contineretur, altero eorum, qui præerant, altero autem illorum, qui audiebant & regebantur, ad utroſque ſacra negotia pertinere credebantur, ad Rectores quidem, ut de iis deliberarent, ad auditores vero, ut quæ decreta eſſent, ipſis traderentur. Hoc ſacri regiminis exemplum protulit Cyprianus in Epiſtolis 10. 12. 14. 27. 28. 33. 40. 41. 55. 56. 68. aliiſque quæ a Blondello opponuntur. Nec alio modo cum Plebe egerunt Cornelius Papa Romanique Presbyteri ac Diaconi, cujuſmodi eorum inſtitutum Epiſtolæ inter Cyprianicas 26. 31. & 46. memoriæ prodiderunt. Una Cypriani Epiſtola, quæ numero quinta eſt, paucis explicanda. In ea Carthaginienſis Epiſcopus Clerum ſuum his alloquitur, *Ad id vero*, *quod ſcripſerunt mihi Compresbyteri noſtri Donatus & Fortunatus*, *Novatus & Gordius*, *ſolus reſcribere nihil potui*, *quando a primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim nihil ſine conſilio veſtro & ſine conſenſu Plebis mea privatim ſententia gerere*. *Sed cum ad vos per Dei gratiam venero*, *tunc de iis*, *quæ vel geſta ſunt*, *vel gerenda*, *ſicut honor mutuus poſcit*, *in commune tractabimus*. Hactenus ille, cujus verba nullum nobis negotium faceſſunt. Conſilium enim ei non fuit plus ſatis Plebi deferre, quam Hierarchiæ, cujus erat ſtudioſiſſimus, permittebat ratio. Dixit quidem ſeſe nihil *ſine conſenſu Plebis ſua privatim ſententia gerere*, ſed eum conſenſum intellexit, qui non in decernendo, ſed in obtemperando verſabatur. Mos erat Cypriano Cleri & Populi concionem cogere, in qua de Eccleſia referretur: Ac ipſe cum Clero de iis rebus conſultabat, de quibus quærebatur, tum judicabat quid è Religione eſſet: Populo autem omnia communicabantur, qui, ſi decretis parebat, iis conſentire dicebatur. Sic Act. 15. Synodicum decretum non modo Apoſtolis & Presbyteris, ſed univerſæ Eccleſiæ adſcribitur, & in Actis Conciliorum ſæpe aliqui e Populo leguntur, qui cum Epiſcopis nomen ſuum ſubſcripſerint. Atque hinc Blondellus ſciverit, cur veteres nonnulli Epiſcopi Plebem paſſi eſſent colloquiis adeſſe, in quibus de fide diſputabatur. Illa enim non Judicis & cognitoris loco ſedebat, ſed ut rerum, quæ Religionem ſpectabant, notitia inſtrueretur.

XV. Pergamus ad reliqua. Nam Blondellus mutabilem Chriſtianæ Plebis fortunam perſequens docuit, popularem regendæ Eccleſiæ poteſtatem in Seniores aliquos

Con-

Conſtantini Magni temporibus fuiſſe tranſductam, iiſque ſublatis ſolos Populorum Reges, Proceres & Primores acceſſiſſe ad gubernandam Eccleſiam. Ac pro timocratico Seniorum regimine primum monumenta quædam Africanæ Eccleſiæ deſcripſit, & Leonem Papam commemoravit, deinde alios Patres attulit, qui ad rem dicere ſuam videbantur. Hæc refellere multis non oportet. Nam in nona exercitatione critica ad Grotium ſatis de ſenioribus diſſeruimus, quorum Annales Africanæ Eccleſiæ & veteres Patres meminere. Triplex ſane illorum erat genus, alii enim Sacerdotes, alii, qui, quamvis Eccleſiaſtici dicerentur, tamen non erant in Clericorum ordine, alii denique Civitatum Magiſtratus & Proceres. Omnium autem ſoli Sacerdotes Eccleſiis præerant, reliqui conſilio, teſtimonio, cuſtodia & præſidio iis conſulebant. Veterum autem Doctorum, quos Blondellus oppoſuit, unus eſt Hilarius, qui *in* 1. *Tim.* 5. 1. abrogatam tempore ſuo priſcis Senioribus auctoritatem indoluit. *Apud omnes*, inquit, *utique honorabilis eſt Senectus, unde & Synagoga & poſtea Eccleſia Seniores habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur in Eccleſia; qua negligentia obſoleverit neſcio, niſi forte Doctorum deſidia aut magis ſuperbia, dum ſoli volunt aliquid videri*. Hæc Hilarius extulit, in quibus tamen *Seniores quorum ſine conſilio nihil agebatur in Eccleſia* non oportet eoſdem exiſtimari, atque Eccleſiarum moderatores. In promptu enim eſt arbitrari, eos Civitatum fuiſſe Primores, qui quum ætate & dignitate cæteros cives ſuperarent, Eccleſiis ope & præſidio ſuo deſerviebant, tametſi a gubernatione ſacrorum arcerentur. Alii complures Doctores, quorum auctoritates a Blondello exſcribuntur, apoſtolicos locos enarrant qui ſunt in 1. Cor. 5. 4. 13. item in 2. Cor. 1. 6. 10. Coloſſ. 4. 16. & 1. Theſſ. 5. 14. Quoniamque paulo ante de ſingulis hujuſmodi locis dicimus, ne verbum quidem in iis eſſe, in quo popularis procurandorum ſacrorum poteſtas niti poſſet, nihil attinet Doctorum ſententias perſequi, qui id ſolum egerunt, ut diſertius Apoſtolorum mentem aperirent.

XVI. Differendum igitur eſt de Principibus & Proceribus Civitatum, quos, coactis in ordinem Plebis ſenioribus, ſacrorum veros extitiſſe gubernatores multis argumentis Blondellus affirmavit. Primum fuit, Principes Eccleſiæ Nutritios, Epiſcopos τῶν ἐκτὸς & veræ Religionis Rectores fuiſſe appellatos, itidem Eccleſias in manu & poteſtate habere ſua, Præſulibus munia præſcribere eoſque officii monere, Synodis porro vel per ſeipſos vel per Legatos auctoritatem conciliare legeſque de ſacris ſcribere & perferre, ex quo tituli in utroque codice, in Novellis & in Baſilicis leguntur, de *Fide Catholica*, de *ſacroſanctis Eccleſiis*, de *earum immunitatibus*, de *Epiſcopis & Clericis*, de *iis qui Religione contendunt*, de *Monachis*, de *Hæreticis & Apoſtatis*, de *Baptiſmi iteratione* & de aliis rebus, quæ Religionem ſpectant. At enim iſta quæ de Principibus Blondellus fudit, uberrime explicata fuere in diſſertatione prolegomena ad Grotianum librum, & in exercitationibus criticis ad eundem ſecunda & ſeptima. Omnia enim eo pertinent, ut Principes non ſacrorum eſſe arbitros, cognitores & Judices, ſed Patronos & vindices declarent.

Grave etiam argumentum Blondello videtur, quod conventus contra Photinum ſociatus eſſet, in quem Imperator juſſit non modo Epiſcopos, ſed Senatores ſuos venire; item quod Honorius Marcellinum Judicem dederit, qui de Catholicis & Donatiſtis decerneret. Hoc autem, quod poſtremum eſt, iterum oratione refellatur noſtra non oportet. Nam quanam præditus auctoritate Marcellinus inter Catholicos & Donatiſtas ſederit, & num de dogmate, an vero de criminibus cognoverit, id utrumque perſequuti ſumus in noſtris ad Grotianum librum exercitationibus. Ergo reſtat ut illud diſpiciatur, quod in prima argumenti parte verſatur. Photinus Marcelli Ancyrani Antiſtitis auditor & Diaconus, deinde Sirmii, quod Pannoniæ oppidum eſt, Epiſcopus renuntiatus fuit. Is quum Pauli Samoſateni inſtauraſſet hæreſin, & Chriſtum merum eſſe hominem docuiſſet, ſæpe damnatus eſt tam a Catholicis, quam ab ipſis Arianis. De Synodis, quarum judicium Photinus ſubiit, earumque epochis ſumma eſt doctiſſimorum virorum diſſenſio. Dionyſius Petavius arbitratus eſt primam contra Photinum

ſen-

ſententiam latam eſſe in Concilio C-Politano an. ſcccxxxvi. ab hæreticis, deinde a Catholicis in Sardicenſi an. cccxlvii. & paulo poſt in Mediolanenſi, tum in Sirmienſi an. cccxlix. iterumque ab hæreticis an. cccli. in altero Sirmienſi. Petavius enim Socratem & Sozomenum ſequutus eſt, qui in lib. ii. cap xxiii. & in lib. iv. cap. v. auctores ſunt Arianos in Sirmienſi concilio Photinum ſacerdotio depuliſſe poſt Sergii & Nigriniani conſulatum, qui fuit annus cccli. Doctiſſimo viro ſeſe oppoſuit Sirmondus, qui Synodorum, quas ille poſuit, cum numerum, tum Chronologiam rejecit. Atque hic putavit in C-Politano Concilio an. cccxxxvi. Photini mentionem iniici non potuiſſe, quum illius initium Socrates *in lib.* 2. *cap.* 2. conſtituiſſet in eo intervallo, quod inter utramque Antiochenam Synodum intercedit, nimirum an. cccxlii., ſi Baronio fides habeatur, vel an. cccxliii., ſi ratio Sigonii præferatur. Itaque ille duxit, primum de Photino judicium fuiſſe redditum in ſecunda antiochena Synodo, in cujus Synodica epiſtola apud Athanaſium *Ap.* 2. Ariani ita loquuntur, *βδελυσσόμεθα δὲ καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς χριστὸν μὴ εἶναι πρὸ αἰώνων θέλοντας. ἀλλ' ἐκτοτε χριστον αὐτὸν γεγονέναι καὶ υἱὸν τοῦ θεοῦ, ἐξ οὗ τὴν ἡμετέραν ἐκ τῆς παρθένου σάρκα ἀνείληφε. τοιουτοι δὲ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου καὶ Σκοτεινοῦ των Αγκυρογαλατων, abominamur præterea & anathematizamus eos qui Chriſtum non ante ſæcula fuiſſe contendunt, ſed ex eo tempore eum Chriſtum & Filium Dei factum fuiſſe, ex quo noſtram carnem de Virgine aſſumpſit. Tales ſunt diſcipuli Marcelli & Scotini ab Ancyra Galatiæ*. His in verbis Sirmondus Scotinum eundem eſſe ac Photinum exiſtimavit. Quumque negaſſet Sardicenſe Concilium de Photino commemoraſſe, eum ait in Synodo mediolanenſi fuiſſe damnatum, non in ea quidem, quam ſociatam a Catholicis ſtatim poſt Sardicenſem Petavius credidit, ſed in altera, quæ an. ccclv. coacta eſt. Tum rejecta Catholicorum Synodo, quam an. cccxlix. Sirmii extitiſſe Petavius conjecerat, Photinum contendit ſacerdotio eſſe pulſum in eo Sirmienſi Concilio, quod Conſtantii nutu Ariani habuerunt an. ccclvii. Nanque cum Baronio vir doctus ſenſit, qui a Socrate & Sozomeno diſcedens iſtud contra Photinum Sirmienſe Concilium convocatum cenſuit Conſtantio ix. & Juliano Coſſ. Omnis hæc inter eruditos viros concertatio ita proceſſit. Primum Petavius de Photini rebus ſcripſit *in Animadverſionibus ad S. Epiphanium*. Sirmondus ei objecit diatribam de *Anno Synodi Sirmienſis & Fidei formulis in ea editis*. Petavius cauſſam dixit ſuam in *diſſertatione de Photino hæretico ejuſque damnatione in quinque Synodis facta*. Contra Sirmondus diatribam ſecundam elaboravit, cui a Petavio oppoſitus eſt *Elenchus Diatribæ utriuſque de Photino & Sirmienſi Synodo*. Quidquid autem illi certaverint, de eo arbitrium ſibi permiſit Petrus de Marca in Diatriba *de tempore Synodi Sirmienſis Plenariæ & de Valentis & Urſacii venia*. Sed de ſemita in viam regrediamur. Photinus igitur, quum poſtremo Sirmienſis Synodi ſententiis abdicatus eſſet, a Conſtantio Imperatore impetravit, ut coram Senatoribus de dogmate ſuo diſputaretur. Socrates in *lib.* ii. *cap.* xxx. ita narravit, Photinum Fidei formulis, quas Sirmienſis Synodus conceperat, conſentire detrectantem ad diſputationem Epiſcopos evocaſſe, quæ Sirmii habita eſt adſtantibus iis Senatoribus quos Conſtantius delegit: *ὡρισθείσης δὲ ἡμέρας, γνώμῃ καὶ του Βασιλέως, συνῆλθον οἵτε παρόντες ἐπίσκοποι & συγκλητικῶν οὐκ ὀλίγοι, οὓς ἐκέλευσε παρεῖναι τῇ διαλέξει βασιλευς, Conſtituto die ex ipſius quoque Imperatoris ſententia convenerunt tum Epiſcopi, qui illic aderant, tum Senatorii ordinis haud pauci, quos Imperator diſputationi intereſſe præceperat*. Attamen explicatioribus notis hanc hiſtoriam Epiphanius in Hær. lx. illuſtravit, Photinum in Sirmienſi Synodo (ſic enim legatur neceſſe eſt, non Sardicenſi) ſacerdotio pulſum ad Conſtantium adiiſſe eumque exoraſſe ut ei liceret coram Judicibus ab Ipſo conſtitutis dogma vindicare ſuum: Conſtantium colloquium indixiſſe, in quo Baſilium Ancyræ Epiſcopum juſſit diſputationis negotium ſuſcipere, judices autem aut magis auditores dediſſe Thalaſſium, Datianum, Cerealem & Taurum comites. Sic Epiphanius. Ac primum animadvertendum eſt, Comites hoſce colloquio non præfuiſſe, ut rem ipſam cognoſcerent. Cauſſa enim amplius cognoſcenda non erat, de qua non modo Catholicæ,

ſed Arianæ Synodi judicaverant . Igitur interſuere illi tanquam teſtes & auditores, qui poſtquam comperiſſent Photinum ab Epiſcopis impietatis ſuæ fuiſse convictum, eum publice condemnarent hoc eſt in exilium pellerent, quam pœnam Imperator veluti Religionis vindex impoſuerat : Pergit enim Socrates , μεγίστη δὲ μάχη μεταξὺ τ͂ παρ' ἑκατέρων λόγων ἐγένετο. ἐν οἷς ὁ φωτεινὸς ἡττηθεὶς κατεκρίθη. ἐν φυγῇ τε διάγων κ. λ., *Certatum eſt utrinque* (inter Epiſcopos & Photinum) *maxima contentione verborum atque rationum , victus tamen Photinus & publice condemnatus eſt ; qui poſtmodum in exilio vitam egit*. Ad hoc quamvis concedatur, Conſtantium, quum Photinus ad ipſum tanquam ad majorem poteſtatem provocaſset , Senatoribus injunxiſse , ut de cauſsa decernerent, non efficitur tamen univerſis Principibus id eſse tribuendum quidquid ille ſibi arripuerit. Metienda enim Principum auctoritas non eſt eo jure quod Conſtantius Imperator Arianus confidenter exercuerit . Nanque facile fieri non potuit , ut qui a Catholico nomine defecerat , idque ut perderet, prorſus enitebatur, is imperium legibus contineret, neque in iſtud ipſum invaderet, quod in Sacerdotum erat munere.

XVII. Sequuntur Concilia, quæ in Hiſpaniis , Brittannia, Galliis , & Germania mediæ ætatis temporibus coacta fuere. Blondellus enim Synodicorum Actorum complura fragmenta deſcripſit, ex quibus adparet non modo Principes Conciliis ſubſcripſiſſe, ſed etiam Epiſcopos & Principes una conventus peregiſſe. Iſtud enim Calvinianus ſpectavit, ut utroſque pari ferme auctoritate de ſacris deliberaſſe evinceret. Quocirca contra paucis dicendum eſt, qua de cauſſa Gallicani, Brittannici, Hiſpani Principes aliarumque Gentium Domini ſeſe Epiſcopis adiunxiſſent in Synodis . Atque hi quidem in eam auctoritatem ſucceſſerunt, quam Romani Imperatores in iis Provinciis exſeruerant, quæ, ſublato latino Imperio, in Europeas Monarchias coaluerunt. Veteres ſane piique Imperatores , quum Synodos convocare in ſua eſſe poteſtate crederent, ita eas perferri non patiebantur, niſi antea numine ſuo confirmarent . Rem vero ſic procurabant, ut ſi de dogmaticis decretis ageretur , hæc ſtatim publicæ auctoritatis præſidio munirent, quin ullam de iiſdem cognitionem ſuſciperent, canones vero, qui ad diſciplinam & politiam pertinebant , tum probarent , cum eos nec in publicam tranquillitatem, nec in priſcas leges & diuturnitate temporis firmatas offendere comperiſſent. Quum hoc modo Auguſti ſeſe gererent, attamen clavium Principatum ſolis Sacerdotibus eſſe datum exiſtimabant, ipſi vero in eo eſſe officio ſeſe dicebant, quod in defendenda Religione & in vindicanda Eccleſiæ diſciplina conſiſtebat. Sed eo de loco alias multis diſſeruimus . Eandem igitur Eccleſiæ tutelam , quæ in ipſo inerat Imperio, Chriſtianj Principes , qui novis in Europa Regnis præfuerunt, conſentientibus Epiſcopis Romaniſque Præſulibus ſibi aſſeruerunt . Patres Concilii Aurelianenſis primi in Synodica Epiſtola Clodoveum Gallorum Regem his alloquuntur , *Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in unum colligi juſſeritis, ſecundum voluntatis veſtræ conſultationem & titulos, quos dediſtis ea qua nobis viſum eſt, definitione reſpondimus, ita ut ſi ea, quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe judicio comprobantur, tanti conſenſus Regis ac Domini majori auctoritate ſervandam tantorum firmet ſententiam Sacerdotum*. In iſtud vero optimæ inſtaurandæ diſciplinæ vindicandæque Religionis ſtudium iis temporibus Principes adeo incubuere, ut in Synodos venirent, Epiſcopis adeſſent, & decretis nomen ſubſcribentes ſuum ſic publicam iis , quæ ſcita eſſent, ſeſe firmitatem addere ſignificarent. Recaredus Gothicæ Gentis Princeps in Hiſpaniis , poſtquam animo Arianam perfidiam depuliſſet , Concilium III. Toletanum indixit, quo Epiſcopos ex ſex provinciis evocavit , Toletana, Hiſpalenſi, Bracarenſi, Emeritenſi, Tarraconenſi & Narbonenſi, quæ tum Regno Hiſpaniæ continebatur. Frequentiſſimus hic Epiſcoporum ordo canones XXIII. edidit , quos ad Hiſpanam conſtituendam Eccleſiam uſui eſſe reputavit. Rex, qui cum Proceribus ſuis aderat, decreta omnia edicto probavit, cujus hæc ſunt verba, *Capitula enim, quæ noſtris ſenſibus placita & diſciplinæ congrua a præſenti conſcripta ſunt Synodo, in omni auctoritate ſive Clerico-*

Y

ricorum ſive laicorum ſive quorumcunque omnium obſerventur & maneant. Concilio præterea idem ſubſcripſit in hanc formulam, *Flavius Recaredus Rex hanc deliberationem quam cum ſancta definivimus Synodo, confirmans ſubſcripſi*. Tum ſequuntur ſubſcribentium Metropolitanorum atque Epiſcoporum nomina LXII. Quinimo Principes, qui Synodis intererant, ut ſuam exprimerent aſsenſionem iis, quæ Antiſtites conſtituebant, iis verbis interdum utebantur, quæ ipſos canonum fuiſse auctores declarare videbantur. Ac iſtud quidem accidebat, ſi concilia ſociarentur non ut novi canones ſciſcerentur, ſed ut vetus diſciplina revocaretur, quæ ob temporum iniuriam funditus occidiſset. Carlomannus ſummus Regni Auſtraſiæ moderator ſub Childerico quum de priſtina Religionis diſciplina reſtituenda cogitaret in Galliis, in quibus Chriſtianam rem iniquo eſse loco noverat, Liptinas ad concilium evocavit Bonifacium Legatum Apoſtolicæ ſedis, alioſque Epiſcopos & eorum Presbyteros. In eo concilio pius Princeps hoc dicendi initium fecit, *Ego Carlomannus Dux & Princeps Francorum anno ab incarnatione Domini* DCCXLIII. *cum conſilio ſervorum Dei & optimatum meorum Epiſcopos, qui in Regno meo ſunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Chriſti congregavi ideſt Bonifacium Archiepiſcopum . . . . . ut mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei & Eccleſiaſtica Religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum diſſipata corruit*. Conduntur deinde decreta de conſtituendis Epiſcopis, iiſque Bonifacio Archiepiſcopo præficiendo, de Synodis habendis, de bonis unicuique Eccleſiæ reddendis, de coercendis Presbyteris & Diaconis, qui officium ſuum deſerebant, de honore Epiſcopis habendo aliiſque de rebus, quæ e Religionis erant dignitate. Hæc a Præſulibus ſancita fuere, ſed nomine Carlomanni perferuntur, qui his verbis utitur, *Statuimus, decernimus juxta ſanctorum canones*. Pipinus porro, penes quem Regia reſidebat auctoritas in provinciis Burgundiæ & Neuſtriæ, eodem conſilio ac Carlomannus Frater anno DCCXLIV. Sueſſionenſem Synodum convocavit, in qua conſultari poſſet de Eccleſiæ Diſciplina. Quæ in hac Synodo inter Epiſcopos convenerant, ipſe Princeps juſſit ſimiliter atque Carlomannus Liptinenſia decreta pertulit: *Propterea nos*, inquit Pipinus, *una cum conſenſu Epiſcoporum ſive Sacerdotum ſive Servorum Dei & Optimatum meorum conſilio decrevimus ut annis ſingulis Synodum renovare debeamus*: Reliqui deinde canones ejuſdem nomine concipiuntur, *Conſtituimus, ſtatuimus, diximus*. Ac negotium ita confectum eſt in duobus Conciliis Liptinenſi & Sueſſionenſi. Etſi vero Carlomannus & Pipinus canones condidiſſe dicerentur, tamen illud revera egerunt, ut quæ ab Epiſcopis ſcita fuerunt, iis publicæ legis vim & firmitatem adſtruerent. Hoc duobus argumentis evinci poteſt. Primum nititur in poſtremo Sueſſionenſis Concilii canone, ex quo ea omnia, quæ Pipinus tuliſſe viſus erat, ab Epiſcopis Pipini conſenſu fuiſſe ſancita plane perſpicies, *Si quis contra hoc decretum, quod tres & viginti Epiſcopi cum aliis Sacerdotibus vel* (&) *Servis Dei una cum conſenſu Principis Pipini, vel* (&) *optimatum Francorum conſilio conſtituerunt, transgredi vel legem irrumpere voluerit, vel deſpexerit, judicandus ſit ab ipſo Principe vel* (&) *Epiſcopis vel* (&) *Comitibus* (ſignificatur conventus Gallorum politicus, hodie parlamentum, in quo Princeps, Epiſcopi & Comites ſedebant), *& componat ſecundum quod in lege ſcriptum eſt, unuſquiſque juxta ordinem ſuum*. Alterum argumentum ducitur ex epiſtola Zachariæ Romani Pontificis. Cognoverat Pontifex ex litteris Bonifacii Legati apoſtolicæ ſedis quidquid Principes in Synodis geſſerant, quumque id omne probaſſet, hæc ad Epiſcopos, Duces & Comites Galliarum ſcripſit, *Referente nobis Reverendiſſimo atque ſanctiſſimo Fratre noſtro Bonifacio Archiepiſcopo, quod dum Synodus aggregata eſſet in provincia veſtra juxta noſtram commonitionem, mediantibus Filiis noſtris Pipino & Carlomanno Principibus veſtris, peragente etiam vicem noſtram Metropolitano Bonifacio, Dominus illuminaſſet corda veſtra cum Principibus veſtris in prædicationem ejus, ut omnibus commonitionibus ejus obediretis, & falſos & ſchiſmaticos & homicidas & fornicarios a vobis expelleretis Sacerdotes, omnipotenti Deo gratias egimus . . . . .* Animus advertendus eſt ad hæc verba, *mediantibus Filiis noſtris Pi-*

 pino

pino & Carlomanno Principibus veſtris: Perſpicuum enim eſt ex iis, Carlomannum & Pipinum eorum, de quibus in Conciliis Liptinenſi & Sueſſionenſi convenit, non fuiſſe auctores. Vocantur enim *mediatores* quaſi μεσαζοντες hoc eſt ſequeſtri & Patroni, qui canones ab Epiſcopis edendos curaverint eoſque publica auctoritate communiverint. Igitur hæc demum ita concludatur ratio: Quamvis Principes in Synodos iverint, Synodicis actis ſubſcripſerint & interdum canones ſub nomine ſuo pertulerint, ſatis tamen caverunt, ne ſacrorum regimen penes ſeipſos reſidere arbitrarentur. Cum enim ea omnia peragebant, hoc unum Imperio ſuo tribuere ſtudebant, quod in confirmandis Synodis poſitum erat, idque ipſum jure tutelæ, in quam ipſis Eccleſiam & Religionem Deus tradiderat.

XVIII. At porro ſi ea politia diſpiciatur, quæ in medii ævi temporibus ad Reſpublicas optime gubernandas adſcita fuit, facilius explicari poteſt idem locus de Conciliis, quæ ex Epiſcopis, Rege & Optimatibus fuere ſociata. Principes, qui poſt latini Imperii caſum in Galliis, in Anglia, in Hiſpaniis aliiſque in Europæ regionibus Monarchias rexerunt, tum maximis Civitatis rebus ſeſe optime conſulturos exiſtimarunt, ſi in publicis Comitiis hoc eſt in Sapientum Conventu de iis deliberarent. Itaque ſæpe ab illis Metropolitani, Epiſcopi, Abbates Regnique Primores convocabantur, quorum omnium conſeſſus dicebatur *Placitum*, *Concilium*, *Conventus*, *Synodus*, *Colloquium*, & in permultis illius ætatis monumentis *Campus Martius*, vel *Campus Madii* & *Magi*, quod hujuſmodi conventus olim Ral. Martiis ſub dio peragebatur, deinde vero ad diem Kal. Majarum translatus fuit a Pipino: Fredegar. Ann. 766. *Pipinus ibi placitum ſuum campo madio, quod ipſe primus pro campo martio pro utilitate Francorum inſtituit, tenens multis muneribus a Francis & Proceribus ſuis ditatus eſt.* Ordinum hoc concilium Principum Senatus erat, qui in Parlamentum Gentium mutatus eſt. Francica ſane parlamenta, ſi prima eorum origo reſpiciatur, Primores & Epiſcopos complectebatur: In vita Ludovici VII., *Eo anno Caſtro Vezoliaci magnum parlamentum congregavit. Ibi Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates & Magna pars Baronum Franciæ convenerunt.* In Anglicanis autem parlamentis ampliſſima ab initio fuit Epiſcoporum dignitas, quam rem ſatis docuit Matth. Paris Ann. 1164. 1196. 1237. 1242. 1247. 1252. &c. Referuntur eodem *Curiæ*, in quas Epiſcopos, & Proceres ad diſceptanda majoris momenti negotia Reges cogebant. Curiæ *ſolemnes & generales* commemorantur apud noſtrum Petrum de Vineis lib. III. Epiſt. 1. 21. & 5. 7. ac in Charta An. 1129. apud Ducheſnium Hiſt. Drocens., *Auguſtales* in Vita S. Ermoldi Abbatis lib. 1. cap. 3., & *Publicæ* in Diplomate Friderici II. Imper. Ann. 1220. apud W. Hedam. in Epiſcop. Traject. At ferme hujuſcemodi curiæ a die nominari ſolebant, qui ad eas convocandas conſtitutus fuerat, de quo more Mabillonius *Rei diplom. lib.* 2. Ac de publicis Francorum conciliis Adalardus Abbas Corbejenſis Carolo Magno maximis vinculis propinquitatis & dignitatis conjunctiſſimus librum edidit, quem *Ordinem Palatii* inſcripſit. Quidquid in eo libro continebatur, paucis memoriæ traditum eſt in epiſtola III. ed. Mogunt. ab Hincmaro Præſule Rhemenſi, viro optimo ſane & doctiſſimo. Hic igitur docuit, in Galliis duos ſingulis annis Epiſcoporum, Abbatum, Comitum & Magiſtratuum conventus more majorum extitiſſe, quorum alter minus numeroſus ea deligebat & deſtinabat, quæ in frequentiore altero referrentur, & communi omnium conſilio decernerentur. Addidit vero hunc fuiſſe Conventuum ordinem, ut Rex negotia proponeret, de quibus deliberari neceſſe erat, tum de his Epiſcopi & Optimates conſultarent, ſed Seniores ſumma auctoritate cenſerent, juniores autem iis aſſenſionem adiicerent, poſtremo omnia, quæ judicata eſſent, ad Regem perferrentur, qui perſpectis aliorum ſententiis vel eas probabat, vel arbitratu reiiciebat ſuo. At quibus in cauſſis judicandis duo illi conventus verſabantur? Idem Hincmarus auctor eſt, cauſſas, de quibus referri ſolebat, ad Eccleſiam & Rempublicam pertinuiſſe, habitoque earum delectu Epiſcopos de Eccleſiaſticis, Optimates de politicis cognoviſſe. Si enim de Eccleſiæ rebus quærebatur, ille prodidit Epiſcopos ſeorſum

ſum a concilio Optimatum Synodum habuiſſe, in qua de iis conſultarent, *Optimates & Epiſcopi*, inquit, *ſimul vel ſeparatim reſidebant, prout eos tractandæ cauſſæ qualitas docebat, ſive de ſpiritualibus, ſive de ſæcularibus, ſive etiam de commixtis*. Hactenus ex Adalardo Hincmarus, cui ab annalibus politicis & Eccleſiaſticis maxima auctoritas accedit. Eginhardus ad An. 767. prodidit, Pipinum, poſtquam Galliarum Legati cum Pontificis Romani & Græcorum legatis rediiſſent, in Villa Gentiliacenſi conventum habuiſſe, in cujus Synodo diſputari & deliberari juſſit *de proceſſione S. Spiritus & de cultu imaginum: Rex Pipinus, conventu in Gentiliaco Villa congregato, Synodum de ipſa quæſtione habuit*. His in verbis quum Synodus a Conventu disjungatur, qui ex Epiſcopis & Optimatibus, teſte Paulo Papa in epiſtola ad Pipinum, coactus fuerat, par eſt exiſtimare, Synodum Epiſcoporum tantum fuiſſe, ita ut Eginhardus ſenſerit, Pipinum Epiſcopis, qui in conventum Gentiliacenſem venerant, cognitionem commiſiſſe de Religione. Quamvis enim Synodus apud Annalium ſcriptores de quibuslibet comitiis intelligi poſſit, tamen ſi publico conventui opponatur, tum ſolum Eccleſiaſticorum Præſulum concilium ſignificat. Ad hoc Moguntina Synodus, quam Ann. DCCCXIII Carolus Magnus indixit, in tres conventus diviſa fuit: Primus enim Epiſcoporum in Eccleſiaſtica inſtauranda diſciplina verſabatur, idque ut perficeret, quidquid in ſacris libris & canonibus præceptum eſſet, diligenter inveſtigabat. Alter Abbatum de emendandis Monachis, iiſque ad vitæ ſanctitatem inſtituendis cogitabat. Tertius denique qui Comites complectebatur, operam in eo ſuam ponebat, ut Rempublicam ſapienter conſtitueret, *Vulgi juſtitias perquirebat, omniumque advenientium cauſſas diligenter examinabat & modis, quibus poterat, juſtitias terminabat*. Hanc rem non oportet aliis perſuaderi exemplis quæ facile adſtrui poſſent. Nam conciliorum, quæ Epiſcoporum & Optimatum erant communia, ſatis expoſitus eſt ordo, qui ita ſe habebat, ut Eccleſiaſtica negotia a politicis diſiungerentur, & de illis judicium Præſulum Synodo aſſignaretur. Quocirca Calviniani, quos Blondellus deſcripſit, confidentiſſime agunt, qui in hujuſmodi conventibus Regni Primores & Epiſcopos pari auctoritate judicaſſe de ſacris duxerunt.

XIX Jam Blondellus ea perſequitur, quæ propius ab ævo ſuo recedebant. Opponit enim Regem Regnique Primores veluti ſacrorum gubernatores Gallicanæ Eccleſiæ conſuluiſſe in illis concertationibus, quas ipſi cum Romano Pontifice propter Baſileenſem Synodum ſuſcepere, item iis temporibus, cum caverunt, ne Tridentinis de diſciplina decretis in Galliis publicum robur adſtrueretur. Hæc autem ita funduntur ut Calviniani hominis mentem & judicium deſideres. Ac primum pauca quæ ad Baſileenſem & Tridentinam Synodum pertinent, breviter explicanda ſunt. Gallicana Eccleſia, quam Carolus VII. Avarici Biturigum convocavit Anno MCDXXXVIII. cenſuit Baſileenſis Synodi decreta in Regno eſſe adſciſcenda, præſertim ea, quæ canonicam libertatem in mandandis Sacerdotiis præciperent: Duo tantum excepit, unum ne poteſtas conſecrandorum Epiſcoporum aliis in Regno committeretur a Romano Pontifice, quam illis, ad quos ea res ſpectaret canonum lege, hoc eſt propriis Metropolitanis, alterum ne Gallicani Reges prohiberentur in eligendorum Paſtorum negotio aliquas ſibi partes adſcribere. Hoc Eccleſiæ conſultum Carolus confirmavit, illudque in pragmatica Sanctione complexus eſt, cujus ut vim exſereret, Parlamenti Curiæ injunxit. Caroli eam ſanctionem ſtatim Eugenius IV. improbavit in litteris, quas Odericus Raynaldus attulit ad Annum 1439. Quinimo Pius II. in Conventu, quem Mantuæ coegit, cum Gallis ſic egit, ut plane præſeferret, ſe non dubitaturum, quin eos e Romana Eccleſia divelleret, niſi Rex & Pariſienſis curia a propoſito averterentur. Jam omnia ad ſchiſma vergebant, cum Carolus VII. è vita deceſſit. At Ludovicus XI. qui ad Regni gubernacula admotus fuit, ſpem injecit ſe non paſſurum, Gallorum gentem cum Romano Pontifice diu decertare. Ergo an. 1461. monitis Pii Pontificis litteras Romam miſit, quibus Carolinam Sanctionem obrogavit. Regiis his litteris Pariſienſis Curia interceſſit, quumque poſt obitum Pii Ludovicum adiviſſet, quem tum conſilii

filii pœnitebat ſui, Ei anno 1465. orationem obtulit, in qua Gallicanæ Eccleſiæ libertatem pragmaticamque ſanctionem vindicabat. Hujuſmodi orationem latine converſam primum edidit Franciſcus Duarenus clarus juriſconſultus *in lib.* 5. *commentar. in Jus Pontificium*, deinde Laurentius Bochellus *in lib.* 4. *Decret. Eccl. Gall. Tit.* 21. *cap* 10. Pio Paulus II. ſucceſſit, qui perperam operam dedit, ut Lodovici litteræ in Curia promulgarentur, & Senatuſconſulto approbatæ in Tabulas referrentur. Ac Curia quidem perrexit Romanis Pontificibus ſe opponere, donec, abrogata in Lateranenſibus Comitiis Carolina ſanctione res ad concordata inclinaret, quæ tandem Bononiæ inita fuere inter Franciſcum I. Chriſtianiſſimum Regem, & Papam Leonem X. Ita Galli ab iis concertationibus conquievere, in quas poſt Baſileenſem Synodum venerant. Sed novum apud eos certamen ortum fuit de Tridentina Synodo. Decreta quidem, quæ de Fide Tridentini Patres ſcripſerant, in Galliis perlata fuere edicto Regio, quod an. 1579. conditum eſt. Ab eo tempore Gallicanus Clerus plures orationes ad Chriſtianiſſimos Reges habuit, in quibus ſummo ſtudio ab iis impetrare enitebatur, ut illos etiam canones, in quibus optimam Eccleſiæ diſciplinam Synodus inſtauraverat, numine ſuo approbarent, & in univerſis Regni provinciis politicam habere firmitatem juberent. In his vero precibus Clerus doctrina & pietate præſtantiſſimus ſatis cavebat, ne Eccleſiæ ſuæ libertatibus ulla fraus inferretur. Nam ſi qui canones eſſent, qui antiquis Regni moribus officerent, iis nolebat ullam auctoritatem accedere. Orationes iſtæ in volumine V. commentar. Cleri Gallicani evolventur. At Reges qui Primorum conſilium ſequebantur, re ſuſpenſa, Clerum ſæpe dimiſerunt. Illi enim quum cenſuiſſent, Tridentini concilii plures eſſe canones, qui veteres Eccleſiæ libertates perverterent, magis eſſe è tranquillitate Regni & Majeſtate Concilii œcumenici duxerunt, ſi eos omnes perferri neutiquam permitterent, quam ſi eorundem delectum facerent, & quos moribus eſſe contrarios noſſent, publice reiicerent. Hæc Tridentini Concilii fortuna fuit in Galliis, de quo Petrus de Marca *in lib.* II. *de concordia S. & J. cap.* XVII. Iis explicatis par non eſt in eo nos verſari, quod inter Romanos Pontifices & Gallos certabatur de Conciliis Baſileenſi & Tridentino. Alius enim is locus eſt, quem plures docti viri pertractant. Nunc enim inſtat contra Blondellum diſpicere, an Reges Proceresque Gallicani jure regendæ Eccleſiæ Baſileenſem Synodum approbaverint, & quominus Tridentinos de diſciplina canones adſciſcerent, prorſus detrectaverint. Atque ſatis conſtat, illos ſibi ſumpſiſſe non regiminis, ſed tutelæ poteſtatem. Sane Carolus VII. in exordio pragmaticæ ſanctionis affirmate dixit, ſeſe animo vindicandæ diſciplinæ, quam Baſileenſes Patres condiderant, eam legem ſcripſiſſe, *Sicut Sacerdotes*, inquit, *debitores ſunt, ut veritatem, quam audierunt a Chriſto, libere prædicent, ſic Princeps debitor eſt, ut veritatem, quam audivit a Sacerdotibus, approbatam quidem ſcripturis defendat fiducialiter & efficaciter exequatur*. Hæc ipſa tutelæ poteſtas id juris Principibus tribuit, ut poſſint providere, ne omnes canones, qui de diſciplina rogantur, in Regnis ſuis perferantur. Canonum enim, quos de diſciplina Œcumenicæ Synodi ſciſcere ſolent, triplex eſt genus. Alii enim præcepta complectuntur, ſine quibus bonus Chriſtianæ Reipublicæ Status conſtitui non poteſt. Alii ad commodiorem Eccleſiæ gubernationem, ac illius venuſtatem pertinent: Alii denique non univerſam Eccleſiam, ſed quaſdam Eccleſias & Perſonas reſpiciunt. In edendis canonibus, qui primi ſunt generis, Synodorum judicium non minus eſt certum, integrum & incorruptum, quam in Fidei rebus explicandis. Nam ad ſempiternam ſalutem, quo Chriſtiana Religio contendit, non modo fides, ſed etiam caſtæ & ſanctæ leges requiruntur. Eſſet quidem cœleſtis Spiritus, qui Eccleſiam regit, procuratio pertenuis & perexigua, ſi quos in Religionis aperiendis dogmatibus numine ſuo fovet, in neceſſariis ſanciendis legibus deſereret. Reliquos vero canones, qui vel ad Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem, vel ad tollendas Eccleſiarum controverſias faciant, Œcumenicæ Synodi ita condunt, ut interdum falli poſſint: Iſtud ſi contingat, haud ſane jubent quidpiam

quod

quod Divini juris æquitatem pervertat, ſed dum Eccleſiis hoc vel illud uſui eſſe opinantur, modum nonnumquam ſuperant & a prudentiæ legibus declinant. Ac nihil quidem Synodorum dignitati detrahitur, ſi quum earum in Divinis dogmatibus expromendis integerrimam fidem, in procurandis ſacris maximam diligentiam, in neceſſariis ferendis legibus ſummam æquitatem, in coercenda vitiorum licentia admirabilem ſapientiam demiremur, in iis, quæ communi ſaluti minime ſunt neceſſaria, ſed ad venuſtiorem Eccleſiæ ordinem ejuſque tranquillitatem pertinent, aliquantulum prudentiæ interdum deſideramus. Chalchedonenſis Synodus C-politanam Eccleſiam Alexandrinæ & Antiochenæ ſane quam plurima antiquitatis gloria nobiliſſimis anteponendam duxit: At Leo Sanctiſſimus Pontifex, quamvis omnia illius acta approbaſſet, hanc unam legem cum Nicæni Concilii ſanctionibus pugnantem refixit. Quinimo ſæpe accidit, ea quæ in Synodis inter Patres convenerunt, pleriſque Catholici Orbis Eccleſiis fuiſſe accommodata, ſed quæ tamen in quibuſdam antiquam politiam perturbarent, receptaſque in iis leges offenderent. In rem ediſſeruit Didacus Payva Dandrada Luſitanus Theologus eorum, qui comitiis Tridentinis affuere, doctrina excellentiſſimus in lib. primo *de Conciliorum generalium auctoritate. Fieri nullo modo poteſt*, inquit, *ut omnes Eccleſiaſticæ ſanctiones in tanta morum diſſimilitudine, Nationum ac linguarum varietate, humanarumque rerum inconſtantia & temeritate, omnibus mortalibus ſemper accommodatæ ſemperque ſalutares ſint. Nam quamvis juſtitia nequaquam flexibilis ſit & commutabilis, tempora tamen (ut ait Auguſtinus) quibus illa præſidet, non pariter eunt: tempora enim ſunt: ſed quæ ſunt quibuſdam ſalutaria, aliis pernicioſa fiunt.* Hæc quæ de diverſis canonum generibus expoſita ſunt, Chriſtianorum Principum in iis recipiendis auctoritatem declarant. Quam enim Principibus non modo Synodorum, ſed illius Eccleſiæ, quæ ipſorum Imperio continetur, omnis tutela data ſit, ſequitur diligenter ab iis providendum eſſe, ne decreta de mutabili diſciplina antea promulgari ſinerent, quam iidem conſenſu approbarent, nec porro conſentirent, niſi iis modeſte rejectis, quæ, ſi adſciſcerentur, veteres mores eoſque Divino juri haud contrarios tollerent. Hanc ſummi Principatus eximiam partem Gallicani Reges exſeruerunt, cum Clerum petentem rogitantemque ut Tridentini canones reciperentur, re haud deliberata dimiſerunt. Qui agendi modus haud ſcimus equidem an probandus ſit. Sane cæteri Terrarum Catholici Rectores quum paſſi eſſent univerſam perferri Tridentinam Synodum in ſuis Regnis, caviſſentque ne qui illius canones Eccleſiæ ſuæ libertatibus officerent, ſumma prudentia & ſapientia cum Œcumenici Concilii majeſtatem, tum Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem conſervarunt: Sed iſtud non eſt, de quo quærimus. Nam ſatis perſpicuum eſt, quod efficiendum erat, Gallicanos Reges in temporibus Baſileenſibus & Tridentinis non regiminis ſacri poteſtatem, ſed Eccleſiæ tutelam Imperio ſuo tribuiſſe.

XX. At videamus quorſum Blondellus pervenerit. Exiſtimavit enim ab exemplis quæ attulerat, Principes jus illud repetiiſſe, cujus auctoritate in regionibus Germaniæ, Angliæ, Daniæ & Helvetiorum Catholicam Religionem ſuſtulerunt, eamque legibus recipiendam edixerunt, quam Lutherus & Calvinus intulerant Chriſtiano orbi, quamquam ipſe cenſuit, Proceres Scotorum, Belgarum & Gallorum hanc ſpartam ſapientius adminiſtraſſe, quod ex veterum moribus non modo Clero, ſed Plebis Senioribus procurandam Eccleſiam demandaverint. Atque in dubio quidem non eſt, quin complures Rerumpublicarum Rectores, quos Lutherani & Calviniani fallere potuerunt, in animum induxerint, ſibi delatum eſſe munus emendandæ conſtituendæque Religionis. Sed illi ad iſtam ſuſcipiendam rem, quæ ſane peculii ſui non erat, confidentiſſime aggreſſi fuere, contra atque ſanctiſſimis inſtitutis Majores docuerunt. Principatus quidem, qui ex evangelicis legibus gerendus eſt, illud non habet, quod antea e jure Gentium & Moſaico ſibi ſumebat, ut de Religione cognoſcere, judicare & edicere poſſit. Leges enim Evangelicæ tantum ei tribuunt, ut non Arbitrum, non Judicem, non Cognitorem & Diſceptatorem Chriſtianæ Religionis ſe præbeat, ſed Tutorem,

Patro-

Patronum & Defenſorem Eccleſiæ. Quin & Majorum inſtituta, eaque exempla, quæ a Blondello apponuntur, manifeſte declarant pios Imperatores & Reges, ſuſcepta Religionis clientela, ſatis ſeſe continuiſſe, ne aliud aliquanto amplius animo complecterentur. Hi enim omnes, ſi Eccleſiæ diſciplina perturbaretur, vel Religio ab Hæreticis in diſcrimen adduceretur, qualecumque de ſacris judicium detrectabant, ſed ad vindicandam Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem Romano Pontifici ampliſſimoque Epiſcoporum ordini præſidium pollicebantur, Synodos convocabant, iis tanquam auditores & tranquillitatis cuſtodes intererant, & quidquid ſancitum eſſet ab iis, ad quos res pertinebat, publica lege confirmabant. Repetes memoria Conſtantinos, Theodoſios, Marcianos, Juſtinianos & Carolos Imperatores optimos & pietate præſtantiſſimos, de quibus ſæpe contra Grotium commemoravimus. Horum commendatiſſimis ſane exemplis Principes Daniæ, Germaniæ, Angliæ & Helvetiorum, alioſque tranſalpinarum regionum Dominos Imperium metiri ſuum oportuit, non impudentiſſimis Lutheri & Calvini perditiſſimorum hominum conſiliis. Europa enim non in iis temporibus verſata eſſet, quæ ſummam ei cladem intulerunt, nec tot Populi, deplorata ſalute, ab Eccleſia Catholico-Romana divellerentur.

Atque illis quidem Belgæ, Scoti, Genevenſes aliique Calviniani quos Anglis Proteſtantibus Blondellus antepoſuit, deteſtabiliores habendi ſunt, qui ad eam Eccleſiæ partem evertendam acceſſerunt, in qua Religionis ſalus nitebatur. Quum enim hi omnes, abrogata præfectura, quæ Romano Pontifici eſt in Catholico orbe, & contempta Epiſcoporum in ſingulis Urbibus auctoritate, hierarchiam Eccleſiaſticam funditus ſuſtuliſſent, ad illud crimen audacter evaſerunt, ut Divinum regendæ Eccleſiæ jus publice deferrent Chriſtianæ Plebi hoc eſt ſenioribus qui illius vice funguntur. Nihil enim ſceleſtiſſimorum hominum ingenio excogitari aut inveniri potuit, quod novi Fœderis legibus tam aperte diſſentiat, aut proterendo Eccleſiæ ſtatui magis accomodatum ſit. Conditor enim Eccleſiæ Chriſtus eam contineri voluit ſacris Paſtoribus eorumque capite Romano Pontifice non modo veluti iis, qui ſacra factitarent & univerſas Religionis diſciplinas docerent, ſed tanquam iis, qui Populos in Divinis rebus regerent hujuſmodi cum juriſdictione, quæ tota ad animos ſpectat. De Populis vero ſancivit, eos his conditionibus eſſe in Eccleſia debere, ut a Paſtoribus ſacra accipiant, ad Religionis & morum præcepta inſtituantur, iis auſcultent & veluti Præfectis & Præſidibus ſuis morem gerant. Hæc Eccleſiæ temperatio eſt Divina, quæ prorſus perturbatur & tollitur, ſi munia Paſtorum Proceribus aut Senioribus aſſignentur. Ex quo ſummum nefas eſt, aliquem profanorum presbyterorum Senatum fuiſſe conſtitutum in Calvinianis Eccleſiis, cui regendorum ſacrorum provinciam publicæ Poteſtates commiſerunt. Conſulantur quæ diſputata ſunt *in nona ad Grotium critica exercitatione*.

FINIS TOM. II.

A1 33157

166.
5.
10.